MEDITATIONES PRO SINGULIS ANNI DIEBUS EX SACRA SCRIPTURA...

Hieronymus Hirnhaim, Philip Gruther

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
11—A
6
Digitized by Google

Digitized by Google

Comprato giuli 3
marzo 1685
filip. Guicciardini

Digitized by Google

MEDITATIONES

PRO SINGULIS ANNI DIEBUS

EX

SACRA SCRIPTURA

EXCERPTÆ,

Quibus acceſſerunt

ORATIONES

Quædam ſelectæ ac Privilegiatæ cum Indulgentiarum lucrabilium Catalogo, aliisq; ſalutis certius conſequendæ medijs,

Pro uſu

RELIGIOSORUM,

maximè

PRÆMONSTRATENSIUM,

Operâ & ſtudio

HIERONYMI HIRNHAIM,

Can: Ord: Præmonſtratenſis, Eccleſiæ B. Virginis Pragæ in Monte Sion Abbatis, per Bohemiam, Auſtriam, Moraviam, Sileſiam & Ungariam Viſitatoris ac Vicarij Generalis, SS. Theologiæ Doctoris.

Anno M. DC. LXXVIII.

PRAGÆ: Typis Georgij Czernoch.

ERCH. PHIL. ... DS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

UT Libellus Meditationes pro ſingulis anni diebus ex ſacra Scriptura excerptas continens, in publicam lucem prodeat, & imprimatur, facultas conceditur. Pragæ in Cancellaria Archi-Epiſcopali die 7. Junij, Anno M. DC. LXXVIII.

WENCESLAUS BILEK
à Bilenberg Officialis.

L. S.

J. F. LIEPURE
Cancellarius.

Digitized by Google

REVERENDIS ac RELIGIOSIS

FRATRIBUS

Sacri & Canon: Ordin: Præmonſtratenſis, Strahovienſis Eccleſiæ Profeſſis, in Chriſto dilectiſſimis.

C. M. ... STRAHOVIENSIS

NOn alium ob finem homo in hanc mundi regionem venit, quàm ut DEO Creatori ſuo ſerviat, & hoc faciendo Beatitudinem æternam conſequatur.

Servitus autem illa, quam Divinæ Majeſtati debemus, in fideli ac ſedula mandatorum ejus obſervantia conſiſtit. Brevem ac certam pro ſalutis conſecutione regulam præſcribit unicuique Pſalmiſta: *Declina â malo, & fac bonum*; & Salomon: *Deum time, & mandata ejus obſerva.* Breviſſimam dedit Salvator in Evangelio â quodam interrogatus: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* cui reſpondit: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Horum obſervantiâ vitam & benedictionem, transgreſſione

Pſ. 36.
Eccleſ. ult.
Matth. 19.

Digitized by Google

ne verò illorum maledictionem & mortem æternam promeremur. Hinc & olim Iſraëlitas Moyſes conteſtatus fuiſſe legitur: *En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, ſi obediêritis mandatis Dei veſtri, maledictionem, ſi non obediêritis.*

Deut. 11.

Ex dictis inferre poteſtis Fratres Dilectiſſimi, cuilibet homini ad æternam ſalutem eſſe neceſſarium: ſcire, velle ac poſſe Dei mandata implere.

At miſeri homunciones cœci ſumus ad videndum, pigri ad volendum, debiles ad perficiendum ea, quæ ſalutis noſtræ ſunt, legúmque Divinarum impletionem concernunt.

Ignoramus imprimis ſinèDei lumine mentibus noſtris infuſo, quid nobis ad ſalutem æternam conducat, quid obſit. Delicta noſtra non intelligimus, & frequenter bonum â malo diſcernere neſcimus. Hinc etiam Pſalmiſta ſæpius â Deo petit intellectum ſibi tribui, revelari oculos ſuos, & illuminari tenebras ſuas. *Donum enim DEI eſt ſcire quid facere debeamus.* Notum eſt illud Auguſtini: *ſemper cæcus fuiſſem, nisì tu me illuminâſſes.*

Concil. Milev. can. 4.
Soliloq. cap. 5.

Sacra Lect:

Hoc verò lumen à Deo conſequimur potiſſimùm per ſacra[m] lectionem, in qua Deus no-

nobiſcum loquitur, & docet nos facere voluntatem ſuam, mentéſq; noſtras illuſtrat, ut ſciamus, quid coram illo acceptum ſit omni tempore. De hac ſacra Lectione, ejúſque materia pluribus hìc tractare duco ſupervacaneum, cùm exiſtimem, ſtudioſitati veſtræ ex Sermone S. Norberti nuper enucleato, de ſacræ lectionis utilitate ac fructu ex eadem hauriendo abunde conſtare, uberémque ſatìs legendi materiam, quantam ſcilicet Religioſæ obligationis veſtræ cognitio deſiderat, in ejuſdem libri paginis eſſe ſubminiſtratam. *Primũ ſalutis mediũ.*

Non ſufficit autem homini media ad ſalutem neceſſaria ſcire, nisì & illa efficaciter velit ad finem conſequendæ ſalutis applicare, quod tamen ſinè Divina Gratia hominibus eſt impoſſibile. Eſt enim voluntas noſtra tam pigra & langvida, tam prava & perverſa, ut ſe ad bonum vix moveat, nisì Divinæ gratiæ ſtimulis excitetur, nec à malo ſe avertat, nisì ejuſdem Gratiæ Divinæ fræno retrahatur. Nihil aliud eſt homo ſecundùm naturam ſpectatus, quàm *univerſa vanitas, & abyſſus quædam tenebroſa, & terra inanis & vacua, quæ ſinè Dei Benedictione nil germinat, fructum quoque non facit, nisì peccatum, confuſionem & mortem.* Tanta *Auguſt. ſoliloq. cap. 15.*

de inter domo c. 69. ejus eſt prigritia, tanta perverſitas, ut ad bene volendum non modò juvari, ſed etiam trahi debeat. *Velle non poſſum, niſi gratia Dei fuerit mecum*, inquit S. Bernardus, *nulla eſt enim humana induſtria ſinè DEI gratia.*

Alterũ ſalutis mediũ Meditatio. Hanc verò cælitus conſequitur ſubſidio vivacis ac fervidæ Meditationis, quæ nihil eſt aliud, quàm eorum, quæ per Illuminationem Divinam ſumus edocti, diligens & profunda conſideratio ſeu ruminatio. Hæc hominis cor ad virtutem & perfectionem accendit, quod in ſe frequenter expertus eſt, qui dixit: *Pſ. 38.* *Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardeſcet ignis*; qui non fuit alius, quàm ignis bonæ voluntatis & affectionis, boni deſiderij ac propoſiti. In meditationis exercitio Deus mentem hominis pulſat, & loquitur ad cor ejus, Divinæ ſuæ gratiæ ſtimulo illud compungit, ſuíque amore perſuaſo, ac timore incuſſo, velut fræno à via iniquitatis adeò fortiter ac potenter retrahit, ut qui noviſſima ſua, vel etiam alias piæ ac fructuoſæ conſiderationis materias vivaciter ac inſtanter memorare voluerit, certus eſſe poſſit, quòd in æternum non peccabit.

Satìs quoq; jam de hoc ſacro meditationis

exer-

Digitized by Google

exercitio, de utilitate, imò neceſſitate ipſius, & praxi eam cum fructu inſtituendi, in prænominatoSermonisNorbertini libro â me ſcriptum eſt, in quo etiam plurimæ ſalubres meditandi materiæ paſſim occurrunt. Ut nihilominus per ſingulos anni dies certam pro meditando materiam haberetis, trecenta & ſexaginta aliquot Meditationum themata, & quidem ex ſacris Divinæ Scripturæ Paginis deprompta, brevi ſemper adjectâ paraphraſi, alphabeticum ordinem initialium literarum ſecutus, in ſequentium paginarum ſeriem digeſſi.

Copioſam nobis meditandi materiam ſacræScripturæ fons affluentiſſimè ſubminiſtrat, ut non ſit opus eam aliunde petere. Ex hoc fonte meditationum ſuarum themata David hauriebat, unde ait: *Teſtimonia tua, & mandata tua meditatio mea eſt. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Illumina oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Legem tuam meditatus ſum. Niſì quòd Lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periiſſem in humilitate mea. Quomodo dilexi legem tuam Domine, totâ die meditatio mea eſt. Beatus Vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte, &c.*

❧(✠)❧

Noſtræ pariter meditationis objectum principale debent eſſe mandata Dei, Lex Dei & juſtificationes ejus; inter quæ multa continentur, quæ Divinum timorem nobis incutere, ejúsq; amorem in cordibus noſtris accendere poſſunt. Talia namq; in Divinis Scripturis copiosè occurrunt, nec proinde vobis deerunt in excerptis meditationum thematibus, quæ vos rerum omnium mundanarum tranſitoriæ ſortis, utì & noviſſimorum vobis impendentium commonere; magna Dei beneficia, quæ vobis hucuſque contulit, & plura quæ conferre paratus eſt, utì & religioſam veſtræ profeſſionis obligationem vobis ob oculos ponere; vóſque ad ſtrenuè ſectandum religioſæ perfectionis tramitem cum Divina gratia excitare poſſint.

Non ſufficit verò adhuc *ſcire* & *velle*, niſi accedat & *poſſe*; nec cœleſtis Regni hæreditatem ac benedictionem conſequi, volentis eſt aut currentis, ſed *miſerentis DEI*, cujus illa eſt vox; *ſinè me nihil poteſtis facere;* in quæ verba S. Auguſtinus ità ſcribit: *ſive ergo parum, ſive multum, ſinè illo fieri non poteſt, ſinè quo nihil poteſt.* Sufficientia noſtra non ſolùm quoad intellectum & voluntatem, ſive quoad rectè cogitandum ac bene volendum,

Joann. 5.

tracta. 81. in Joann.

ſed

ſed etiam quoad bene agendum, ſive quoad executionem bonæ voluntatis, & meritorias aliarum potentiarum operationes, non ex nobis, ſed ex Deo eſt. Neque mandata ejus omnia ſervare poſſumus, nisì ille in ſemitis ſuis dirigat greſſus noſtros, & faciat, ut in præceptis ejus ambulemus. Tanta eſt hominis debilitas & imbecillitas, tam validi hoſtilium tentationum impetus, ut ſinè Divina gratia ſalus ipſi omnino ſit impoſſibilis. Unde licèt ſacræ Lectioni, Deo mentem ipſius illuſtrante vacaverit; licèt etiam in meditationis exercitio Divinâ ſufflante gratiâ multos & magnos devotionis ignes, ac multa vitæ melioris propoſita conceperit, fit tamen ſæpe, ut inſtar viri conſiderantis *vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo*, poſt ſui conſiderationem abiens, ſtatim obliviſcatur qualis fuerit, & qualis deinceps eſſe propoſuerit; multorum quidem bonorum cognitor, ſed debilis executor; multa proponens, pauca verò perficiens. Quin & Paulus Apoſtolus, ille tam Sanctus, ille in tertium Cœlum raptus, ſuam ipſe quoad hoc infirmitatem confitetur, dum ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* DEUS autem dat non ſolum ſcire ac velle, ſed & perficere per auxilium gratiæ adjuvan-

Jaco. 1.

Rom. 7.

tis voluntatem, aliáſque potentias noſtras in boni operis executione, ad cujus exequendi finem, & intellectum noſtrum illuminavit, & voluntatem inflammavit. Nec ſolùm boni operis executionem nobis largitur, ſed etiam finalem in opere bono perſeverantiam tribuit.

Tertiũ ſalutis mediũ Oratio. *Feria IV. Cinerum.*

Auxilium ergo Divinæ Gratiæ nos adjuvantis, quod nobis pro boni operis executione eſt unicè neceſſarium, ſemper implorare debemus. Ordinarium verò medium illud à Deo impetrandi eſt Oratio. Inculcat hoc nobis S. Bernardinus ità ſcribens: *Oratio facit, quòd dat nobis DEUS gratiam, & aliter non dat DEUS gratiam ſuam, & nota, quòd oporteat iſtam gratiam à DEO dari per Orationes.* Sicut DEUS ignorantiæ noſtræ tenebras illuſtrat ſuo lumine, quod conſequimur in pia lectione; & ſicut noſtram deſidiam ac torporem interiùs excitat ſtimulis & motibus ſuæ gratiæ, quos experimur in meditatione; ità debilitatem & impotentiam noſtram roborat & confortat ejusdem gratiæ adminiculo, quod ab illo per orationem impetrare debemus.

Hinc præſenti libello, poſt Meditationum themata, inſeram quoque diverſas formulas de-

Digitized by Google

devotè ac fructuosè precandi. Quæ verò utilitatem ac neceſſitatem Orationis, utì & conditiones ad ejus efficaciam requiſitas concernunt, in Sermone S. Norberti ſufficienter vobis enucleata eſſe ſuppono. Et quia ſcio, magnum quotidie officij tam Canonici, quàm ordinariè currentis penſum DEO, Divæque Virgini choraliter reddendum, præter alia communia Religionis & Chori exercitia, quæ privatis devotionibus ſemper ſunt anteponenda, magnam temporis partem vobis eripere; nolui valde multas, ut facilè potuiſſem, agglomerare precationes, ſed illas potiſſimùm ſeligere, quas ſpecialibus DEI, Sanctorúmq; favoribus privilegiatas eſſe comperi, veſtróq; inſtituto congruere deprehendi, ex quarum numero unuſquisque pro ſuæ pietatis alimento, & ſalutis adminiculo, quod placitum fuerit, ſuis poterit uſibus deputare.

Quia etiam S. Paulus Apoſtolus vult nos eſſe orantes ſinè intermiſſione, quod adimplemus bene agendo & vivendo, cunctáque opera noſtra ex Charitatis motivo in Dei laudem & gloriam actualiter, aut virtualiter referendo; adjiciam aliquot piarum intentionum praxes, quibus opera quæcunque noſtra ve-

he-

hementer extolli, ac mirificè dignificari & appretiari poſſint.

Nec pro ſe tantùm unuſquiſq; debet orare, ac privatis propriæ devotionis actibus eſſe contentus, ſed alienam quoq; opem implorare,& à proximis ſuis precum,nec non ſacrificiorum ſubſidia frequenter poſtulare monet nos

Jaco.5. S. Jacobus Apoſtolus: *Orate pro invicem,ut ſalvemini. Multum enim valet* ad impetrandum *deprecatio juſti* fuſa pro alijs ex motivo Charitatis; & multos credo in gehenna nunquam fuiſſe arſuros, ſi aliorum precibus fuiſſent adjuti. S. Paulus Apoſtolus magnam ſpem atque fiduciam in orationibus aliorum fidelium pro ipſo ad DEUM fuſis ponebat, hinc ſe illis tam enixè commendabat:

Rō. 15. *Obſecro vos*, inquit, *Fratres per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, & per Charitatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me Orationibus veſtris pro me apud DEUM.* ✝ *Scio, quòd hoc mihi proveniet*

Philip. 1. *ad ſalutem per veſtram Orationem.* B. Gertrudis in quadam viſione ſibi revelatum accepit, quòd illi, qui ſe aliorum orationibus humiliter commendant, quaſi quibusdam manibus ducentium promoti ac ſubvecti, &

ex

Digitized by Google

ex utraq; parte vallati, recto tramite ad Chriſtum properent, alijs variè impeditis.

Nec ſolùm preces viatorum, ſed etiam, imò vel maximè interceſſiones & patrocinia Sanctorum, ac præſertim Beatiſſimæ Virginis interpellare debemus. Quo ſalutis adminiculo ſi quidam caruiſſent, æterna gehennæ incendia non evaſiſſent. Hinc etiam nonnullas precationes DEIparæ, aliísque Divis gratas adjungam.

Quin & animarum in Purgatorio exiſtentium opem & auxilium, ad promovendum, ac facilitandum noſtræ ſalutis negotium poſtulare debemus, quas DEUM orando, multa gratiæ beneficia nobis impetrare poſſe, non eſt dubium, etiam in purgatorio adhuc exiſtentes. Legitur in vita B. Catharinæ Bononienſis, quòd ſingulari ſemper affectu animas illas in purgatorio detentas fuerit proſecuta, & pro earum refrigerio crebras, & ardentiſſimas ad DEUM preces fundere conſueverit, ſéque in ſuis neceſſitatibus ijſdem commendare. Didicerat namque DEO revelante ſe plùs quàm ſexcentas gratias per animarum illarum interceſſionem cœlitus accepiſſe. Imò ſæpe cùm per Sanctorum Cœli Civium patrocinia quidpiam poſtularet, im-

Digitized by Google

impetrare non poterat, quamprimum verò animas purgatorij in patronas adhibebat, voti ſui compos efficiebatur. Novimus & alijs, cùm aliquid â DEO impetrare deſiderarent, inito cum animabus purgatorij pacto, rem deſideratam ſemper ex voto ſucceſſiſſe. Qui de hora mortis ſuæ præmoneri deſiderat, nè imparatus diſcedat ex hoc ſæculo, animabus in purgatorio charitatem impendat, quas adjutoribus ſuis maximam ſemper gratitudinem rependiſſe, ijſdémque non ſolùm multa gratiæ beneficia, ſed etiam finalem perſeverantiam, & vitam æternam â DEO ſæpius impetrâſſe, pluribus hiſtorijs eſt conteſtatum.

Ut verò illas pro noſtra ſalute apud DEUM habeamus deprecantes, earum nos ipſi frequenter ac devotè memores in precibus & Sacrificijs noſtris eſſe debemus; ſic mutuâ communione fiet, ut & noſtra ipſis proſit deprecatio, & nos illarum precibus adjuvemur.

Nec ſolùm æternæ ſalutis media ad ejus conſecutionem adhibere, verùm etiam obices, per quos in altera vita ejus conſecutio impediri ac differri poſſet, amoliri pro noſtra poſſibilitate debemus, ſive non tantùm laborare, ut gehennæ ſupplicia effugiamus, ſed etiam pro poſſibilitate adniti, ut purgatorij

pœ-

Digitized by Google

pœnas evadamus. Quem in finem præter fugam venialium peccatorum, & voluntarias in hac vita ſatisfactiones perſonaliter DEO præſtitas, crebriorem quoq; uſum Sacramentorum, rerúmq; ſeu rituum ſacramentalium, miſericordiæ affectum animabus defunctorum, ac devotionis cultum ſanctis Cœli Civibus impenſum, plurimùm nobis prodeſſe poterunt indulgentiæ, ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactionibus, Apoſtolicæ Sedis diſtributione communicabiles.

His medijs, Fratres Dilectiſſimi, non tantùm æternam ſalutem conſequi, ſed etiam purgatorij flammas evadere poteritis. Quod licèt propter tot hoſtium tam internorum, quàm externorum tentationes, tótq; mortis æternæ pericula, homini ſecundùm naturæ vires ſpectato ſit impoſſibile, cum Divina tamen gratia non ſolùm eſt poſſibile, ſed etiam facile. Multa vobis æternæ ſalutis adminicula per illam ſuggeruntur. Adhibete omnia, ut finem veſtrum tantò certiùs conſequamini, propter quem â DEO creati in hanc mundi regionem veniſtis, & ab eodem vocati, relicto poſt tergum ſæculo, Statum religioſum amplexi eſtis. Si finem amatis, & media diligite. Hæc ſi ad conſecutionem finis ve-

Digitized by Google

veſtri ſtudiosè adhibueritis, non patietur vos DEUS confundi àb expectatione veſtra, ſed faciet ſecundùm eloquium ſuum, ut qui nunc in hac flebili peregrinatione ſimul vivimus, etiam in cœleſti patria nobis æternùm convivamus. Quod ut fiat, ſicut ego in precibus meis & ſacrificijs quotidianam veſtrî memoriam facio, ità me viciſſim precibus veſtris & ſacrificijs, vósque unâ mecum Divinæ gratiæ ac miſericordiæ commendo.

F. Hieronymus
Abbas veſter indignus.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro 1. die Januarij.

Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiêrunt. *Apocal. 21.*

COnſidera ô homo, quomodo Matres plorantibus infantulis,&ad ſinum illarum recurrentibus, lacrymas ſoleant abſtergere, eóſque blandiſſimis verbis & geſtibus conſolari. Excedit verò infinities hunc affectum maternum bonitas & clementia divina,quam Sancti experiuntur in Cælo, dum poſt vitæ hujus exitum, poſt luctus, clamores & dolores, velut ex longa, moleſta & flebili peregrinatione ad Patriam revertuntur. Ibi Deus tenerrimo affectu illis abblandiens,lacrymas ab eorum oculis, dexterâ ſuæ benignitatis, & linteo conſola-

tionis abſtergit. O quanta erit illa conſolatio! minima ejus portiuncula eſt omnino ſufficiens, ad arefaciendum quemcunque lacrymarum torrentem, imò & Oceanum. Beati oculi, qui nunc liqueſiunt in fletibus, ut abſterſione & conſolatione illâ divinâ digni aliquando habeantur. Nemo ſperet hanc Dei clementiam & benignitatem, ſi nullas habet in oculis lacrymas, quas DEUS abſtergat. Elige igitur ô homo in hac vita mortali fletum & dolorem, ut in altera invenias gaudium & lætitiam, & rideas in die noviſſimo, in quo non exultabunt oſſa, niſi humiliata. Prima velociter abeunt, ſecunda æternum permanebunt. Succedet morti beatorum vita perpetua, luctui, clamori ac dolori momentaneo, pax & quies, lætitia & beatitudo ſempiterna.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 2. Januarij.

Adjuva me, & ſalvus ero. *Pſalm.* 118.

IMaginare tibi hominem quempiam undarum vorticibus jam jam ſubmergendum, vel in quocunque alio evidenti mortis periculo conſtitutum, de quo ſeipſum eruere nullo modo poſſit. Quantis ille precibus opem aliorum implorat, quos videt ſibi periclitanti poſſe ſuccurrere. Faciunt hoc mortales in temporalis vitæ periculis conſtituti, in ſalutis verò æternæ periculis non faciunt. Periclitantur ſingulis momentis de vita æterna, & ſciunt â nullo alio ſe adjuvari poſſe, quàm à ſolo Deo, ejus tamen gratiam nullatenus implorant, à quo vita & ſalus ipſorum æterna dependet. Digni proinde ſunt, ut æternùm interire â Deo permittantur, qui ſalutis ſuæ remedia contempſerunt. Quisquis ergo æternam animæ tuæ ſalutem diligis, in omnibus peccati & mortis æternæ periculis ad Deum confugias, ejus opem & auxilium implores, clamando: adjuva me Domine & ſalvus ero, ſalva me Domine & ſalvabor, ſinè tua gratia nihil proderit omnis mea induſtria; & ſi tua me adjuverit clementia, nihil con-

tra me prævalebit hoſtium quorumcunque poteſtas & malitia. Imò quia nunquam ſumus extra mortis æternæ periculum, ſint oculi noſtri ſemper in cœlum levati, unde divinæ gratiæ ſubſidium aſſiduè flagitemus. Nunquam verſiculus ille ab ore, nunquam â corde noſtro recedat: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Audiet ille invocantes, & in ſua gratia & clementia confidentes adjuvabit atque ſalvabit.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 3. Januarij.

Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos.

Iſaiæ 66.

VIde quantùm ſe mendici humilient, ut eleemoſynam accipiant, monſtrant ſua vulnera, declamant ſuam cæcitatem, paupertatem, aliáſque miſerias, ut homines ad miſericordiam flectant. Omnes nos miſeri homunciones mendici ſumus Dei Omnipotentis, cujus clementiâ & auxilio per ſingula momenta indigemus; quidquid enim ſumus, quidquid habemus, totum provenit ab illo divinæ liberalitatis fonte. Quin etiam vita & ſalus noſtra æterna dependet à cœleſti gratia. Quid igitur nobis agendum, ut divinam benevolentiam nobis conciliemus? humiliari debemus in conſpectu DEI, & ſpiritu contrito ac humiliato miſericordiam ejus implorare. Reſpicit ille in orationem humilium, & non ſpernit preces eorum. Dicat unusquisque: reſpice in me, quia

Digitized by Google

pauper ſum ego; appellare nos debemus miſeros & miſerabiles, pauperculos, cæcos & nudos; ut donis ejus repleamur, illos enim qui ſe reputant eſſe divites, dimittit inanes. Confiteamur ergo illi miſeriam & paupertatem noſtram, ut illam ſublevet; aperiamus illi vulnera noſtra, ut noſtrî miſertus illa ſanet. Tremunt etiam pauperes ad ſermonem divitum & potentium, ſic nos ad ſermones ipſius tremore concutiamur, & in conſpectu tantæ Majeſtatis, pavidi ac trepidantes incedamus cum metu ac humilitate. Ita fiet, ut miſericordiam ſuam & gratiam nobis impertiatur, humilibus enim ſua dona tribuit, humiles ſpiritu ſalvabit. Humiles reſpicit, ſuperbos verò â ſe abijcit, eósque â longè cognoſcit.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 4. Januarij.

Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum, ſtella enim â ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.

1. Cor. 15.

COnſidera pulchritudinem firmamenti, in quo tot pyropi ſtellarum ſunt infixi, quarum unaquæque differt ab alia in claritate. His omnibus lucidior apparet luna, ſol verò ſplendore ſuo aſtra omnia excedit. Hæc planetarum & firmamenti claritas nihil eſt ad claritatem cœli Empyrei, in quo ſingula beatorum corpora poſt ſuam reſurrectionem fulgebunt uti ſol, imò ſole ſplendidiùs. Si enim cujuscunq; beati corpus poneretur loco moderni ſolis, totum hoc univerſum longè perfectiùs illuminaret, quàm ipſe ſol. Quantus ergo erit Patriæ illius ſplendor, in quo tot ſoles fulgebunt, & alter altero glorioſiùs coruſcabit? quàm inſuper amœnus, quàm delectabilis? oculos enim beatorum nequaquam perſtringet, ſed ineffa-

Digitized by Google

bili jucunditate afficiet. Sic radiabunt in æternum illa corpora, quæ in hoc ſæculo fuerunt obſcura, contemptibilia, humiliata & mortificata, & unum altero pro vitæ ſuæ meritis ſplendidiùs rutilabit. Si appetis illam claritatem æternam, & è contra refugis tenebras exteriores & obſcuram atque infelicem illam noctem reproborum, contemne hujus mundi pulchritudinem, & ſplendorem præſentis ſæculi. Labora etiam indeſinenter, ut præclarum aliquem in illa cæleſti gloria beatitudinis & claritatis gradum obtineas; quanquam ibi non parvæ ſit gloriæ, vel minimum eſſe, & inter Sanctorum calcanea levare caput.



MEDI-

MEDITATIO
pro die 5. Januarij.

Ambula coram me, & eſto perfectus. *Gen. 17.*

QVàm perfectè ſervus quilibet ſua obit munia, qui ſe in conſpectu Domini ſui videt ambulare, quem ſcit eſſe ſedulum obſervatorem viarum, & ſeverum vindicem tranſgreſſionum ſuarum. Conſiderat nos ſingulis momentis, & ſpeculator adſtat deſuper Dominus infinitæ Majeſtatis, qui nos diebus omnibus, actúsque noſtros proſpicit de luce prima in veſperam, qui & corpus noſtrum ſtatim occidere, & animam confeſtim mittere poteſt in gehennam. Nihilominus in ejus ſervitio ita pigri ſumus & tepentes. Ambula inquit coram me, non ſta vel pigreſce. Ambulandum nobis eſt in via DEI, hoc eſt nunquam ſtandum & quieſcendum, ſed ſemper eundum de virtute in virtutem, ſemper proficiendum. In via námque DEI non progredi, regredi eſt. Ambulandum nobis eſt fortiter ac ſtrenuè, quamdiu nobis fulget præſentis vitæ dies, quamdiu

Digitized by Google

lumen habemus divinæ gratiæ, ut nos tenebræ non comprehendant. Qui ſic ambulat, perfectus eſt Chriſtianus & Religioſus. Qui verò ſtat vel retrogreditur, ſervitium ſuum negligenter perficit, & Domini ſui mandatum atque præſentiam contemnere videtur. Cùm idem in perſona judicis viſibiliter advenerit, â ſervis pigris & negligentibus pœnas exacturus, quò â facie ipſius fugient? non curant modò in ejus conſpectu pigreſcere, & mandata ejus violare, quia patiens eſt; Veniet tempus cùm judicati contremiſcent â facie ipſius.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 6. Januarij.

Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, Mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

Joan. 16.

DUæ in hoc mundo ſunt hominum conditiones, una ridentium, altera plorantium. Vivunt paſſim hilariter & proſperè homines mundani, fruuntur honoribus, opibus ac delicijs, ducunt in diverſis bonis & jucunditatibus dies ſuos, nec quicquam patiuntur ſuper contritione Joſeph. Sancti verò quos DEUS elegit de hoc mundo, quàm plurimas habent triſtitiæ cauſas. Varijs cruciantur doloribus, varijs tribulationibus à DEO exercentur, & multas patiuntur quotidie preſſuras; nec modica ijsdem accedit luctûs atque doloris materia, quòd videant mundanos homines riſibus importunis circumſtrepere, exultare in rebus pel-

Digitized by Google

peſſimis, bonis apparenter frui diebus, & neſcire quoniam dies mali ſunt. Dicunt homines mundani ad electos: *cantavimus vobis tibijs & non ſaltâſtis*; Electi verò illis: *lamentavimus & non plorâſtis*, nec lætantibus & cantantibus ſortem ſuam invident, ſciunt enim, quàm brevis ſit ipſorum lætitia, ſciunt, quòd impij ſerventur in diem malum, & quòd extrema ipſorum gaudij luctus occupet ſempiternus, ſua verò triſtitia convertenda ſit in gaudium. Veniet profectò tempus, cùm utraque ſcena diverſo & contrario fine terminabitur. Et mundi quidem iſtius homines lamentabuntur in tormentis, nec tamen Sancti ad illorum lamenta plorabunt; è contra Sancti cantabunt in tibijs, reprobi verò non ſaltabunt, ſed erit illis in luctu infernali Sanctorum muſica importuna narratio. Igneis tunc lacrymis vanitatem, atque dementiam ſuam miſeri deplorabunt, ſancti verò exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus ſuis.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 7. Januarij.

Amicitia hujus Mundi inimica eſt DEI, quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus DEI conſtituitur.

Jacobi 4.

RArum eſt, ut quis alicui poſſit eſſe amicus, & ſimul hoſtem ejus diligere. Qui enim amicum verè diligit, omnes illius hoſtes odit. Magna & irreconciliabilis inimicitia intercedit inter DEUM & mundum. Vult nos DEUS mundana contemnere, appetere cæleſtia, fugere honores, ſpernere divitias & carnis voluptates, amare ſolitudinem & ſilentium, colere ſimplicitatem, ſobriè, juſtè ac piè converſari in hoc ſeculo. E contra mundus jubet homines divina faſtidire, diligere vanitatem, & quærere mendacium, honores ambire, opibus inhiare, ſectari delicias, turbis & loquacitate delectari; ſuadet fraudes & injuſtitias, & fautor eſt omnis impietatis, DEUM odit, & bonos quoſque perſequitur. Hunc nemo poteſt diligere, vel ab eo diligi, niſi DEUM odio habeat;

nec

nec Deum amare vel à Deo amari, niſi oderit mundum. Neceſſarium eſt ergo, ut unum diligat, alterum odio habeat; ab uno diligatur, alterius odium ſuſtineat. Vide jam ô homo quid eligere debeas. Brevis & momentanea eſt mundi gratia, DEI verò amicitia ſyncera & ſtabilis, quæ durat in æternum. Tranſit Mundus & ſuos deſerit amatores; ac ab ijſdem licet invitis in morte deſeritur. Dilige DEUM, illum tibi amicum elige, quia fidelis & benignus eſt omnibus amicis ſuis. Illum time, quia inimicis ſuis horrendus eſt, ac terribilis. Inimicitia hujus mundi nihil eſt curanda. Imò beatus quem odit mundus, hunc enim DEUS diligit.

Simus ergo mundo inimici, ut DEI amici efficiamur.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 8. Januarij.

Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.

Eccli. 15.

SI hominibus detur optio inter vitam & mortem temporalem, inter lucrum & damnum temporale, ut ex his quodcunque placitum ſibi eligant, non cunctantur, ſed eligunt ſibi vitam & lucrum. Proponitur ipſis à Deo bonum & malum æternum, vita & mors æterna, & inter utrumque datur optio; extendunt ſtulti mortales manus ſuas ſpreto bono æterno ad malum æternum, contemptâ vitâ æternâ eligunt mortem æternam. Hinc nulla ipſis ita volentibus à DEO irrogatur injuria, dum quod ſibi placitum habent, accipiunt, perditio illorum ex ipſis eſt. Sed dicit peccator: nolo mortem, ſed vitam æternam, volo præmium, non ſupplicium. Verba hæc ludicra ſunt & nugacia. Non vult mortem, & tamen lethalia animæ ſuæ vulnera quotidie infligit; refugit combuſtionem æternam, & tamen in ignem infernalem, in quo æternùm arſurus

Digitized by Google

rus eſt, ligna, hoc eſt peccata, quotidie comportat. Vult præmium, & tamen de merito nihil curat, ſine quo non poteſt obtineri præmium. Vide igitur ô homo quid eligas. Dotavit te DEUS libero arbitrio, & reliquit te in manu conſilij tui; cave nè ſtultam facias electionem, ſerò alioquin ſapies, & igneis lacrymis tuam ipſius dementiam deplorabis. Ad quod nunc manum extenderis, hoc in æternum habebis. Si volueris maledictionem veniet tibi, ſi nolueris benedictionem elongabitur â te. Non vis cum reprobis eſſe maledictus, & intrare cum illis in ignem æternum, ſed potiùs cum benedictis intrare in vitam æternam, poſitum eſt hoc totum in voluntate tua cum divina gratia. Deus neminem ſalvat nolentem, neque nolentem condemnat. Si tamen bonum appetis finem, adhibe media, quibus pervenire poſſis ad illum finem, fac bonum & bonum habebis; declina â malo, & malum effugies.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro 9. Januarij.

Ante mortem nè laudes hominem quenquam.

Eccl. 11.

VAna eſt laus hominum, qui alios de ſcientia, honoribus, divitijs, alijsque bonis temporalibus laudant, quæ malis & bonis ſunt communia. Vana etiam & tranſitoria eſt laus hominum, quæ de ipſa virtute & ſanctitate naſcitur, niſi dies mortis illam confirmet. Quamvis homo in Dei gratia ſibi conſtitutus videatur, quod ipſum ſcire nobis eſt difficile, mille tamen caſibus & fragilitatibus ſubjectus eſt. Et quid prodeſt vitam laudabilem egiſſe ad tempus, in fine autem deficere? finis hominis de univerſa vita judicat, & ſola perſeverantia in Cœlo coronatur. Quid prodeſt vaſi ſua elegantia, ſi poſtea in teſtas confringatur? quid prodeſt ſalis præcedens acredo, ſi poſtea infatuatum pedibus incedentium proteratur? quid prodeſt in mari optatum curſum diu tenuiſſe, ſi ultimò navis ad ſcopulos allidatur? ô quales & quan-

Digitized by Google

ti viri doctrinâ & virtute præclariſſimi, poſt longum ſanctæ & Religioſæ vitæ curſum, in portu naufragium fecerunt, & qui jam inter ſidera nidum ſibi collocâſſe videbantur, miſerè ad extremum præcipitati ſunt. Unus tibi Judas ad conſiderationem ſufficiat. Quid illi profuit niſi ad majorem fortè damnationem vixiſſe Apoſtolum, & ad tempus virtutibus ac ſignis claruiſſe, in fine verò DEI gratia privari, & ignibus æternis cũ diabolo & Angelis ejus deputari. Quid prodeſt laus quæcunque temporalis, ſi eam excipiat opprobrium ſempiternum? laudem illam ſolam debemus ambire, quæ eſt æterna. Hanc verò ut conſequamur, gratiæ divinæ adjutorio nobis opus eſt, quod ardentiſſimis atque humillimis precibus & ſuſpirijs â DEO aſſiduè imploremus, ut nobiſcum ſit, & permaneat uſque in finem.



MEDI-

MEDITATIO

Pro 10. Januarij.

Ante omnia mutuam in vobiſmet ipſis charitatem continuam, habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

1. Petri 4.

INter omnia præcepta maximum eſt & principale præceptum charitatis, quâ DEUM diligere debemus, & proximum propter DEUM. Non diligit Deum, qui non diligit proximum. Quis Patrem diligit, ſi filios ejus confratres ſuos odit atque perſequitur? omnes ſumus ejuſdem Patris filij, omnibus eadem hæreditas in Cœlis eſt repromiſſa, ſi tamen Patris noſtri præceptum de mutua dilectione adimpleverimus. Qui ſe dicit Deum diligere, & odit fratrem ſuum, mendax eſt. Ut ergo hæreditatem nobis à Deo promiſſam aſſequamur, diligamus fratres. Hæc regia ad cœlum via eſt. Charitas â ſcopo ſibi propoſito nunquam excidit, & operit quamcunque multitudinem peccatorum. Delet præterita, excuſat præſentia, præcavet futura.

Charitas eſt veſtis nuptialis, ſine qua nullus ad cœleſte convivium admittitur. Beata Urbs illa Jeruſalem, dicta pacis viſio, non niſi pacificos & ſe invicem amantes ad ſui habitationem recipit. Nullum in illa reperitur fel amaritudinis, ſed mel æternæ dilectionis. In illa hæreditate ſancti omnes dulciſſimo perpetuæ charitatis vinculo ſibi compaginati, Deo ſuo, qui eſt æterna charitas, jugiter adhærebunt. Si ergo bonum tibi videtur in filiorum Dei ſorte computari, ad cœleſtem illam hæreditatem admitti, & Deo tuo jugiter adhærere, proximum dilige, pacem & concordiam cum omnibus ſectare, ne alioquin â beata & pacifica illa communitate excluſus, pervenias ad locum horroris ſempiterni, in quo ſe invicem reprobi morſibus & maledictis lacerabunt per omnem æternitatem.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 11. Januarij.

Aſpicient ad me, quem confixerunt. *Zach. 12.*

COnſidera, quòd nullus adeò effrons ac temerarius latro reperiatur, qui non formidet, non expaveſcat illum ſuſtinere judicem, quem â ſe aliquando contumelijs aliisque gravibus injurijs affectum meminit. Peccant quotidie filij hominum, & graviſſimis divinam Majeſtatem injurijs afficiunt, iisque tantò crebrioribus & acerbioribus, quantò illa diutiùs & patientiùs malitiam illorum ſuſtinet, denuò quantùm in ipſis eſt, crucifigentes ſibi filium DEI, & oſtentui habentes. Quid facient, cùm idem ipſe venerit ad judicandum, in gloria & maieſtate, cum ſanctis Angelis & electis millibus ſuis? Quid reſpondebunt, cùm illis flammeo atque horrendo vultu, & tremendâ voce tonitrui ſui, crucem exprobrabit & vulnera? ecce me, quem aliquando crucifixiſtis, ecce vulnera, quæ inflixiſtis. Dicent fortaſſe: Domine, quando te vidimus? quando te vulneravimus vel confiximus? Judæi & milites hoc fecerunt. Quibus ille reſpondebit: peccatis veſtris flagellatus, peccatis veſtris de-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

denuò crucifixus & occiſus ſum. Hæc mihi graviora & moleſtiora fuerunt, quàm ulla corporis flagella, quàm crux & mors. Ite igitur maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Quæ tunc ſpes poterit eſſe miſeris ſub tali Judice? quantus erit tremor & horror? cùm reddiderit ultionem hoſtibus ſuis, & ſagittas ſuas ſanguine inimicorum ſuorum inebriaverit, â quibus olim tam crudeliter fuerat confixus. Erit miſeris omni gehennâ intolerabiliùs horrendum illum irati judicis vultum ſuſtinere. Cave nunc ô homo Judicem tuum offendere, ſi ejus aſpectum in illa die benignum & placabilem vis habere.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 12. Januarij.

Attendite vobis, nè fortè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. *Luc. 21.*

EAdem eſt hominum vana ſecuritas & improvidentia quæ avium. Vidiſti aliquando aves dulciter canentes, ſaltantes, eſciſque propoſitis hilariter veſcentes, repentè captas & illaqueatas. Sic etiam mundani homines exultant in ſuis vanitatibus, delicias avidè ſectantur, gulæ ventrique ſerviunt, inanibus mundi negotijs occupantur; at dum minimè putant ſupervenit repentina mors, & omnibus ipſorum gaudijs atque delicijs finem imponit. Ità contigit in diebus Noe ante diluvium: erant enim tunc homines comedentes & bibentes, gaudentes & luxuriantes, uſque ad eum diem quo intravit Noe in Arcam, & non cognove-

Digitized by Google

runt, donec venit diluvium & tulit omnes. Ità factum eſt in Sodomis, ubi cùm ſceleratiſſimi homines in medijs ſuis voluptatibus, & obſcæniſſimis peccatis nihil minus quàm mortem cogitarent, ſubitò ignis de Cœlo miſſus, & terra os ſuum aperiens, ipſos cum univerſa illorum civitate devoravit. Cogita quantus pereuntium terror fuerit & planctus. Scis Holofernem vino gravatum, & Siſaram lactis potu dulciter ſoporatum, ſoporem morti ſociâſſe, idémque hominibus alijs quamplurimis contigiſſe. In die enim quâ minimè putatur venit filius hominis, & cùm ſtulti homines dicant pax & ſecuritas, tunc repentinus illis ſupervenire ſolet interitus. Nè igitur idem tibi contingat; fuge omnes ſæculi hujus vanitates atque delicias, quæ cor hominis inebriant atque dementant; extremum vitæ diem aſſiduè cogita priusquam veniat, ut cùm venerit paratum te inveniat.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 13. Januarij.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. *Matth.* 5.

NUllus eſt noſtrûm qui non indigeat magnâ Dei miſericordiâ. Væ laudabili etiam vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ judicetur. Si ergo ſalutis noſtræ ſumus amantes, omnibus modis conari debemus, ut nobis divinam miſericordiam conciliare poſſimus. Hanc autem nobis meliùs conciliare non poſſumus, quàm ſi erga proximos ipſi miſericordiam exerceamus. Quales enim nos proximis noſtris exhibuerimus, talem ſe Deus in die illa tremenda nobis exhibebit. Plus ille diligit miſericordiam, quàm ſacrificium, nec quicquam aliud in ſuis electis collaudabit in die judicij, quàm opera miſericordiæ. Beati ergo miſericordes, invenient enim in illo die miſericordiam. Stat illa ante fores inferni, & nullum qui eam exercuit permittit ire in tenebras. E contra judicium durıſſimum & ſine miſericordia ei fiet qui non fecit miſericordiam. Libenter igitur exerce opera miſericordiæ tam corporalia, quàm ſpiritualia.

Compatere ex animo proximis & confratribus tuis, in omnibus tam corporis, quàm animæ neceſſitatibus, & cùm tibi facultas non deeſt, eas pro poſſibili cum intimæ charitatis affectu ſtude ſublevare. Ità fiet ut periclitari non poſſis in judicio, ſed quantumlibet multis peccatis coram divino Tribunali fueris accuſatus, dicere poſſis cum fiducia: Domine DEUS verax & fidelis in omnibus verbis tuis, exaltet miſericordia judicium; feci quod juſſiſti, exhibe quod promiſiſti. Feci miſericordiam, redde miſericordiam.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 14. Januarij.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit ſpiritus, ut requieſcant â laboribus ſuis. *Apocal. 14.*

MAgnæ ſunt in hoc mundo miſeriæ hominum & calamitates. Quis eſt quem non ſæpiùs dolores torqueant, labores fatigent, curæ moleſtent, angores coarctent, paſſiones exagitent? tantis hæc vita malis repleta eſt, ut mors æſtimari debeat non eſſe pœna, ſed remedium & finis malorum, & meritò ſacra ſcriptura viventibus præferat mortuos, quos & beatos nominat. Beati mortui, ſed non omnes: illi ſoli beati, qui in Domino moriuntur. Nullus autem in Domino moritur, qui non priùs vixit in Domino, Chriſti mandatis & vitæ ipſius ſe conformans. Fuit ille vir dolorum, & in laboribus â juventute ſua. Illum imitemur, & ſtrenuè cum Chriſto in hac vita laboremus, adverſa quæcunque pro ejus amore libenter patiamur, ut aliquando animæ noſtræ ex hac lacrymarum valle egredienti ab ipſo dicatur: Veni ſponſa,

Digitized by Google

ſa, requieſce amodò â laboribus tuis. O! quàm beata, quàm jucunda erit illa ſanctorum requies in Sabbatho æternitatis. Nulli autem dicitur: requieſce, qui priùs non laboravit. Unde qui in labore hominum non ſunt, & cum hominibus in hoc ſæculo non flagellantur, ſed vivunt quietè, voluptuosè, ac delicatè, non requieſcent in altero ſæculo, ſed laborabunt in finem. Similiter & illi, qui quidem in hoc ſæculo laborant, non tamen Deo, ſed carni, mundo & diabolo, qui quidem adverſa patiuntur, paſſiones tamen ſuas in Deum non referunt; neque hi â laboribus requieſcent, ſed de luctu temporali ad luctum transferentur æternum, in utroque ſæculo miſeri & infelices. Horum mors verè peſſima, quæ non eſt finis temporalium, ſed initium æternorum malorum. Laborandum ergo nobis eſt ſtrenuè in præſenti ſæculo, ut in altero beatam illam requiem conſequamur.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 15. Januarij.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. *Matth. 5.*

SIcut multi ſunt, qui maximis in divitijs pauperem gerunt animum, ſic etiam non deſunt alij, qui cùm ſint in maxima rerum omnium penuria & paupertate conſtituti, animum tamen habent opulentum, quia opes mundi hujus etſi non habeant, eas tamen habere concupiſcunt. Hi quamvis ſint pauperes cenſu, non ſunt tamen pauperes ſpiritu. Paupertas ſpiritûs omnia contemnit, & cùm nihil habeat, nihil etiam habere deſiderat, ſed nudum Chriſtum nuda ſequitur. Beati ſunt ejuſmodi pauperes, quoniam omnibus hujus ſæculi Regibus & Principibus ſunt ditiores, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes, ipſorum enim non erit tantùm, ſed jam eſt regnum Cœlorum. Quid glorioſiùs, quàm Regem eſſe Cœlorum? non credit hæc mundus, qui ex ſignis externis tantummodo judicat, & pauperes quos mundi bonis carere videt, miſeros eſſe reputat ac infelices. Veniet au-

autem tempus, cùm tranſibit figura hujus mundi, & pauperes antè contempti ac deſpecti, poſſeſſionem Regni Cœlorum accipient, Chriſtóque judicanti aſſidebunt, judicantes cum illo duodecim tribus Iſrael. Glorietur itaque frater humilis in paupertate ſua, per quam Regni Cœlorum jus atque dominium acquirit. Quis non contemnat omnes ſæculi divitias & honores, ut æterni Regis titulum conſequatur, & ſuper omnia mundi Cælique bona conſtituatur? Si ergo fratres divites & honorati eſſe cupitis, omnia hujus mundi tranſitoria bona contemnite, jacturâ temporalium æterna quærite, & in illa cœleſti aula pro Regibus adſcribi feſtinate.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 16. Januarij.

Beati qui audiunt verbum DEI, & cuſtodiunt illud.

Lucæ 11.

COnſidera ſervum aliquem Domino temporali ſervientem; an non ab illo exigitur, ut non tantùm libenter audiat & percipiat mandata ſui Domini, ſed illa etiam opere exequatur? profitemur nos eſſe ſervos divinæ Majeſtatis, ut proinde noſtrum obſequium gratum illi ſit & acceptabile, ante omnia ſcire debemus quid fieri velit â nobis; nec ſufficit voluntatem ejus audire vel ſcire, ſed etiam neceſſarium eſt illã cuſtodire in mente ſeu memoria, & in opere ſeu vita. Beati ſunt ſervi illi, qui hoc faciunt. Nec ipſa Dei Mater ideo beata, quia incarnatum Dei Verbum ſuo portavit utero, & uberibus ſuis lactavit; ſed ideò beata, quia Verbum Dei foris auditum opere cuſtodivit. Nihil ergo prodeſt, Dei voluntatem præcipientem aliquid, vel prohibentem, audito vel lecto ipſius verbo intelligere, ſi eam opere non curamus adimplere. Nihil inquam prodeſt, niſi ad majorem damnationem.

Ser-

Servus, enim ſciens Domini ſui voluntatem, nec tamen illam faciens, vapulabit multis. Cogita jam ſerve nequam & improbe, quoties Dei mandata, ſive exteriùs per homines, ſive interiùs in corde loquentis audiêris, ei tamen non obtemperaveris, ſed permiſeris ſemen illud optimum in corde tuo ſuffocari, & ſine ullo bonorum operum fructu interire. Meritus es proinde cum ſervo illo nequam, pigro & inutili, projici vinctus in tenebras exteriores, ubi eſt fletus & ſtridor dentium. Deinceps igitur non tantùm libenter audi, ſed etiam diligenter cuſtodi Verbum DEI, nè aliquando contremiſcas à verbo aſpero, cùm Dominus ad judicandum venerit. Exclama ſæpè ad Dominum: Doce me facere voluntatem tuam, paratum cor meum Domine, paratum cor meum, jube quod vis, dona quod jubes.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 17. Januarij.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. *Matth. 5.*

SI tibi ô homo pro minimo hujus vitæ dolore, per unum alterùmve temporis punctum duraturo, mille anni veræ lætitiæ ac felicitatis â Deo promitterentur, annon libenter illum dolorem perferres, ad lucrandam tot annorum jucunditatem? promittitur tibi modò non centum, non mille annorum, ſed æterna conſolatio, delectationes & jucunditates infinitæ, quibus nihil unquam ſimile oculus vidit, vel auris audivit, vel in cor hominis cujusquam aſcendit. Pro his omnibus nihil â te aliud exigitur, quàm brevis hujus vitæ dolor & luctus. Quod pretium infinities minus eſt, quàm dolor etiam quicunque minimus & momentaneus, reſpectu gaudij mille annis, vel millium millibus duraturi. Æterna ergo lætitia & felicitas, dolore ac triſtitiâ temporali promerenda eſt. Beati ſunt illi, cum quibus DEUS tam favorabilem init contractum; ſi tamen non tantùm credunt divinas promiſſiones, ſed etiam earum participes fieri conantur; niſi priùs ſeminaverint cum lacrymis, nun-

quam cum gaudio metent. Ipſæ lacrymæ ſunt gaudij ſemen, quod nobis æternæ lætitiæ ſegetem progerminat. Lugeat ergo anima; & quid homini faciliùs inter tot mala, quàm lugere? Conſidera ô homo quàm ſis miſer ſecundùm corpus & animam, quot & quantis æternæ damnationis periculis expoſitus, quot peccatorum debitis obſtrictus. Unde tibi cauſa risûs aut lætitiæ: aſſume potiùs luctum & planctum, deficiat in dolore vita tua, & anni tui in gemitibus; veniet tempus, cùm pro momentaneo hujus vitæ luctu, æternam â Deo recipies conſolationem.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 18. Januarij.

Beatus homo, qui corripitur â Deo. *Job. 5.*

DUplex eſt correptio quâ DEUS homines corripit. Una quæ fit ex ira, altera quæ fit ex miſericordia. Reprobos DEUS corripit ex ira, dum eorum pecccata tanquam juſtus & ſeverus Judex ac vindex æternis ſupplicijs plectit. Electos verò ſuos corripit in miſericordia, tanquam benignus Pater, dum culpas & nævos illorum temporalibus doloribus immiſſis abſtergit, eosque flagellat & caſtigat, non tam in pœnam & ſatisfactionem pro peccatis ante commiſſis præſtandam, quàm in correctionem, nè in graviora peccata labantur, & cœleſti hæreditate aliquando priventur. Conſidera jam ô homo, ſi aliquid temporali morte ac ſupplicio dignum egiſſes, quantam tibi miſericordiam præſtaret Judex, qui tibi vitam condonaret, aliasque mitiores pœnas ad tempus in ſatisfactionem infligeret? felicem te ac beatum haud dubiè reputares. Quoties tamen divina miſericordia ſcelera tua, quibus pridem æternam mortem, & horrenda gehennæ ſupplicia fuiſti promeritus, temporalibus hu-

 jus

jus vitæ flagellis punit, non tantùm non gaudes, ſed etiam impatienti animo quandoque obmurmuras. Nullum peccatum eſſe poteſt impunitum; ſi â te vel â Deo non punitur in hac vita, punietur in altera, & graviſſimis quidem pænis ſive inferni, ſive purgatorij. Beatus ergo ille, qui â Deo in hac vita ſic corripitur, ut nulla ipſius correptio in alteram vitam differatur; è contra infelix ille, cui Deus in præſenti ſæculo nullam infligit pœnam, ſed in altero æterna illi flagella præparat. Increpationem ergo Dei nunquam reprobes. Dic potiùs: Ecce ego Domine in flagella paratus ſum, corripe me nunc in miſericordia, nè aliquando in furore tuo arguas, & in ira tua corripias me. Scio peccata mea multa & gravia, quibus iram tuam promerui, hoc unicum rogo; ut hîc quibuscunque doloribus & adverſitatibus immiſſis illa punias, nihil mihi pœnæ in futurum reſerves, hîc uras, hîc ſeces, hîc flagelles, hîc nihil mihi parcas, ut in æternum parcas.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 19. Januarij.

Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. *Proverb. 28.*

PErpende ô anima, quòd,quamdiu vivis in hoc mundo, habites in Regione hoſtili, in qua omnia ſunt plena laqueis, & mortis æternæ periculis. Innumeri ſunt hoſtes, qui te â dextris, & ſiniſtris circumſtant, & nihil aliud quærunt, quàm æternam tibi vitam ac ſalutem eripere. Beatus homo ille, qui ab eorum dolis atque inſidijs liber evadit. Quis autem eſt ille? nonniſi qui ſemper eſt pavidus, eorumque dolos ac technas aſſiduè obſervat. Non facilè mus capitur, qui timet muſcipulam; non facilè piſcis eſcam lethiferam arripit, qui hamum formidat; non facilè volucres laqueis implicantur, quibus cognitæ ſunt aucupum inſidiæ. Videmus hæc animalcula mortem effugere per ſuum timorem & circumſpectionem, quoties verò nullum timent periculum, capturam & mortem incurrere. Tum per collium prærupta, per montium præcipitia, per lubrica viarum, per glaciem, per lutum ambulas, quàm cautè, quàm timidè incedis, & quia caſum metuis, ideo frequenter caſum evadis. In via

tamen ſpirituali adeò es improvidus & incircumſpectus, ut nihil cures de ſalutis æternæ periculis, cujus jacturam per unicum peccati mortalis lapſum facilè potes incurrere. Ambula ergo cautè, ſolicitè, ac circumſpectè, ut omnes hoſtium tuorum laqueos, & ſalutis tuæ pericula illæſus tranſgrediaris; utque ad patriam cæleſtem per hoſtilem hanc regionem ſecurus pervenias, nunquam te reputa ſecurum. Tunc vera erit ſecuritas, cùm nulli hoſtes animæ tuæ inſidiabuntur, cùm dicere poteris: non movebor ampliùs in æternum. Time nunc, ut habeas quod ſperes. Timor iſte veram in hac vita parit fiduciam, & æternam in altera ſecuritatem.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 20. Januarij.

Benedictus vir, qui confidit in Domino. *Jerem. 17.*

VIdemus in humanis id accidere, ut eos quisque magno affectu proſequatur, & quibus poteſt viribus adjuvare conetur, quos videt in ſe habere confidentiam, diffidentes è contra deſerat. Adjuvat etiam Deus omnes qui cum vera animi confidentia opem ipſius implorant. Videntur enim credere, Deum non tantùm poſſe & ſcire, ſed etiam velle neceſſitatibus ipſorum ſuccurrere, quod eſt ſentire de Deo in bonitate; è contra deſerit in ipſo diffidentes, credunt enim, Deum vel non poſſe, vel non ſcire, aut non velle ipſos adjuvare, quod eſt divinæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitati detrahere. Benedictus itaque homo, qui confidit in Domino, habet enim auxiliatorem optimum, ſapientiſſimum ac potentiſſimum. Maledictus è contra qui confidit in aliqua mundi hujus creatura, & ponit carnem brachium ſuum, qui ſpem ſuam ponit in hominibus, in quibus non eſt ſalus, vel in mundi bonis, aut corporis & animi ſui talentis, & innititur baculo arundineo & confracto; cadet enim cum

labili, nec quicquam ex his omnibus ipſum liberare poterit in die mala de manu Domini. Sunt enim omnia vana & inania, fluida & evanida, quæ ſpem ac fiduciam hominum in fine deludunt. Deus autem potens ac fidelis eſt ſuorum adjutor, nec quenquam deſerit, niſi priùs ab ipſo deſeratur. In hoc confide ô homo, ut hæredites benedictionem; in ipſo ſpera, ab ipſo magna cum fiducia opem & auxilium ſemper implora. Non patietur ille te confundi ab expectatione tua. Nullus enim in ipſo ſperavit & confuſus eſt. Dic frequenter cum magna erga ipſum cordis fiducia: in te Domine ſperavi, non confundar in æternum.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 21. Januarij.

Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. *Gal. 6.*

QVantos labores perferunt Agricolæ in terræ cultura? arant, occant, ſerunt; diverſas exercent operas in ſudore vultûs ſui, ut veſcantur pane ſuo, atque uberem ſementis fructum recipiant. Sæpiùs tamen accidit, ut multum ſeminent, nihil tamen vel parum in horrea coacervent, omnem ipſorum operam & expectationem terra deludat, ſpináſque illis ac tribulos germinet pro frumento. Si terræ hujus cultores ità laborant ſpe meſſis & fructûs modici & incerti, quo temporalem vitam conſervent, quantùm nos laborare decet, ut fruges æternæ vitæ neceſſarias nobis colligamus? & quidem tales, quæ ſpem nunquam deludunt, nec centuplo tantùm aut milleno, ſed infinito cum fænore ſeu fructu reddunt ſementem. Pretium tantæ tamque gaudioſæ meſſis ſolus eſt labor. Et quis non laboret tantillo vitæ hujus tempore, pro æterna & indeficienti meſſe? ô

quàm felices, qui nunc in labore ac fletu mittunt ſemina ſua, in æternitate verò portabunt cum exultatione manipulos ſuos. Quantillus etiam labor eſt, quem homo virtutum operibus impendit? quorum unumquodque licet minimum, immenſum ei progerminat æternæ gloriæ fructum. Deficiat potiùs in labore ac dolore vita noſtra, & ſtrenuè nos uſque ad ultimum vitæ punctum pro augmento lætiſſimæ illius meſſis impendamus, quàm ut otiosè nunc vivamus, bonum non agentes, & momentanei laboris tædio deficientes; ac deinde ſempiternam incurramus inopiam & confuſionem, cùm tempus non erit ampliùs ſpargendi meritorum ſemina, ſed quisque non niſi quæ in hac vita ſeminavit, illa metet. Indeſinenter itaque ac ferventer manus operi admoveantur, divinam quoque gratiam imploremus, ut nos in labore deficientes confortet, ac multiplicet incrementa frugum juſtitiæ noſtræ.

MEDITATIO

Pro die 22. Januarij.

Breves anni tranſeunt, & ſemitam per quam non revertar ambulo. *Job 16.*

QVàm celeriter nobis ad finem decurrit annus. Miramur in Decembri quorſum reliqui menſes tam citò abiêrint, & quamvis mille millionibus dierum quisque illorum conſtaret, brevis tamen videretur omnis illa duratio cùm transîſſet. Nec verò tantùm breves, ſed etiam pauci ſunt vitæ noſtræ anni, & hi penitus incerti, cùm nec unicum ſibi quisquam ſecurè poſſit promittere. Valde citò & inſperatè vita hominis è mundo tollitur. Utinam ſaltem fugaces anni, poſtquam ſemel transîſſent reverterentur, & nobis ad mortalem hanc vitam obitâ ſemel morte reverti liceret. O quantam pœnitentiam agerent reprobi, ſi hæc gratia ipſis â Deo contingeret; quanto non etiam ſtudio ipſi electi ad mortalem hanc vitam reduces bonis operibus inſudarent? in quos ſi nunc aliquis cadere poſſet dolor, ſummopere dolerent, ſe cæleſtem ſibi gloriam per merita non magis auxiſſe. At verò

rò nullus defacto ſperari poteſt annorum reditus, nec ad vitam ſemel peractam revertendi facultas. Flumina quidem cùm ſemel defluxerint, ad locum unde exiêrunt revertuntur, ut iterum fluant, homo autem ad vitæ ſemitam, quam ſemel perambulavit, nunquam revertitur, ſed poſt finitum hoc peregrinationis tempus, manet in uno ſtatu, fixóque ac immutabili termino per omnem æternitatem. Fac ergo nunc ô homo, quod in æternitate conſtitutus te in hac vita feciſſe velles. Dies vitæ ad pœnitentiam & virtutum exercitia tibi conceſſos ſalubriter impende, quos ſemel præteritos revocare nunquam poteris, multò minùs annos æternos abrumpere.

Cautè ambula, ut vitæ tuæ curſum feliciter abſolvas, periiſſe alioquin ſemel, æternum eſt.

MEDITATIO
pro die 23. Januarij.

Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.
Sap. 4.

DUplex eſt in homine vita, corporis & animæ. Habet corpus vitam ſuam, quæ in ſenſu & motu potiſſimùm conſiſtit; habet & anima vitam ſuam, quâ ſublatâ in corpore tametſi vivo moritur. Ut jam inter juvenem ac ſenem diſtingvas, noli ſolam corporis vitam attendere, licèt ſit diuturna & multorum annorum numero computata, ſed animæ potiùs, quæ principalior eſt hominis pars, ſtatum & conditionem attende. Nil prodeſt quoad corpus diu vixiſſe, ſi anima fuerit mortua. Expende jam tecum, quot annis ſecundùm animam Deo vixeris, & tot ſolùm annos te vixiſſe computa. Plures verò mortis, quàm vitæ annos reperies, quos ſi de vita detraxeris, modicum valde remanebit, ac deprehendes te multa valde tempora inutiliter ac ſine fructu perdidiſſe, quæ cum jam revocare non poſſis, cor ſaltem contritum & humiliatum Deo pro illis offer, ac firmiter in futurum pro-

pone,

Digitized by Google

pone, reſiduum tempus, quod tibi divina bonitas ad ſalutem tuam operandam & cæli gloriam promerendam conceſſit, ſedulò impendere. Noli de longa ætate gloriari, vel annos computare profeſſionis, cùm exiguus valde fructus ſit emendationis. Cani tui ſint, non crines capitis albicantes, ſed animi ſenſus & maturitas, ſive prudentia ſanctorum, quæ docet non tantùm ſcire omnia illa media, quæ homini ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſed illa etiam ad finem ſalutis applicare. Senectus tua ſit vita immaculata, ſive ab omni gravioris peccati macula immunis. Qui ſic ſenex moritur, tametſi fuerit in brevi conſummatus; explevit tempora multa. Alius è contra inſenſatus & vitâ maculatus, tametſi centum annorum fuerit, puer morietur.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 24. Januarij.

Caro & ſangvis Regnum Dei poſſidere non poſſunt.

1. Cor. 15.

COnſtat homo carne & ſpiritu, ſive corpore & anima rationali. Spiritus eſt potior hominis pars, incorporea & immortalis, juxta quam homo ad ſimilitudinem Dei formatus eſt, cui ſervire meritò debet caro & ſangvis, ſive corpus hominis, quod eſt ſubſtantia fæda & corruptibilis, quæ ſuâ etiam contagione ſpiritum ſæpiùs commaculat, inficit & corrumpit. Suadet ſpiritus ut ipſi caro ſubijciatur & mortificetur, cujus dictamen ſi homo contra carnem audit, & juxta leges ſui ſpiritûs vivit, totus quodammodò ſpiritus efficitur. E contra ſvadet caro ut ſpiritus ipſi ſubjiciatur, ejúsque appetitibus ac lenocinijs obſequatur; quam ſi homo audit in tantum, ut etiam ſpiritum eidem ſervire patiatur, fit carnalis, fædus, & corruptibilis, imò tranſit omnino in carnem & ſangvinem, quæ Regnum Dei poſſidere non poſſunt, in quod nihil poteſt introire carnale, corruptibile, vel coinquinatum. Solus

lus ſpiritus Deum videre poteſt, caro adhòc non prodeſt quicquam. Vis ergo Deum videre, conandum tibi eſt, ut ſis totus ſpiritus. Eris autem ſi caro & ſanguis in te non regnaverit, hoc eſt, ſi ſpiritus in te non fuerit obſecutus appetitibus & oblectationibus carnis & ſanguinis, ſed ſpiritualium ſpe bonorum, & virtutis amore, ſuper carnem & ſanguinem regimen habuerit, nihil carnalium voluptatum appetiverit, ſola æterna & incorporea dilexerit. Talis ſolummodò ſpiritus Regnum Dei poſſidet, & corpus ipſum miſerum ac mortale, reddet in die judicij ſpirituale, incorruptibile, ac immortale. Elige nunc ô homo, an carni & ſangvini, an verò ſpiritui regnum & imperium velis concedere. Si ſpiritus in te prævaluerit, carnem in cæleſtia ſecum rapiet; ſi caro, ſpiritum unâ ſecum ad tartara detrahet ac demerget.

MEDI-

MEDITATIO

Pro 25. die Januarij.

Caſtigo corpus meū & in ſervitutem redigo, nè fortè cùm alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. *1. Cor. 9.*

CONſidera horrendos caſus multorum, magnâ doctrinâ vitæque ſanctimoniâ præcellentium, qui cùm alijs ſalubria diu prædiverint, tandem carnis ſuæ appetitu ſeducti, facti ſunt reprobi, & de ſanctitatis faſtigio miſerè corruerunt. Quot non ſtellas obtenebravit, ac de perfectionis firmamento in peccata & gehennam detraxit carnis libido? quantos non leones domuit luxuriæ infirmitas delicata? Eccleſiæ columnas, duces gregum ſub hac peſte cecidiſſe legimus. Habemus in nobis domeſticum hoſtem potentiſſimum, carnem noſtram, quæ ſpiritum ſemper trahit ad illicita, & ſibi obſequentem ad inferos devolvit. Quid igitur agendum? mortificandum nobis eſt corpus, caſtigandum & in ſervitutem redigendum; infringendæ ac debilitandæ ſunt ejus vires, nè animam debellare, & in exitium ſempiternum præcipitare poſſet.

Si tuam ſalutem ô homo diligis, carnem odio habe; crucifige illam cum omnibus concupiſcentijs, nè alioquin amore carnis ſeductus, animam perdas. Nec ipſi carni expedit â te foveri & amari, eique dominium ſuper animam relinqui, hoc enim modo & ipſi æternum theſauriſas dolorem. Meliùs eſt ut modico vitæ hujus tempore mortificationem ſuſtineat, & ſpiritui plenè ſubjecta ipſi ad omne opus bonum cooperetur, ac ſocia paſſionis, ſocia tandem fiat æternæ voluptatis & conſolationis, quàm ut modò gaudeat, & pro momentanea delectatione luctum atque tormentum ſempiternum recipiat.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 26. Januarij.

Cognovit Dominus qui ſunt ejus. 2. *Tim.* 2.

DUæ dantur hominum ſortes, electorum & reproborum; duo mortalium greges, in quorum uno ſunt agni, in altero hædi. Agni ſeu electi ad Deum pertinent, cui in vita fideliter ſerviêrunt, ſuntque de cæleſti familia, Dei filij & hæredes, qui etiam cum ipſo in cœleſti regno æternùm gaudebunt. Reprobi pertinent ad diabolum, cujus ſuggeſtionibus in vita obſequuntur, ſunt ex Patre diabolo, cum quo etiam ibunt in ignem æternum præparatum ipſi & Angelis ejus. Neceſſarium eſt ô homo, ut unam ſortem ex his æternùm ſubeas; & quamvis tu neſcias quò pertineas, & quid tecum poſt mortem futurum ſit, Deus tamen ab æterno id optimè novit. Scit ille an in libro vitæ ſcriptus ſis, & cum ipſo æternùm in cœlis gaviſurus; an ſcriptus in libro mortis, & in gehenna æternùm cum diabolo arſurus. Novit enim omnes, qui ſunt ejus; qui permaneant ad gloriam, qui ad flammam. Sed inquies: ſi me Deus infallibiliter videt æternum fore diaboli mancipium, neque videt eſſe unum ex præ-

Digitized by Google

deſtinatis, ut quid ſalutem meam operor? talis æternùm ero; qualem me Deus fore prævidit. Attende pauliſper: talis æternùm èris, qualem te in vita feciſti, & qualem te in vita feceris; talem te Deus jam prævidit ab æterno. Totum in tua ſitum eſt poteſtate. Certa viriliter, & in Dei obſequio finaliter perſevera, ſic facies ut te Deus præviderit eſſe unum ex electis. Quòd ſi fueris partes diaboli ſecutus, ejusque ſervituti, contempto Dei obſequio, te addixeris, nec ante mortem reſipueris, hoc ipſo facies, ut te Deus ab æterno præviderit eſſe unum ex reprobis. Ideo autem noluit, ut ſcires, quid determinatè ſis futurus, nè in ejus obſequio torpeſcas, ſed cum ſpe ac timore ſalutem tuam opereris.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 27. Januarij.

Confige timore tuo carnes meas, à Judiciis enim tuis timui. *Pſal.* 118.

TRemenda ſunt DEI judicia, & horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Nemo credit mortalium, quàm diſtrictè judicet DEUS, & quàm ſeverè puniat. Si ſcires ô homo, quàm rigoroſam de omnibus operibus tuis redditurus aliquando ſis rationem, nunquam certè rideres, nec quicquam mundanæ vanitatis appeteres. Eſto igitur ſemper pavidus, cum metu ac tremore ſalutem tuam operare, verêre omnia opera tua, ſciens quod DEUS in judicio nulli parcat delinquenti, ſitque acerrimus in altera vita peccatorum vindex. Et quis non peccator coram Deo? tametſi nihil tibi ſis conſcius, non in hoc tamen juſtificatus es. Videt ille multa; quæ tu non vides, opera etiam quæ tu putas eſſe virtuoſa, ille judicabit, dum ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis, nec enim ſecundùm judicia noſtra ille judicat. Ora nunc, ut timore ex tremendis ipſius judicijs concepto

Digitized by Google

cor tuum tranſverberet, nè cùm judicaverit, æternæ damnationis ſententiâ te configat, cùm acuerit ut fulgur gladium ſuum contra reprobos, & ſagittas ſuas compleverit in eis. Meliùs eſt nunc timere futûrum, & pavere ut caveas, quàm non pavendo incurrere. Optima pavor iſte ſagitta, qui non tantùm animam, ſed etiam carnes configit, & omnia carnalia deſideria interimit. Intret hæc ſagitta profundè cor tuum, imas quoque oſſium medullas tranſverberet, ut mundo & omnibus ejus concupiſcentijs moriaris divini judicij metu, Deo autem vivas in omnem æternitatem, eique judicanti ſecurus aliquando aſſiſtas. Time nè timeas. Si vis eſſe ſecurus, noli eſſe ſecurus.



MEDITATIO

Pro die 28. Januarij.

Confitentur ſe nôſſe Deum, factis autem negant.

Tit. 1.

OMnes peccatores qui Deum actualiter offendunt, aut ſtulti ſunt, aut hæretici; nam vel non credunt eſſe Deum, & ea quæ Deus peccatoribus comminatur, adeoque ſunt hæretici; vel credunt, nec tamen ſecundùm illa vitam ſuam inſtituunt, & tunc ſtultorum numero ſunt accenſendi. Quid enim ſtultiùs, quàm credere Deum eſſe ubique nobis præſentem, omnium actionum noſtrarum inſpectorem, & greſſuum dinumeratorem, omnium malefactorum judicem ac vindicem ſeveriſſimum, largiſſimum è contra bonorum operum remuneratorem, & tamen vitam ſceleribus commaculatam ducere? hoc tamen multi faciunt, etiam qui Chriſtianorum, nè dicam Religioſorum nomine gloriantur; confitentur ſe nôſſe Deum; credunt alia quoque fidei noſtræ myſteria, factis autem omnia negant, ſic vivendo, quaſi Deus non eſſet, vel humana non inſpiceret, & circa Cælorum tan-

Digitized by Google

tummodò cardines perambularet; virtutes contemnendo, quaſi nulla ipſis conſtituta eſſet â Deo merces; tam liberè in flagitia proruendo, quaſi nulla in inferno ſupplicia impijs hominibus eſſent præparata. Magna hæc quidem hominum eſt dementia, ſed valde nihilominus damnabilis. Tu ſi ſapis, Deum quem animo credis, etiam factis affirma, & fidem tuam ex operibus oſtende, nè alioquin igne æterno devovearis cum diabolo & Angelis ejus, qui & ipſi Deum eſſe credunt & contremiſcunt, ſed hæc fides nihil eis proficit ad ſalutem. Crede Deum, & â facie ejus non tantùm contremiſce, ſed etiam ſic vive, nè aliquando coram horrendo ipſius Tribunali contremiſcas, & quem factis modò negas malè agendo, ſeveriſſimum aliquando malorum vindicem patiendo agnoſcas.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 29. Januarij.

Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.
Joel. 3.

COnſidera, quàm horrenda futura ſit illa extremi judicij dies, cùm lugubris tubæ ſono mortui omnes de ſepulchris regionum ad judicis æterni tribunal citati reſurgent, cùm jungentur oſſa ad oſſa, & pellibus ſuis veſtita congregabuntur in valle Joſaphat, ſtabitque in pedibus ſuis Exercitus, quo majorem nulla dies vidit. Quàm horribilis erit illa ſcena! maximè cùm Deus ibi cum hominibus cœperit diſceptare. Diſceptabo inquit cum eis ibi. O quàm horrendum & periculoſum eſt diſceptare cum Deo. Si voluerit homo cum ipſo contendere, non poterit ei reſpondere unum pro mille, nec juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens. Omne os ibi claudetur, & omnis lingva obmuteſcet, ipſe autem juſtificabitur in ſermonibus ſuis, & vincet cùm judicârit. Sapientiſſimus enim eſt, hinc nulla eum fallet aſtutia; potentiſſimus eſt,

 hinc

Digitized by Google

hinc nulla contra eum prævalebit vis & potentia; juſtiſſimus eſt, hinc nulla eũ ab æquitatis ſententia revocare poterit deprecatio, ſed poſt diſceptationẽ id concludet, quod merebuntur opera noſtra. Sic nunc vive ô homo, ut nihil tam horribili diſceptatione ac judicio dignum committas; aut ſi te in multis offenſæ divinæ reum agnoſcis, illo adhuc longè agente, priusquam veniat, rogare non cunctéris ea, quæ pacis ſunt, ut Dei miſericordiam nunc obtineas, & in illa die lætam merearis reſurrectionem, cùm exultabunt electorum oſſa humiliata; neque à facie judicantis, & condemnantis cum reprobis & maledictis contremiſcas, poſtque fulminatam æternæ damnationis in te ſententiam, ex valle Joſaphat in horrendam illam gehennæ vallem proijciaris, cum diabolo & Angelis ejus æternis ignibus ſine fine cremandus.

MEDITATIO

Pro die 30. Januarij.

Conſidera opera DEI, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. *Eccl.* 7.

MAgna & admiranda ſunt DEI opera & miracula quæ facit quotidie, inter quæ tamen omnia videtur maximum, juſtificatio peccatoris. Plus enim eſt morbos mortémque animæ, quàm corporis profligare, plus eſt ſpiritui, quàm carni vitam tribuere. Solus verò Deus hoc poteſt, ipſe namque novit animarum inclinationes, & ſcit infallibiliter etiam rebelles ſalvâ illarum libertate ad ſe propitius compellere voluntates. Fruſtranea eſt omnis humana ſcientia & eloquentia, fruſtra omnis adhortatio & correptio, niſi ipſe peccatorem oculo ſuæ clementiæ reſpiciat, & interiùs per gratiam ſuam cor ipſius emolliat, neceſſarium eſt, ut pereat in ſua pravitate, â nullo enim eſt corrigibilis quem ille deſpexerit. Tanta eſt peccatricis animæ perverſio, tanta humani adjutorij imbecillitas. Roga ergo nunc ô homo, qui toties morbos mortémq; animæ incurris, ut divina bonitas tui miſereatur, teque â lapſu mortalis peccati miſericorditer

ter præſervet, & lapſum clementer erigat. In nullo alio, quàm in illo ſpem ſalutis tuæ colloca, ille optimè tuis mederi novit infirmitatibus, ille ſcit convenientiſſima media, quibus ad vitam im̃ortalem perduci valeas; ejus gratiam humiliter nunc invoca, ſubijce te ipſius correptioni ac diſciplinæ, ut te nunc potiùs paternè corrigat, quàm diu tempus eſt correctionis, nihil parcat, nihil diſſimulet, nè deinde arguat in furore ſuo, cùm inſanabilis jam erit plaga tua, & in malitia tua obſtinatus atque incorrigibilis æternùm ardebis, ſine omni ſpe ſalutis jacens, & ejulans inter mortuos ſempiternos.

MEDITATIO
Pro die 31. Januarÿ.

Corpus quod corrumpitur, aggravat animam,& terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. *Sap. 9.*

ANimæ noſtræ centrum eſt Deus, ad quod illa jugiter collimare, & â terrenis omnibus abſtracta in cœleſtibus aſſiduè verſari debet. Sæpe autem fit, ut ſpiritus quidem ſit promptus, caro autem infirma. Eſt ille quidem alis præditus quibus ſe in altum librare poſſit, ſed carnis pondus non modicè obſtat, cui in hac mortali vita eſt alligatus, & terrena corporis habitatio ſenſum ejus deprimit,de contemplationis ac perfectionis ſublimitate multa cogitantem. Habes igitur ô anima mea,quæ tam nobilis es ſubſtantia,ad contemplationem ac fruitionem rerum cæleſtium atque divinarum creata,motivum ſufficiens, ob quod carnem tuam odio habeas, quæ te ad ima deprimit, & ſurſum conantem retardat. Beata illa dies quæ te liberabit de corpore mortis hujus, dum carnalibus ſoluta vinculis, abjecto corruptibili pondere, ad centrum tu-

um

um evolabis, ac diſſolutâ terrenæ hujus habitationis domo, domum illam æternæ beatitudinis introibis, ubi ceſſabit omne terrenum ac corruptibile, nec te quicquam ampliùs premet vel gravabit, ſed omnia mundana transgrediens, habitabis in ſublimibus, & in Deo tuo æternùm ſecura & beata requieſces. Reſiſte nunc quantùm potes huic ponderi, nè te ad ſuperna conantem detineat, & in peccata, ipſámque gehennam detrahat; quantumvis te premat, nunquam tamen deprimat; renitere fortiter, brevi corrumpetur hoc onus, & quamvis in beata reſurrectione ad corpus aliquando ſis reverſura, non erit tamen hoc ampliùs fædum & corruptibile, grave tibi ac moleſtum, ſed ſpirituale ac leve, glorioſum & immortale.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 1. Februarij.

Credo videre bona Domini in terra viventium. *Pſal. 26.*

COnſidera diverſas mortalium in hoc mundo curas & ſolicitudines, laborumque moleſtias, quas delinire ſolet boni alicujus exſpectatio. Sic ſpes meſſis alit agricolas, ſpes vindemiæ vinicolas conſolatur, ſpes gloriæ milites, ſpes opum mercatores. Spes deniq; mercedis vel præmij, ſolatium eſt cujuſcunque laboris, ſive Deo ſive mundo impendatur. Etiam illi qui Deo ſerviunt, & in ejus obſequio laborant, ſpem ſuam in aliquo præmio ſeu mercede habent repoſitam, quâ ſe in doloribus atque laboribus ſuis conſolantur. Credunt enim ſe aliquando propterea viſuros bona Domini in terra viventium. Terra hæc in qua nunc degimus, non eſt terra viventium, ſed morientium, quæ cum omnibus bonis ſuis homini aliquando relinquenda eſt; nec bona illa, honorum, voluptatum, ac divitiarum ſunt bona illa Domini nobis ab ipſo in mercedem promiſſa, ſed ſunt bona mundi vana & evanida, mala potiùs quàm bona vocanda, quia ſe-

Digitized by Google

ſectatores ſuos æternis bonis ſpoliant, & deducunt ad mala ſempiterna. Non ergo in hoc mundo, ſed alibi merces laborum tuorum tibi ô homo quærenda eſt, in ea videlicet ſolùm Regione, quæ non vanis & brevibus, ſed æternis abundat bonis, de quarum poſſeſſione neque mors, neque ullus alius te valeat ampliùs exturbare. In omnibus laboribus tuis atque moleſtijs, in tribulationibus & miſerijs hæc tua ſit conſolatio: Credo videre bona Domini in terra viventium, ſublatus ex hac terra morientium. Credo videre bona illa, quæ mortalis oculus non vidit, nec auris audivit, bona æterna & infinita. Credo non ſolùm videre, ſed etiam æternùm ijs frui; ità credo, ità ſpero, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Omnis te labor, omnis tribulatio delectabit, bona illa Domini electis præparata cogitantem.

MEDITATIO

Pro die 2. Februarij.

Cùm accepero tempus ego juſtitias judicabo. *Pſal. 74.*

HOrrenda ſunt hæc verba, quæ cùm juſti ſecum expendunt, tremore meritò corripiuntur; quamvis enim nullius peccati ſibi videantur conſcij, & multas reputent ſe juſtitias exercuiſſe, has tamen ipſas Deus vult judicare. Multa enim ſunt opera, quæ nobis bona videntur, in Dei tamen oculis ſunt mala; alia namque ſunt judicia Dei, alia hominum. Nullus ergo de ſanctitate ac juſtitia multùm ſibi præſumat, cùm neſciat an opera ipſius DEO ſint placita, & annon per viam, quam ipſe putat eſſe rectam, tendat ad mortem. Si tantus rigor eſt divini judicij, ſi juſtitias Deus judicabit, quid fiet de iniquitatibus? ſi juſtus non eſt ſecurus, impius & peccator ubi parebunt? cùm (inquit) accepero tempus. Non accipit ſibi modò tempus pro judicando, ſed totus eſt in hoc, ut nos convertat, & ab ignavo torpore ac noxia ſecuritate, ad pœnitentiæ aliarúmque virtutum opera excitet,

 nè

nè cùm judicatùm venerit, inveniat in nobis quod condemnet. Cùm verò ille judicandi tempus acceperit, nullum tu ampliùs ô peccator pœnitentiæ tempus accipere poteris. Tempus tunc erit juſtitiæ, nunc tempus eſt miſericordiæ, hanc tibi conciliare ſtude, & immaculatum te cuſtodi ab hoc ſæculo. Nec ſic tamen adhuc ſecurum te reputa, ſed time, nè juſtitiæ tuæ fortaſſe ſordeant in conſpectu DEI, in cujus judicio, niſi illud ſuperexaltaverit miſericordia, non juſtificabitur omnis vivens. Unica ſpes tua ſit in divina miſericordia. Noli cum Phariſæo juſtitiæ tuæ fiduciam habere. Væ quantumcunque laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ judicetur. Dic potiùs cum publicano: Deus propitius eſto mihi peccatori. Cùm veneris judicare, noli me condemnare.

MEDITATIO
Pro die 3. Februarij.

Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. *Lucæ 17.*

ILle ſervus dicitur inutilis, qui per ſuum obſequium nil prodeſt Domino ſuo. Dic jam ô homo, quantumcumque ſervitij Deo præſtare videaris, quid ei prodes obſequio tuo? nihil omninò. Non eget ipſe ſervitio noſtro, & nihil eidem confers, quantumvis immaculata fuerit vita tua. Non ſuam ſed tuam ille ſpectat utilitatem, dum te jubet ſibi ſervire, ac ſuis inhærere mandatis. Tibi magis quàm ipſi ſervis, in tuum, non ipſius commodum. Ipſe ſibi ſoli eſt ſufficiens, nec bonorum noſtrorum eget. Si etiam mala egeris, nullum ipſi adfers incommodum, tibi ſoli noces & incommodas. Quantumvis igitur fidelem ac ſedulam videaris ei præſtare ſervitutem, cùm etiam omnia ejus præcepta obſervaveris, noli tamen inde multùm gloriari, ſed humiliare potiùs, & ſervum te inutilem profitere. Et quidem utinam ſervus tantùm eſſes inutilis, & non etiam nequam & infidelis. Conſidera ſervitium tuum quod

Deo hactenus impendiſti, & invenies te plus mundo, carni & diabolo ſerviiſſe, eorúmque ſuggeſtionibus magis quàm Dei præceptis obtemperâſſe, graviora ipſius præcepta frequenter fuiſſe transgreſſum, & ſupremam ejus Majeſtatem ſæpiùs contempſiſſe. Si promeritum ſervitio tuo ſtipendium recipere deberes, non præmium tibi deberet retribuere, ſed ſupplicium. Humiliare igitur & confundere de tua perfidia & ignavia, propone firmiter gratam ei deinceps exhibere ſervitutem, & in mandatis eius ſolicitè ac ferventer ambulare. Et cùm etiam hoc feceris, nihil te feciſſe reputa. Dic ſervus ſum inutilis, ut per humilitatem, cùm non poſſis Deo, tibi ſaltem utilis fias.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 4. Februarij.

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.
Philip. 2.

SUnt propemodùm infinita in hoc mundo ſalutis pericula, & nos miſeri homunciones, innumeris per ſingula momenta mortis non ſolùm temporalis, ſed etiam æternæ caſibus obnoxij, ac mille hoſtium inſidijs & jaculis expoſiti, qui nunquam dormitant, & hoc unum ſemper cogitant, quomodo nos peccati laqueo implexos præcipitare poſſint in gehennam. Hæc pericula nemo ſecuriùs evadit, niſi qui timet. Qui pavet, cavet, qui negligit, incidit. Timidè igitur in hujus vitæ lubrico incedamus, metuamus lethiferos peccati lapſus, horrenda Dei judicia, & pœnas in gehenna impijs præparatas, timeamus tot hoſtes, timeamus noſmetipſos, timeamus pravam vòluntatem noſtram, hæc enim ferè ſola homines in æternam perditionem demergit. Si timor hic ſemper nobiſcum fuerit, tunc demùm poterimus eſſe ſecuri. Timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus. Non viribus tamen

noſtris, ſed gratiæ divinæ adminiculo, ea quæ timemus, nos evaſuros confidamus. Humiliemus nos in conſpectu Domini, qui reſpicit â facie ipſius contremiſcentes, & humiles ſpiritu ſalvabit, ac deducet in illam æternæ ac ſecuriſſimæ felicitatis regionem, ubi nullum erit ampliùs lubricum veſtigium vel cadendi periculum. Interim verò cum metu ac tremore ſalutem noſtram operari debemus. Quantumcunque aliàs ſedulò illam operati fuerimus, niſi nos in timore Domini tenuerimus inſtanter, citò peribit quidquid nos collectum habere putabimus, & ſpiritualis ædificij noſtri domus citò ſubvertetur. Si timuerimus, non habebimus quod timeamus.

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 5. Februarij.

Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium, pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit.
Eccle. 12.

MUlti ſunt in hoc mundo mortalium errores, inter quos nullus eſt periculoſior illo, qui contingit in materia & via ſalutis. Errant nihilominus hoc modo quamplurimi, non tantùm pravis actionibus â via juſtitiæ, ſed falſis etiam judicijs â via veritatis declinando. Imò ideò errant â via juſtitiæ; quia priùs â via veritatis judicando aberrant. Exiſtimant non eſſe tantam peccati malitiam & fœditatem, quanta paſſim deſcribitur, non eſſe tam ſevera Dei judicia, nec tam atroces pænas in altera vita peccatoribus iminere, quàm â viris Sanctis prædicatur. Putant ſibi multum adhuc vitæ tempus ſupereſſe, hinc pænitentiam in dies & annos differunt; putant hæc miſeri, ſed falluntur & errant, & ideò etiam â via virtutis & ſcopo æternæ ſalutis aberrant. Malus eſt hic error, nec ante thronum ſupremi judicis excuſationem inveniet, ubi nihil

Digitized by Google

hil proderit dicere frigidum illud: non putabam. Dantur verò non tantùm mala, ſed etiam bona errata, opera videlicet hominum, quæ ipſi erroneè judicant eſſe bona. Etiam hæc Deus adducet in judicium. Attende igitur ô homo, nè quomodocunq; â via & ſcopo æternæ ſalutis aberres per tramites pernicioſos, ſive mali videantur, ſive boni, quorum tamen noviſſima ducunt ad mortem. Fuge mala, & nihil â Deo judicandum & puniendum committe. Verere etiam bona, quæ videris agere, nè fortè in ſtatera divini judicij appenſus; inveniaris minus habens, quàm tu exiſtimas. Maximum te potiùs peccatorem reputa, nihil boni habentem, quod ſentiendo, etiamſi erraveris, ſalubris tamen erit hic error, qui humilitatem ac timorem in te cuſtodiet, divinámq; miſericordiam tibi propitiabit.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 6. Februarij.

Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſolicitè. *Devter. 4.*

CONſidera te ô homo multis gravibúſq; periculis in hoc mundo, non ſolùm temporalis, verùm etiam æternæ mortis, per ſingula momenta ſubjectum eſſe. Innumeris inimicorum agminibus vallaris, plurimos quoque hoſtes intra temetipſum contines. Magna eſt adverſariorum potentia, tua verò ad reſiſtendum infirma virtus. Circumſtant te undique fures & latrones, qui animæ theſaurum tibi conantur eripere, tibique ſtruunt æternæ mortis laqueos, tu verò contra ipſorum machinationes & inſidias valdè improvidus es & incircumſpectus. Per lubricas vias & præcipitia incedis, neſciens quando terrræ allidaris, & theſaurū animæ tuæ profundas, quem in fictili ſeu teſtaceo vaſe portas. Cuſtodi ergo temetipſum in hoc mundo & animam tuam ſolicitè quaſi pupillam oculi, ut cum ea ſalvus & indemnis per tot pericula ad patriam æternæ ſecuritatis aliquando pervenias. Sed parùm prodeſt humana cuſtodia ſine protectione divina. Niſi enim Dominus animam tuam ab hoſtium la-

queis atque inſidijs cuſtodierit, fruſtra laborabis cuſtodiens eam. Niſi ille clypeo ſuæ pietatis & clementiæ te protexerit, & vacillantem in lubrico tenuerit, ictum caſúmque lethalem non effugies. Illum ergo roga, ut dextram ſuam nutanti porrigat, & auxilium ferat periclitanti; eruat animam tuam de morte, & pedes tuos de lapſu, téque in faſciculo viventium electorum cuſtodiat in vitam æternam. Fac tu interim etiam quod tuum eſt, hoſtibus tuis divinâ opitulante gratiâ ſtrenuè reſiſte, & omnes peccandi occaſiones mortíſque pericula fuge. Quod niſi facis, non cuſtos, ſed proditor es animæ tuæ, eámq; ſpontaneè prodigis.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 7. Februarij.

Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & ſentiant uſq; in ſempiternum. *Jud.* 16.

HEu! quàm proni & faciles ſunt homines ad peccandum, DEI offenſam nihil curant, & bibunt quaſi aquam iniquitatem, cùm tamen horrenda ſint in inferno præparata impijs poſt hanc vitam ſupplicia. Quantum ſupplicium erit ignis ille? in cujus comparatione omnia mundi hujus incendia mera ſunt refrigeria. Quantus erit cruciatus jacere in illo flammarum Oceano immerſum & abſorptum, & quidem in æternum, ſemper uri nunquam tamen comburi? quantum etiam tormentum reprobis erunt vermes ac ſerpentes terribiles, igniti ac fætidi, carnes & viſcera ipſorum aculeatis morſibus erodentes, nunquam tamen conſumentes? ſic cruciabuntur omnes peccatores, ſic urentur, ſentient ac dolebunt uſque in ſempiternum. Heu! quid eſt ſempiternum; quid eſt uri & ſentire in omnem æternitatem! quàm terribilis eſt iſta pœnarum æternitas! ignes ipſorum nunquam extinguen-

guentur, nec vermes unquam morientur. Immortale malum torquebit miſeros, & dolor ſine fine. Cùm tam horrenda & longa ſint reproborum ſupplicia, omnem curam adhibe ô homo, nè in illum locum tormentorum aliquando devenias, maximè cùm innumeris peccatorum periculis per ſingula momenta ſis expoſitus, quorum vel unicum ſufficit ad æternam perditionem. Fuge peccata, ut pœnas illorum tam horrendas effugias. Nihil te delectabit in hoc ſæculo ignes illos & vermes cogitantem; nihil erit in hac vita doloroſum quod non libenter ſufferas, ut horrendos illos gehennæ cruciatus evadas.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 8. Februarij.

Delicta quis intelligit? *Pſ. 18.*

COnſtitutionem internam corporum ſuorum, eorúmque morbos, homines difficulter intelligunt, multò minùs conſtitutionem & ægritudines animarum. Scimus quòd per peccata gravia fiamus rei æternæ damnationis, neſcimus tamen peccata illa ſive inter ſe, ſive ab alijs actionibus pro certo ſemper diſcernere. Delicta enim quis intelligit? ſunt aliquando mortalia, quæ venialia putamus, ſunt aliquando peccaminoſæ actiones quas nos virtuoſas arbitramur. Excuſamus nunc excuſationes in peccatis, quæ tamen nihil valebunt ante Tribunal ſupremi judicis. Tunc omnia videbuntur prout ſunt, tunc manifeſta erunt omnia cordium abſcondita, tunc multa peccata ex occulto prorumpent & ſagittabunt etiam illos, qui ſe credebant immaculatos, non tantùm propria, ſed etiam aliena, quorum plurima nunc ignorantur. Nemo igitur ſibi de hoc nimiùm blandiatur, ſi nullum peccatum in conſcientia ſua latere intelligat, ſumus enim quandóq; in ſtatu æternæ damnationis etiam neſcientes.

Et

Digitized by Google

Et ſicut piſcis hamo cum eſca devorato ſecurè adhuc & jucundè circumvagatur, donec illum piſcator attrahat, tunc primò ejus viſcera incipiunt amaricari & dolere, tunc primò uncum lethalem agnoſcit; ſic homines mortalia peccatorum tela & vulnera non intelligunt, donec â dæmone in gehennam abripiantur. Oremus ergo Deum, ut mentium noſtrarum tenebras oculósque illuminet, ad perfectè dignoſcendum, quid agere, quid fugere debeamus; ad intelligendum quoque omnia, quæ contra infinitam ejus bonitatem & Majeſtatem deliquimus, ut congruam pro his pænitentiam, dum adhuc tempus eſt, agere valeamus. Quamdiu verò delicta non intelligimus, doleamus de omnibus tam notis, quàm incognitis, dicentes cum Regio pſalte: ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. Extimeſcamus horrenda Dei judicia, & illa noſmetipſos ſeverè judicando præveniamus. Minima peccata pro maximis lugeamus, & quidquid vel per umbram divinæ legi videtur adverſari, committere vereamur, eligentes mori ſemper, quàm Deum vel unico peccato veniali offendere.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 9. Februarij.

Deprime cor tuum & ſuſtine. *Eccl. 2.*

MAgna eſt humani cordis levitas, quod ſemper ambit alta, & in humili loco raró quietum conſiſtit. Centrum quidem ipſius eſt Deus, illud tamen licet ſit altiſſimum, nunquam attinget extollendo ſe, ſed potiùs deprimendo. Superbia extollit, humilitas deprimit. Cùm fuerit cor per ſuperbiam elevatum, procul fit â Deo; cùm fuerit humilitate depreſſum, Deum attingit, ejúsque fit habitaculum, humiles enim corde ſunt domus ipſius. Humilitas ſecuritatem præſtat, altitudo caſibus obnoxia. Deprime igitur cor tuum ô homo, & omnes ambitionis ac ſuperbiæ pennas eidem abſcinde, ac Dei gratiam tibi per humilitatem concilia. Humilitas verò ſine humiliatione raró addiſcitur, nec meliùs quàm in infirmitate, variiſq; tentationibus & afflictionibus perficitur. Hinc tibi valde neceſſaria eſt tribulatio in hoc ſæculo, per quam humilitatis virtus acquiritur & cuſtoditur, quâ cor velut pondere quodam deprimitur, nè vanæ gloriæ vento abripiatur. Quodcunque igitur adverſitatis

tatis pondus divina clementia tibi ferendum impoſuerit, patienter ſuſtine, ac divinum erga te amorem agnoſce, quos enim diligit caſtigat, eisque dat occaſionem, virtutem ſuam perficiendi, & proferendi copioſos meritorum fructus in patientia. Quantumcunque in hoc mundo paſſus fueris, plus adhuc pati deſidera, & Deum ora, ut omnem ſæculi proſperitatem tollat â te, per quam cor tuum in ſuperbiam elevari poſſet. Elige potius moleſtias & tribulationes, ut ſemper habeas quod ſuſtineas, & animam tuam in humilitate ſalves. Humilis patientia certiſſimum eſt prædeſtinationis ſignum. Non ſemper gravaberis doloribus. Veniet brevi tempus, cùm omnis ceſſabit labor & moleſtia. Interim viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 10. Februarij.

De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. *Eccli. 5.*

SI gravi debito fuiſſes obſtrictus, & neſcires illud pro certo tibi eſſe condonatum, annon per dies & noctes animo tuo anxiareris? ſcis te multoties Deum graviter offendiſſe, eique pro injuria multoties illata, factum fuiſſe debitorem, ac damnationis æternæ reatum incurriſſe; nec ſcis pro certo peccata tua tibi eſſe propitiata, ſive remiſſa, & tamen ità hilariter ac ſecurè vivis, acſi nulli penitùs debito vel reatui eſſes obnoxius. Videris tibi fortaſſe jam pro peccatis aliquam egiſſe pœnitentiam, ſed quàm frigida illa fuit, quàm remiſſa? facilè culpa perpetratur, ſed non facilè remittitur. Infinita eſt Dei Majeſtas, quæ per peccatum â vili creatura offenditur, unde malitia cujuſcunque mortalis culpæ redditur quodammodò infinita. Videjam quanta ad reparandam hanc injuriam requiratur ſatisfactio. Magna quidem eſt Dei miſericordia, quòd ſatisfactionem temporalem pro abolendo æterni ſupplicij reatu acceptet. Hæc tamen ſatisfactio non debet eſſe qualiſcunque, ſed oportet facere fructus

 di-

Digitized by Google

dignos pœnitentiæ. Hinc de peccatis contra Deum admiſſis, etiam illis, quæ tibi remiſſa putas adhuc metue, & condignam pro ipſis pænitentiam age. Demus etiam quòd pro certo ſcias Deum tibi repropitiatum eſſe, & omnia peccata quoad culpam condonata, noli tamen adhuc de illis eſſe ſine metu; ſint remiſſa quoad culpam, non ſunt tamen fortaſſe remiſſa quoad pœnam. Eſtò non ſis debitor æterni ſupplicij, unde tamen ſcis te non eſſe debitorem pœnæ, ſaltem temporalis, poſt mortem in Purgatorio luendæ? & quanta ibi pœna, quàm horrenda pro unico etiam veniali peccato ſuſtinebitur? non ergo ſolum culpæ debitum, ſed etiam debitum pœnæ operibus ſatisfactorijs hujus vitæ abolere ſtude, nè alioquin poſt mortem in carcerem Purgatorij detruſus, ſatis pati cogaris, qui ſatisfacere noluiſti, non exiturus inde, donec reddideris noviſſimum quandrantem.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 11. Februarij.

Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo. *Eccle. 12.*

HAbes ô homo breviſſimam ſalutis regulam, hoc ſolum fac & vives. Dei timor ante omnia tibi ad ſalutem eſt neceſſarius, qui eſt principium noſtræ juſtificationis; convertimur enim ad Deum timore judiciorum ejus, & metu gehennæ, ac niſi homines hæc timenda haberent, vix quiſquam ad meliorem vitam converteretur. Non ſufficit autem timor ad ſalutem, ſed prætere a requiritur mandatorum Dei operatio, alioquin incurritur quod timetur. Apparet in dæmonibus quid proſit timor ſine amore aliarúmque virtutum exercitio, nam & ipſi â facie Omnipotentis contremiſcunt, ſed timor tremórque ipſorum ſterilis eſt & infructuoſus, nec per illum â ſua malitia & obſtinatione retrahuntur. Oportet nos Deo ſervire in timore & juſtitia omnibus diebus noſtris, mandata ejus obſervare, nóſque ſanctiſſimæ ac perfectiſſimæ ipſius voluntati in omnibus conformare. Deum ergo time ô homo, time omnium actionum & tranſgreſſionum

Digitized by Google

tuarum inſpectorem, time judicem, time vindicē, & nè tibi quod verebaris accidat, ipſúmq; ſeveriſſimũ judicem ac vindicem aliquando experiaris, mandata ejus juxta modulum poſſibilitatis tuæ obſerva. Hoc eſt omnis homo, ſive ad hoc conditus eſt omnis homo, ut videlicet conditorē generis humani, Dominum ſuum & Creatorem veneretur ac timeat, ejúsq; mandatis obediat,& hoc faciendo beatitudinē æternam conſequatur. Hoc eſt omnis homo. Si hoc non facit, nullus eſt homo, & hominis appellatione omninò indignus, imò brutis deterior. Timent bruta Dominos & poſſeſſores ſuos, eorúmque ſe imperio ac regimini libentiſſimè ſubmittunt. Homo verò rationis compos, Domini & Conditoris ſui timorem â ſe abijcit, ejúsque mandatis recalcitrare pro minimo ducit. Age igitur ô homo quod agere debes, ſi non agis quod Deus vult,æternùm patieris quod tu non vis.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 12. Februarÿ.

Deus cujus iræ nemo reſi-ſtere poteſt. *Job. 9.*

QVàm eſſet fatuũ irritare leonem, aut Herculem aliquem fortiſſimum ad iracundiam provocare, quibus ſi exacerbati fuerint, non deeſt robur & pôtentia ad ſumendam de hoſtibus ſuis vindictam. DEUS fortiſſimus eſt ac potentiſſimus, terribilis valdè ſuper omnes filios ſuperbiæ, qui non ſolùm peccatoris cor perimere, ſed animam quoque illius omni momento poteſt mittere in gehennam. Qui claudit portas inferorum, & cùm hominem in gehenna torquendum incluſerit, nullus eſt qui aperiat; nulla vis & potentia illi poteſt reſiſtere, vel hominem de manibus ipſius liberare. Ira etiam ipſius eſt horribilis, & omninò implacabilis, cùm in vindictam impiorum ſemel exarſerit, educit enim de vagina ſua gladium omninò irrevocabilem, nec ullis ultrà precibus poteſt mitigari. Non exardeſcit tamen nunc contra ſceleratos homines furor ejus, imò inſtar agni manſvetiſſimi graviſſimas ab hominibus injurias patientiſſimè tolerat, iráque ipſius priuſquam in vindictam erumpat, preci-

Digitized by Google

bus & humili pœnitentiâ facilè poteſt placari. Hâc tamen ſupremi Numinis longanimitate ac patientiâ ſcelerati abutuntur, & ſine timore ullo perpetrant mala. Putant Deum peccatis non offendi, vel cùm illa tam patienter toleret, aut non velle aut non poſſe de impijs ſumere ultionem? propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: non requiret. Requiret profectò, cùm tempus iræ ac ultionis advenerit. Quicunque igitur divinam ejus Majeſtatem te aliquando ſcis offendiſſe, ſtude quantocyùs offenſam delere per pænitentiam, redde tibi placatum, nè deinde ſentias iratum, cùm adversùs impios exurgere cæperit furor ejus; nè quando rapiat & non ſit qui eripiat, gravémque ipſius manum & horribilem vindictam, ſine ulla ſpe liberationis aut veniæ, ſentias in æternum.

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 13. Februarij.

Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. *Philipp.* 2.

NAtura humana per originale peccatum adeò eſt depravata, ut plurimùm ſit proclivis ad mala, ad bona verò difficulter mobilis. Quòd ſi etiam quandoque bonum velit, ægrè tamen illud perficit, tanta eſt ipſius infirmitas atque impotentia. Deo itaque indiget adjutore, qui & illam excitet ut bonum velit, & adjuvet, ut illud perficiat. Utrumque Deus facit in nobis, dat enim nobis & velle, & perficere pro bona voluntate, non quidem noſtra, quæ ſine ipſo bona eſſe non poteſt, ſed pro bona voluntate ſua, & clementiſſimo ſuo beneplacito. Operatur in nobis omnes pias voluntates, & quoscunque tam exteriores quàm interiores virtutum actus. Quamvis verò multa operetur in nobis ſine nobis, præveniendo voluntatem noſtram divinâ ſuâ gratiâ & miſericordiâ, eandémque internis inſtinctibus & ſtimulis ad bonum excitando, ipſos tamen virtutum actus non operatur in nobis, ſine nobis; ſed nos cum divina ejus gratia, & hæc nobiſcum. Nec ſola gratia, alio-

Digitized by Google

quin non eſſet qui coronaretur; nec ſola voluntas, aliàs non eſſet quod titulo meriti remuneraretur. Dei ergo gratiam & miſericordiam ô homo aſſiduè implora, cùm ſcias te ſine illa in tam gravibus tentationum periculis non poſſe ſubſiſtere, nec ullum beatitudinis æternæ meritorium opus elicere, quanquam nec hoc ipſum ſcias, niſi per divinam gratiam. Ora Deum, ut te pro bona ſua voluntate excitet & adjuvet ad implendam in omnibus ſanctam ipſius voluntatem. Tu verò gratiæ divinæ ſtrenuè collabora; pigris, negligentibus atque torpentibus beatitudo Cæleſtis non ingeritur. Si Deus in te media ſalutis operatur, dignum eſt, ut tu pariter eidem ſedulò coopereris, nè alioquin perdas per deſidiam & negligentiam, quod ille tibi largitur per ſuam gratiam.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
pro die 14. Februarij.

Dicis quòd dives ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus. *Apocal. 3.*

POtiſſima humanæ ſuperbiæ cauſa eſt ignorantia ſui ipſius; ſi enim homo ſe ipſum nôſſet, minimè ſuperbiret, ſed magnum potiùs humilitatis ſectandæ motivum caperet. Nulla tamen major eſt ſuperbiæ dementia, quàm de donis gratiæ, ſeu virtutibus & ſanctitate gloriari. Corporis & fortunæ bona oculis videntur, ut forſitan ex hinc mortales ſe divites & locupletatos æſtimare poſſint; quàm verò ſtultum eſt ſpirituales animi divitias jactare, cùm veræ animarum divitiæ, virtutes videlicet & gratiæ divinæ ornatus, nullo mortalium obtutu ſint cognoſcibiles. Multi ſunt in oculis ſuis probi & ſancti, quorum vita in oculis Dei varijs peccatorum maculis inquinata ſordet. Multi ſe agnos & filios Regni Cæleſtis reputant, ſunt verò hædi & gehennæ mancipia; bonis operibus ſe divites exiſtimant, & de interno juſtitiæ habitu ſibi blandiuntur,

 plu-

Digitized by Google

plurimùm interim ſuâ cæcitate falluntur, miſeri enim ſunt & miſerabiles, pauperes & nudi. O quàm miſera hæc mortalium cæcitas, quàm exoſa DEO ſuperba hæc & præſumptuoſa nuditas & paupertas. Ante omnia igitur te ipſum ô homo cognoſce, Deúmque precibus exora, ut intellectûs tui oculos tingat ſuæ veritatis collyrio, quatenus videre poſſis quid deſit tibi. Videbis certè, ſi fuco præſumptionis abſterſo, divina bonitas tibi oculos aperuerit, multa tibi adhuc deeſſe. Quàm plurima verò deſunt illi, qui nil ſibi deeſſe putat. Dic potiùs te miſerum & miſerabilem, ut Deum ad miſericordiam flectas; dic te cæcum, ut divina lux tenebras tuas illuminet; nudum te reputa, ut veſtem gratiæ conſequaris; pauperem te profitere, ut donis cæleſtibus â Deo replearis, ipſe enim pauperes & humiles implet bonis, & divites qui ſibi multum habere videntur, dimittit inanes.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro 15. die Februarij.

Dies Domini ſicut fur in nocte ità veniet. Cùm enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. *1. Theſſal. 5.*

TVnc fures ad ſuffodiendos parietes, & effringendas domuũ fores ſolent adrepere, dum homines ſopore demerſi altùm ſtertunt. Eas etiam domos potiſſimùm infeſtant, quarum Domini aut inquilini ſe putant eſſe omninò ſecuros, & nihil minùs quàm de furibus cogitant. Talis etiam ſolet eſſe adventus Domini, dum venit cum ſervis ſuis poſiturus rationem; venit enim inſperatè ac improvisè, dum homines nihil minùs quàm ejus adventum ſuſpicantur, & ad mortem, rationémq; reddendam omninò ſunt imparati. Dormiunt ſomnum ſuum omnes peccatores profundiſſimo noxiæ ſecuritatis lethargo merſi & oppreſſi. Dicunt pax, & non eſt pax, ſed mille hoſtium inſidijs & ſalutis æternæ periculis vallantur, ſe nihilominus tutiſſimos reputant, adventum judicis, & extremum vitæ diem raró ſecum recogitant, multò minùs ad illum ſe diſpo-

ſpo-

Digitized by Google

ſponunt. Cùm ecce ſubitò clauduntur cum vita dies ipſorum, adeſt dies Domini, & cum eo repentinus ijsdem ſupervenit interitus. Rapiuntur in gehennam miſeri, neſciunt qualiter vel quomodo tam celeriter deſcenderint in infernum; tolluntur â morte ſicut pullus ab accipitre, & ovis â lupo ex inſidijs proſiliente. Nec ulla ſpes illis ultrà eſt ad vitam, depaſcit enim illos æterna mors. Attende igitur tibi ô homo, diem illum Domini ſemper meditare, ut cùm venerit paratum te inveniat. Nunquam dic pax & ſecuritas, eſto providus & metue inſtanter, nè hoſtes, qui multis te vallant agminibus, æternam tibi ſalutem ex improviſo eripiant. Vigilant illi in perniciem tuam, & tu non vigilas in cuſtodiam ac defenſionem tuam. Dies vitæ hujus ſunt dies tui, ad operandum animæ ſalutem tibi conceſſi. Tempus hoc breve, quod neſcis ubi, vel quando deſinet, cum animæ fructu diligenter impende. Dies ille Domini non eſt dies tuus, Pater æternus non in tua, ſed in ſua illum poſuit poteſtate. In illo tu nihil ampliùs pro ſalute tua operari poteris, ſed Judex tunc faciet quod ſuum erit, fac tu nunc pariter quod tuum eſt, & diem illum ſemper paratus expecta.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 16. Februarij.

Dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis. *Ephes. 4. 1.*

MAgni nobis æſtimanda eſt divina vocatio, ſive ad fidem Chriſtianam, ſive ad ſtatum Religioſum. Quantam non ille gratitudinem promereretur, qui nos in præcipitium ruentes retraheret, & â via mortis ad viam vitæ revocaret? facit hoc Deus, dum nos ab errorum tenebris ad lumen fidei, è vano ac fallaci ſæculo ad Religionem vocat. Non facit taliter omni nationi, ſed innumeros homines permittit ire vias ſuas, vias mortis & perditionis, nec illorum miſeretur, ſed errorum ac vanitatum laqueis deceptos & implexos ruere ſinit in gehennam. Cùm igitur divina bonitas nos tanto vocationis beneficio dignetur, dignum eſt, ut nos quoque vocanti reſpondeamus, & dignè ambulemus vocatione quâ vocati ſumus, per viam virtutis ac Religionis incedentes, idque agere ſtudeamus, ad quod agendum ſumus vocati. Sunt verò multi qui Deum vocantem ſequi recuſant, & ſanctâ ſuâ vocatione indigna committunt. Vocavit illos Deus ad luctum & pœnitentiam, illi verò mundi

di gaudia & delicias ſectantur; vocavit Deus ad paupertarem mundique contemptum, illi verò divitias ambiunt & honores; vocavit ad humilitatem & obedientiam, illi verò propriam ſequuntur voluntatem, & ambulant in deſiderijs cordis ſui; vocavit ut dignam ipſi exhiberent ſervitutem, illi autem carni potiùs & mundo famulantur. Non eſt hoc dignè ambulare vocatione quâ vocati ſunt, ſed ſpernere vocantem, ejuſque vocationi contraire. Hinc etiam tam pauci ex tot vocatis electi. Quid verò prodeſt quempiam eſſe vocatum, ſi ſe non faciat, utì facere poteſt cum divina gratia unum ex electis? nihil profectò, niſi ad majorem pœnam ac damnationem. Meliùs foret ſimilibus viam Religionis nunquam iniſſe, quàm eâ ſemel initâ retrorſum ad mundi vanitates converti, & ſcopum ſuæ vocationis nunquam attingere.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 17. Februarij.

Diligamus Deum, quoniã Deus prior dilexit nos. *1. Joan. 4.*

COnſidera Deum eſſe bonum infinitum, adeoque â nobis ſummè diligendum, etiamſi nobis nihil omninò beneficij præſtitiſſet. Quis verò bonitatem ac beneficentiam ipſius explicet, quam nobis exhibet indignis ac viliſſimis creaturis? ipſe fecit & creavit nos, ipſe dat nobis vitam, inſpirationem & omnia, & ſi hæc pluráque alia naturæ dona parvi æſtimantur, ipſe noſtri causâ in aſſumpta carne ſudavit & alſit, languores noſtros tulit, ac dolores noſtros portavit, ac tandem etiam crudeliſſimam & acerbiſſimam mortem crucis pro ſalute noſtra ſuſtinuit. Et quidem cùm adhuc peccatores eſſemus adeò nos dilexit, ut nos patiendo & moriendo lucrifaceret. Majorem charitatem nemo dicitur habere, quàm ſi animam ponat pro amicis ſuis; ipſe illam poſuit pro inimicis. Quid tantæ charitati rependemus? nihil pro tot beneficijs â nobis exigit quàm amorem: ſi non diligimus ipſum, quia in ſe bonus eſt, ſumméque amabilis, diligamus eum quia prior dilexit nos. Et quid faciliùs quàm redamare amantem? dilige ipſum ô homo, & quantumcunq;

ipſum

ipſum amaveris, nunquam tamen amorem ejus poteris adæquare. Ipſe te plùs dilexit, plùs nunc etiam diligit, quàm tu te ipſum. Ille pro ſalute tua ſolicitus eſt, tu te ipſum negligis; ille te per ſuam gratiam excitat & adjuvat, tu dormis & torpes; cadis freqentiùs, ille te miſericorditer erigit; curris in mortem, ille te retrahit; & niſi miſericordia ipſius & clementia te millies reſpexiſſet, pridem habitâſſet in inferno infelix anima tua. Nihilominus adeò te amantem tam parùm diligis, ut etiam hoſtibus tuis carni & mundo majorem dilectionem impendas. Quin etiam Deus tam bonus odium â te refert pro dilectione ſua. Amas odientes te, & odiſti diligentem te. Redde vicem amanti, nè alioquin divino amore indignus, juſtiſſimam ipſius iram atque indignationem incurras.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 18. Februarij.

Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. *Rom. 8.*

CErtũ eſt, quòd quicquid vel minimi alicujus boni operis homines juſti Deum amantes eliciunt, pro merito æternæ gloriæ à Deo acceptetur. Omnia etiam remiſſiſſima virtutum opera ipſis in bonum æternæ beatitudinis cooperantur; ità, ut vel unica orationis Dominicæ, vel ſalutationis Angelicæ recitatio, immenſam illis in cœlo gloriam promereatur. Nec tantùm bona, ſed etiam mala ipſis in bonum cooperantur. Inprimis omnia illa quibus in hoc mundo affliguntur & mortificantur, qualia ſunt labor & dolor, ægritudines & egeſtates, fames & ſitis, fatigationes & vigiliæ, calor & frigus, & ſimilia, quæ quidem omnia non niſi malum corporis, ipſámque mortem videntur operari, revera tamen vitam, & beatitudinis æternæ præmium operantur, ſi homines ex amore Dei ad ſalutem ſuam illis uti noverint. Similiter mali homines in hoc mundo, qui nos maledictis lacerant & odijs perſequuntur, quamvis nihil videantur intendere niſi malum noſtrum, ignominias videlicet & infamias,

Digitized by Google

damna corporis, & vitæ diſpendia; nihilominus ſi ex motivo amoris divini adverſitates ipſorum malitiâ nobis illatas perferre didicerimus, ad bonum nobis proficient, & velut quidam aurifabri æternæ gloriæ coronas nobis fabricabunt. Ipſi tandem dæmones, qui nullum nobis bonum favent, & hoc unum ſemper intendunt, ut non ſolùm temporalem, ſed æternam quoque vitam nobis eripiant, tentationibus & impugnationibus ſuis ad bonum nobis cooperantur, ſi Deum diligimus, & pravis ipſorum ſuggeſtionibus pro virili reſiſtimus. Sic Deo nos adjuvante, qui ſe diligentes nunquam deſerit, ſalutem conſequimur ex inimicis noſtris. Illi quidem cogitant contra nos malum, Deus autem illorum odia, & machinationes vertit nobis in bonum. Cogita jam quantum gloriæ pondus tibi accumulare poſſis, cui non tantùm omnia bona, ſed etiam mala in bonum cooperantur. Deum dilige, & quicquid boni egeris, vel mali ſuſtinueris, cedet tibi in augmentum gratiæ ac præmij vitæ æternæ.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 19. Februarij.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.
Matth. 22.

HOc eſt maximum, & primum ſeu principale mandatum, quod exequi debemus. Præcipitur nobis ut Deum diligamus *ex toto corde*, ut ſcilicet nullam cordis noſtri partem ulli alteri amori reſervemus. *In tota anima*, ut omnes animæ vires in dilectionem Dei noſtri impendamus. *In tota mente*, ut tota noſtra mens atque intentio in Deum collimet, illum ſolum cogitemus, & menti aſſiduè infixum habeamus. Magna eſt Dei erga nos dignatio, quod ſe amari velit â viliſſimis hominum Creaturis. Nihil ipſi amore noſtro conferimus, hoc unum vult, ut ipſi per amorem uniamur; vel propter hoc ſolum amore infinito dignus eſt, quòd amorem ſui nobis imperet. Diligamus ergo eum ſicut præcipit, ejus memoria menti noſtræ jugiter ſit inſculpta, cor noſtrum erga illum ſemper ardeat, illum aſſiduè ſuſpiret, nihil nos in ejus obſe-

Digitized by Google

quio præſtitiſſe arbitremur, quamdiu illum non diligimus tanto amoris fervore; quanto dignus eſt. Hic amor Dei ſolus eſt, quem peccator non poteſt elicere,cætera omnia virtutum opera juſtis & injuſtis ſunt communia. Poteſt peccator jejunare, poteſt carnem varijs modis affligere, caſtitatem ſervare: miſericordiæ aliarúmque virtutum opera exercere, credere, ſperare, unum non poteſt, Deum ſcilicet diligere. Si enim Deum diligit, ſtatim â Deo & ipſe diligitur, deſinit eſſe peccator,& amicus Dei conſtituitur. Tantùm eſt pretium & meritum divini amoris. Æmulemur ergo chariſmata meliora, divinæ charitati ante omnia ſtudeamus, Deo ſoli corda noſtra dicemus, renuntiemus alienis quibuscunq; ſive carnis, ſive mundi amoribus, huic ſoli vires omnes impendamus, hoc unicum â DEO ardentiſſimè flagitantes, ut nos jaculo ſuæ dilectionis configat, & ruptis etiam vitæ ſpiraculis,ſuo faciat amore mori, & poſt hujus vitæ amorem, ad beatificam ejus fruitionem pervenire.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 20. Februarij.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Matt. 22.*

NOn ſufficit ad ſalutem dilectio DEI, niſi adſit etiam dilectio proximi. Imò non poteſt Deus diligi, niſi & proximus diligatur. Dei enim mandatum eſt, ut proximos noſtros, ejuſdem naturæ & gratiæ participes, ejuſdem promiſſionis & hæreditatis conſortes, ad ſimilitudinem Dei pariter creatos diligamus. In his duobus mandatis, amoris nimirum Dei & proximi, univerſa lex pendet. Jubetur autem homo diligere proximum ſicut ſe ipſum, quoad charitatis ſimilitudinem, eſtò non quoad ordinis gradum ſeu æqualitatem. Similitudo autem illa dilectionis in eo conſiſtit, ut ſicut nos diligimus bona cuncta nobis precando, & mala nulla inferendo, ità & proximum diligamus, nil mali, ſed omnia bona ipſi volendo & præſtando. Si proximum vis, prout oportet, diligere, quod tibi vis fieri, ipſi feceris, & quod tibi non vis fieri, ipſi pariter nè feceris. Non vis tibi contumelias & injurias irrogari, noli etiam hæc inferre proximo; non vis ab alijs rideri, ſubſannari, traduci, famam & æſti-

Digitized by Google

mationem tuam ſive palam, ſive clam proſcindi, cave nè alteri ſimilia facias; non vis ab hominibus judicari, vili pendi, odio haberi, erga proximos quoque tuos â ſimilibus abſtineas. Vis è contra ab alijs ſuſpici & amari, laudari & honorari, præſtes idem proximo tuo, ſic Deus jubet, qui te & ipſum fecit. Non eſt conditio tua melior, aut proximi tui deterior, ut alij te reſpicere debeant ac diligere, tu verò ab aliorum dilectione ſis exemptus. Vide quàm ſtolidè ac ſuperbè te ipſum hactenus amaveris, quanta mala proximis intuleris, tu verò utilitatem vel authoritatem tuam in minimo lædi aut imminui non es paſſus. Noli deinceps teipſum nimis diligere; imò nec diligis teipſum, ſi ità diligis, ut amore tui, dilectionem proximi contemnas. Mala enim tibi ſempiterna paras, & charitatem tibi adeò ſeverè præceptam violando, Deum qui charitas eſt, graviter offendis.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 21. Februarij.

Dimittite & dimittemini, date & dabitur vobis. *Lucæ 6.*

DUo nobis â Salvatore proponuntur charitatis erga proximos noſtros officia. *Primũ* eſt: ut ipſis offenſas remittamus, nec malũ pro malo reddamus. *Secundum*, ut ipſis etiam benefaciamus. Obediamus ergo voci Salvatoris, maximè cùm nobis promittat, quòd quicquid proximis noſtris impenderimus, idem â Deo ſimus recepturi. Tales ergo nos, proximis noſtris exhibeamus, qualem Deum erga nos eſſe volumus. Simus erga ipſos benigni & miſericordes, ut etiam benignitatem & miſericordiam â Domino conſequamur. Et quis eſt qui non indigeat Dei benignitate & miſericordiâ? omnia bona & ſubſidia tam naturæ, quàm gratiæ, tam corporis quàm animæ nobis ab illo præſtantur, ab hoc fonte omnia in nos beneficia dimanant, quem charitas & beneficentia nobis aperit, immiſericordia verò claudit. Quis etiam eſt, qui non multis culparum & pœnarum debitis omnium Domino ſit obſtrictus & obligatus? ſi volumus ea nobis dimitti, etiam nos debita proximis noſtris ex animo dimittamus.

mus. Et quidem quantilla ſunt debita, quæ nos alijs dimittimus? è contra ipſi longè majora debemus. Quàm exigua & vilia ſunt beneficia, quæ alijs impendimus? ipſi è contra donis maximis â Deo cumulamur. Faciamus ergo libenter hanc commutationem, quæ nobis offertur, dimittamus minora, ut nobis majora dimittantur; demus modicum ut multum recipiamus; hoc ſemper animo noſtro firmiter impreſſum habentes, quod nobis â Deo in conferta menſura remetietur, quicquid proximis noſtris fecerimus, ſive bonum, ſive malum, non tantùm in præſenti ſæculo, ſed vel maximè in futuro. Eſto igitur ô homo in proximos tuos charitativus & beneficus, debita ipſorum libenter dimitte, nè alioquin Dei beneficentiâ, & miſericordiâ te indignũ reddas, & pro tuorum peccatorum debitis, in carcerem horrendum inferni aliquando detrudaris, nunquam inde per omnem æternitatem dimittendus; vel in purgatorio ad ultimum uſq; quadrantem omnia perſolvere cogaris.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 22. Februarij.

Diſcedite â me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. *Matth. 25.*

COnſidera quàm tragica, quàm horribilis futura ſit extremæ illius diei ſcena, cùm omnia reſonabunt tonitruis, & fulminibus coruſcabunt, cum terra violento quatietur tremore, ſtellæ cadent de Cœlo, Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, cùm virtutes Cœlorum movebuntur, & feralis tubæ ſonitus omnes mundi populos è ſepulchris regionum ad tribunal ſupremi judicis evocabit, qui valde ſeverus ac terribilis adveniet corā toto mundo, cuiq; decernere prout in vita ſua meritus fuerit, ſive bonum, ſive malum. Inter hæc omnia nihil erit triſtiùs & horribiliùs, quàm ſententia illa, quam Judex in reprobos fulminabit. Dicet illis horriſonâ voce: *diſcedite* â me bono infinito, bono vobis oblato, & ſceleratè contempto. *Diſcedite maledicti*, omni miſericordiâ & gratiâ indigni, qui maledictionem hanc ipſi voluiſtis, & evenit vobis. *Diſcedite in ignem*, non brevem, ſed æternum; in abyſſum inferni tenebroſam, & opertam

Digitized by Google

mortis caligine, in locum tormentorum & omnium malorum, qui Diabolo, & Angelis ejus ab initio mundi paratus eſt. Hi ſocij veſtri & ſimul carnifices erunt ac tortores. Ibunt tunc miſeri in ignem æternum, juſti autem in vitam æternam. Perpende quàm horrenda futura ſit illa damnatorum ab electis ſeparatio & diſceſſio, nunquam ampliùs per omnem æternitatem Cœlum aut electos aſpicient, claudet ſuper illos infernalis puteus os ſuũ in perpetuum. In horrendo illo carcere miſeri ſine ulla ſpe veniæ ac redemptionis infinitis doloribus ac ſupplicijs torquebuntur, dentibus ſtridebunt, flebunt atq; ejulabunt per omnem æternitatem. Hic finis erit funeſtæ illius tragædiæ. Sic nunc vive, ut cum omnibus ſanctis illam ſecurus ſpectare merearis, nec te pariter involvat infelix & lamentabilis illa ſors reproborum. Fuge peccata, & non timebis in illa die à verbo aſpero. Si non fueris de numero peccatorum, non eris de numero reproborum.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 23. Februarij.

Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit, ità factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. *Job 1.*

FIrmiſſimè tibi perſvaſum habe, omnia ſive bona, ſive mala, nobis â Deo immitti, & ſine ipſius efficaci & expreſſa voluntate nihil hominibus evenire. Inſtrumenta ipſius ſunt nō tantùm res huj⁹ mundi inanimatæ aut irrationabiles, ſed mali etiam homines, quos Deus in hoc mundo tolerat, ut vel ipſi convertantur, vel boni per illos exerceantur, quamvis malæ voluntatis non ſit cauſa, ſed illā huic, vel illi electorum ſuorū ad promerendam patientiæ coronam applicet, ſuppoſitâ perverſitate ipſius. In omnibus ergo non tantùm bonis & proſperis, ſed etiam triſtibus & adverſis divinam circa te voluntatem adora. Si te affligi & mortificari contigerit ab irrationalibus creaturis, ſi calore, frigore, morbis, aliiſq; moleſtijs vexari, dic ſemper: ſicut Domino placuit, ità factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Quis ſum ego, ut voluntati Dei reſiſtam, vel contradicam ſermonibus Sancti? ſi etiam contigerit pravos ho-

homines adverſùm te conſiſtere, tibique contumelias atque injurias inferre, dic patienter ad Deum tuum: obmutui &non aperui os meum,quoniam tu feciſti, amove â me plagas tuas. Sic iram Dei, quam peccatis tuis meruiſti placabis, qui nihil aliud per tribulationes tibi immiſſas quærit,quàm patientiam; & vel tolletur â te adverſitas, vel facies cum ipſa proventum, ut non tantùm poſſis ſuſtinere, ſed etiam immenſum gloriæ pondus per illam promereri. Quòd ſi volueris per impatientiam exardeſcere, vel divinam circa te diſpoſitionem obmurmurando reprobare, illa quæ te vexant mala ſuſtinere nihilominus cogeris, & inſuper graviora per impatientiam incurrres hîc vel in futuro ſuſtinenda. Cùm igitur omnia quæ tibi accidunt â Deo immittantur, nec divinæ voluntati reſiſtere poſſis,ſuſtine patienter quod neceſſariò ſuſtinendum eſt, & fac ex neceſſitate virtutem, ſic nulla tibi nocebit adverſitas, imò ad promerendam æternæ vitæ gloriam plurimùm conducet.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 24. Februarij.

Dominus de Sion rugiet, & movebuntur Cœli & terra.

Joel. 3.

QVàm horrendus eſſet Leonis rugitus, ad cujus ſonitum Cœlũ & terra moveretur? at longè horribilior erit rugitus ille, cùm Dominus tanquam Leo in furorem concitatus, de cæleſti Sion rugire incipiet, veniens in nubibus cœli, in ſanctis millibus ſuis, facere judicium, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. Rugitus ille non ſolùm terræ fundamenta concutiet, ſed etiam Cœli cardines & columnas faciet contremiſcere; nec tantùm impios, ſed etiam electos horrore percellet. Sicut enim dum Rex aliquis potentiſſimus contra refractarios & rebelles ſuæ Majeſtati judicium inſtituit, eósq; ſeverè correptos & ſupplicijs adjudicatos in manus carnificum tradit, etiam judicij Aſſeſſores, alijque fideles Regis Miniſtri, nullius culpæ aut reatûs ſibi conſcij terrore concutiuntur, ità ut nullus audeat hiſcere, multò minùs preces pro ſalute reorum interponere; ſic erit in extremo die, cùm ſupremus Judex in vindictam de im-

impijs ſumendam exarſerit. Quàm terribilis erit ejus vox, quo non tonitru gravior erit ille rugitus, cùm in furore ſuo contra reprobos tonare cæperit, cùm peccata illorum & perfidias contra ipſum commiſſas objurgare, vilipenſa tot beneficia & contempta divinæ gratiæ ſubſidia exprobrare; cùm ipſorum arguet ingratitudinem, crucem exhibens & vulnera pro ſalute ipſorum ſuſcepta; cùm tandem eos condemnabit, & â throno ſuo abactos, atque in gehennæ abyſſum detruſos, Dæmonum crudelitati ſubijciet, æterno dolore torquendos. Non tantùm omnis tunc iniquitas oppilabit os ſuum, ſed nec innocentia cujusquam ſancti pro miſeris intercedere audebit, ſcenæ illius horrore perterrita, ſciens etiam Judicis iram nullis tunc precibus eſſe placabilem. Non vis ô homo, ut te horrendus ille rugitus Leonis hujus in illa die contingat, noli furorem ejus peccando ſuccendere, & contra te nunquam exardeſcet.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 25. Februarij.

Dominus eſt. Quod bonum eſt in oculis ſuis faciat. *1. Reg. 3.*

SI Dei voluntas eſt perfectiſſima, conſequens eſt, ut voluntas noſtra tantò ſit perfectior, quantò eſt voluntati divinæ ſimilior ſeu conformior. Ut ergo voluntas tua ſit Deo beneplacens & perfecta, illam ſemper divinæ ſtudeas conformare. Velis quod Deus vult, noli quod ille non vult. Neque debet hoc ſolùm intelligi, de virtutum & vitiorum actibus, ſed etiam de quibuscunque alijs rebus, quæ nobis â Deo immittuntur. Quicquid ergo ſive proſperum, ſive infauſtum tibi evenerit, â Domino libenter ſuſcipe, animo in ſanctiſſimam ejus voluntatem plenè reſignato. Dic: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ad læta & triſtia, ad humilia & ſublimia, paratum ad labores & dolores, ipſáque gehennæ ſupplicia citra culpam toleranda. Mea unica voluptas tua Domine voluntas, quæ ut impleatur, ad omnia quæcunque juſſeris paratus ſum & non ſum turbatus. Et vel ideò maximè nos in Dei voluntatem oportet eſſe plenè reſignatos, quòd ne-

neſciamus quid nobis bonum, quid malum ſit. Ille verò ſcit optimè, quæ nobis ſint ſalubria, quæ damnoſa. Adverſitates ac tribulationes hujus vitæ malum eſſe putamus, optamus è contra mundanam proſperitatem. In oculis verò ipſius adverſitas hujus mundi bona, proſperitas verò mala æſtimatur; illa electis, hæc reprobis deputata. Deo igitur nos plenè committamus, ſolicitudinem noſtram in ipſum jacientes, eſt enim ipſi cura de nobis, nec aliud ſanctiſſima ejus voluntas intendit, quàm ut nos per media â ſe cognita & deſtinata, ad finem æternæ beatitudinis perducat. Illi nos perfectè conformemus, nè alioquin pro perverſæ voluntatis noſtræ merito damnationem incurramus, ac de nobis ſtatuatur, quod quidem bonum erit in oculis Dei, malum autem æternum pro nobis, quod toties volumus, quoties ea reprobamus, quæ bona viſa ſunt in oculis Dei.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 26. Februarij.

Dormiêrunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. *Pſ. 75.*

EVenit quandoque ſitienti, ut ſibi videatur inter dormiendum bibere, celerrimè verò tranſit illa ſomnij delectatio; cúmque â ſomno expergiſcitur, deluſum ſe videt, vacua enim eſt anima illius, nec ſitim ſuam explevit, quanquam ſe multùm bibiſſe ſomniaverit. Talis eſt ſors divitum in hoc mundo. Vita ipſorum cum omnibus mundi divitijs ac voluptatibus, quibus in hoc ſæculo frui videntur, nihil aliud eſt, quàm fallax & breve ſomnium, omnia ipſorum bona videntur eſſe aliquid, cùm nihil ſint, famem ſitimque ipſorum irritare quidem, non tamen explere poſſunt; poſt modici temporis guſtum avolant, celeriter diſparent ac tranſeunt, ſicut viſio & imaginatio nocturna. Poſtquam miſeri de vanitatis ſomno, & cæcitatis ac dementiæ ſuæ lethargo fuerint expergefacti, qui ante multùm ſe habuiſſe putabant, & multis voluptatibus perfrui videbantur, nihil invenient in manibus ſuis. Videbunt quàm celeriter tranſiêrit hujus mundi vo-

luptas & opulentia, videbunt ſe pauperes & nudos nihil ex hoc mundo extuliſſe, quo famem & ſitim æternam explere poſſint. Quid igitur agendum? ſpernendæ ſunt nobis fallaces hujus mundi divitiæ ac voluptates; ſi divites eſſe cupimus, veras divitias amemus, quæ non ut ſomnium vel umbra tranſeunt, ſed manent in æternum. Bonum inſtanter operemur, & ſtudeamus virtutum meritis apud Deum eſſe opulenti, hæc enim ſola nobiſcum hinc efferre poterimus. Omnes mundi hujus divitiæ, pompæ ac vanitates nos citò deſerent, relinquere iſta expedit, quàm ab ipſis in morte invitos relinqui. Beatus ille qui horâ exitûs ſui de hoc mundo, multum de bonis operibus, quæ operatus eſt inveniet in manibus ſuis, quibus vivat in æternum. Miſeri è contra & infelices illi, qui poſt vitæ hujus opes ac delicias, velut breve ſomnij oblectamentum, æterno conficientur dolore ac egeſtate.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 27. Februarij.

Dum ſumus in corpore peregrinamur â Domino. 2. *Cor.* 5.

COnſidera nos omnes eſſe peregrinos & hoſpites ſuper terram. Patria noſtra cœleſtis paradiſus eſt, quam quia Proto-parentes noſtri in juſtitia originali perſeverando ingredi noluerunt, in hujus mundi exilium pulſi ſunt, ac relegati in terram hanc deſertam & inviam, non niſi dolorum ſpinas & laborum tribulos homini germinantem. Peregrinamur ergo â Domino ad Dominum, ut emenſo vitæ hujus ſtadio, ipſum in cæleſti Patria conſequi valeamus. Si autem peregrinos nos eſſe agnoſcimus, geramus nos etiam tanquam peregrinos. Nihil habent vel dicunt in via ſua proprium homines peregrini, niſi quod ſecum attulerunt; nos ergo pariter, cùm nihil in hunc mundum attulerimus, nihil dicamus proprium, & utamur hujus mundi rebus tanquam inſtrumentis in diverſotio nobis ad uſum conceſſis, quæ omnia poſt paululum hinc emigrando ſumus relicturi. Nihil etiam peregrinos adeò delectat in via, ut itineris ſuſcepti obliviſcan-[illegible]; ità nos ad patriam feſtinantes, omnia hujus mun-

di lenocinia contemnere debemus, & celeri pede omnia pertranſire. Peregrini multos in via patiuntur labores ac dolores, ſudant & algent, cum fame ac ſiti frequentiùs conflictantur, ſæpe infirmantur & fatigantur, has tamen omnes viæ moleſtias ipſis relevat cogitatio Patriæ ad quam tendunt. Ità & nos omnes vitalis hujus viæ noſtræ afflictiones ac moleſtias patienter ſuſtineamus ſpe cæleſtis Patriæ, donec videamus Deum Deorum in Sion, quem terreſtris hæc noſtra peregrinatio quotidie debet ſuſpirare. Hunc poſtquam aſſecuti fuerimus, & poſt abjectum corporis pondus æternæ patriæ civium numero adſcripti, dulce nobis erit in æterna requie priorum meminiſſe laborum ac dolorum. Interim pondus carnis noſtræ cum mærore portemus, quod nos â conſecutione finis noſtri retardat.



MEDI-

MEDITATIO
pro die 28. Februarij.

Dum tempus habemus operemur bonum. *Galat. 6.*

VIdemus mundi homines mercibus quibuscunque indigentes, illas nundinarum tempore, dum pro facili pretio venales exponuntur, ſibi comparare, nec deeſt emendi occaſio, quamdiu nundinarum tempus labitur; finito autem nundinarum tempore; nulla emendi ſeu mercandi ampliùs eſt facultas. Totum vitæ noſtræ tempus quo in hoc mundo degimus, nihil eſt aliud, quàm tempus nundinarum & negotiationis, quo nobis non bona quæcunq; tranſitoria, ſed cæleſte regnum cum æternæ beatitudinis gloria venale proponitur & offertur, & quidem pro leviſſimo pretio, nam quovis opere bono in gràtia elicito, quamvis illud ſit minimum, magnum valde cœleſtis gloriæ pondus nobis poſſumus comparare. Non ſinamus ergo nobis excidere occaſionem tam lucroſè negotiandi; citò vitæ hujus tempus præterlabitur, citò nundinæ iſtæ clauduntur, properemus cum ſolutione pretij, dum tempus habemus inſtanter operemur bonum, nullum tranſeat momentum, quo non aliquem actum

æternæ beatitudinis meritorium ſive internum, ſive externum divinæ Majeſtati offeramus; nec ſimus contenti quocunq; gradu, ſeu menſurâ cœleſtis gloriæ, ſed pro ejus augmento indefeſsè laboremus. Quòd ſi ſtrenuè fecerimus, gratulabimur in beata æternitate nos tam ſapienter in hac vita fuiſſe negotiatos, & occaſione nobis ad breve tempus oblatâ bene uſos, pro levi bonorum operum pretio immenſas cœleſtis gloriæ merces lucritulíſte. Cogitemus quid homines damnati facerent, ſi hæc denuò illis â Deo faveretur occaſio, ut ad vitam redire, & gloriam cæleſtem ſibi bene operando comparare poſſent? ipſi ſancti cum Deo in cœlis jam regnantes, ſi aliquis in ipſos cadere poſſet dolor, hoc unicum dolerent, ſe non plures beatitudinis gradus bonis vitæ hujus operibus ſibi promeruiſte. Age igitur in hac vita, quod egiſſe velles in altera.

MEDITATIO

Pro die 29. Februarÿ, in anno biſſextili.

Ecce ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis uſq; in ſempiternum. *Iſaiæ 65.*

VIdiſti aliquando non ſine metu ac horrore Cœlum nubilum ac tempeſtuoſum, audîſti tonitruorum fragores, fulgura & fulmina ſpectâſti, brevi autem poſt nubila phæbos vidiſti revertentes, novam ac ſerenam Cœlo reductam faciem, quaſi nubibus nunquam obductum fuiſſet. Sic erit poſt hujus vitæ nubila & tempeſtates, quæ juſtos potiſſimùm premunt. Sic erit poſt tragicam & horrendam extremi judicij ſcenam, in qua Cœli non tantùm obtenebrabuntur, ſed etiam cum omni terra igne horribili vaſtabuntur. Grege autem reproborum in tartara detruſo, paulò poſt reducet Deus electis ſuis ſerenam & planè novam cœli faciem, ſeptempliciter quàm ante fuerit pulchriorem. Terram quoque in qua Beati multas laborum atque dolorum ærumnas paſſi ſunt novo decore veſtiet, ut o-

Digitized by Google

omnia vetera, læto & jucundo novorum aſpectu, ſanctis tranſitura ſint in oblivionem. Gaudebunt tunc ipſorum animæ profligatis omnibus tribulationum nubibus, per omnem æternitatem nunquam redituris, gaudebunt & exultabunt in ſempiternum. Sicut Beatis omnia nova, jucunda & amœna, ita reprobis in horrendo illo inferni carcere, omnia erunt triſtia & doloroſa. Nunquam ampliùs Cœli faciem miſeri videbunt, in profundiſſimis & abſtruſiſſimis terræ viſceribus, vaſtiſſimâ & duriſſimâ parietum compage vallati. Videbunt ſe in loco miſeriæ ac ſupremæ afflictionis conſtitutos; quicquid enim dolorum ac tormentorum, quicquid turpitudinis, putredinis ac fæditatis fuit in hoc mundo, in gehennæ abyſſum procul â ſanctorum aſpectibus confluet. Neque ipſis erunt in memoria priora, vitæ nimirum præſentis gaudia & deliciæ, niſi ad majus animi tormentum. Elige nunc ô homo, quod vis. Dilige ſi placet hunc mundum ſeneſcentem, & in gehenna æternùm geme; vel ipſum cum vanitatibus ſuis tranſeuntem contemne, ut in ejus novitate aliquando delecteris. Novum videre nulli dabitur, qui veterem non contempſit.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 1. Martij.

Ecce judex ante januam aſſiſtit. *Jacob. 5.*

QVanto non terrore percellitur latro propter ſcelera comprehenſus, cùm ipſi dicitur Judicem ante januã carceris aſſiſtere, ut ipſum juxta æquitatis rigorem judicet, & ſi reum deprehenderit, mortis in illum ferat ſententiam. Omnes nos in hoc corpore velut in carcerali cuſtodia detinemur, mille criminũ nobis conſcij, aut ſi non malè conſcij, non tamen exinde juſtificati. Ecce admeat Judex, habens ſecum horrendos carnifices ac tortores; Judex qui nos pro ſceleribus noſtris ſeveriſſimè judicabit, & ſi deprehenſa fuerit in nobis iniquitas, ad æterna tormenta & ſupplicia condemnabit, nec ſententiæ terribilis executionem ulla poterit mora vel appellatio ſuſpendere. Hic Judex nobis adeò extimeſcendus, jam ante januam carceris aſſiſtit, nec reſtat aliud, quàm ut illam aperiri, & nos ad ſuum horribile judicium evocari curet. Janua illa eſt, janua triſtis ac funeſta, per quam ex hoc mortali carcere egredimur ad horrendam illam æternitatem. Non recogitant hæc mortales, quamvis mille ſcelerum reatibus obſtricti nihil habeant veniâ vel commi-

miſeratione dignum, quod ante tantum Judicem pro excuſatione ſui proferre poſſint. Vivunt nihilominus quaſi planè ſecuri, imò peccata nova veteribus accumulant, cùm repentè janua æternitatis ijsdem aperitur, & rapiuntur miſeri ad horrendum illud Tribunal, in quo poſt pronuntiatam in ipſos æternæ mortis ſententiam, actum cum illis eſt & conſummatum. Si ſapis ô homo, reatum tuum agnoſce, pœnitentiam age; Judicem deprecare, interceſſores quære, quamdiu porta æternitatis clauſa eſt, & nondum ex hac vita evocaris. Aſſiſtit Deus ante januam, obſervans quid agas, quid cogites; etiam tu ad januam aſſiſte, ſemper ad exitum paratus; ut ſeveritatem judicantis evadas, implora miſericordiam expectantis.

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 2. Martij.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.
2. Cor. 6.

SCis ô homo multis te peccatorum reatibus Deo eſſe obſtrictum, credis horrendum eſſe incidere in manus Dei viventis, peccata hominum diſtrictè judicantis, & vel in purgatorio vel inferno ſeveriſſimè plectentis. Credis è contra bonis hujus vitæ operibus magnam inCœlo gloriam & coronam rependi. Hæc conſiderans frequenter conſtituis vitam emendare,peccata fugere,amplecti pœnitentiam, & virtutibus operam dare. Bonum eſt quod proponis, ſaltem quod vis facere, fac citò. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, hanc inſtanter operare & feſtina ingredi in beatam illam requiem, priusquam janua Paradiſi claudatur, & occidat tibi Sol divinæ gratiæ; priusquam vitæ tuæ clepſydra, quæ ſemper ad decurſum tendit, elabatur; tunc enim pœnitendi ac bene operandi tempus non erit amplius, nec quisquam in inferno confitebitur Domino. Conſidera ſi damnati haberent vel unicam horulam ſibi à Deo ad pœnitendum conceſ-

ceſſam, quantis non ſuſpirijs & lachrymis, quàm ſeveris pœnitentiæ ſupplicijs peccata ſua expiarent. Si etiam electis ad vitam redire concederetur, quantâ non laboris inſtantiâ bonis operibus inſudarent, ad lucrandum æternæ beatitudinis augmentum. Ecce quod reprobis & electis jam negatur, tibi adhuc conceditur. Vtere igitur occaſione ac tempore tibi conceſſo, noli pœnitentiam ultrà procraſtinare, noli ſtudium perfectionis differre in futura & fortaſſe non futura tempora, quæ Pater Cœleſtis non in tua, ſed in ſua poſuit poteſtate. Tempus tuũ nõ dormit, ſed ſemper propinquiùs admeat extrema vitæ hora, quæ cùm venerit, nihil ampliùs boni agere, nihil mali flere poteris, ſed nolens volens iter illud tenebricoſum inire debebis, digna operibus tuis ſive bonis, ſive malis, ſtipendia recepturus. Vide igitur quid agas, mentis torporem excute, tempus acceptabile tibi â Deo conceſſum accepta, dies ſalutis ſalutariter impende, nunquam tibi hæc recurret occaſio, tempus ſemel perditum, & ſalutem ſemel amiſſam nunquam in æternum recuperabis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 3. Martij.

Ecce ſto ad oſtium & pulſo. *Apocal. 3.*

Conſidera homo animam tuam ad hoc eſſe conditam, ut ſit Dei habitaculum; ipſe lumen ejus eſt, ſine quo tota eſt tenebroſa; Ipſe pulchritudo ac decor ejus eſt, ſine quo tota eſt fæda & abominabilis; ipſe hoſpes ejus eſt, ſine quo miſera eſt ac penitùs deſolata. Hunc tamē dulciſſimū hoſpitem multoties ab anima tua ejeciſti; ejectus redit; non quòd indigeat domo tuâ, qui ſedet ſuper Angelorum thronos, ſed venit ut benedicat domui tuæ. Stat ad oſtium & pulſat motu divinæ ſuæ gratiæ ferream voluntatem tuam, intromitti poſtulat, tu verò ipſi non ſolùm non aperis, ſed nec monita & pulſus ejus vis audire, imò potiùs capitalem ejus inimicum ad animæ tuæ habitaculum recipis, videlicet peccatum, cum quo ille nunquam cohabitat. Audi ergo vocem ejus, & noli cor tuum ultrà obdurare, ut pulſantem contemnas. Venit in tuum commodum, ut ſalus fiat domui tuæ; ab illo manat omnis in eam benedictio, ſi pulſanti aperueris, omnibus bonis per ipſum repleberis. Si ad te intraverit, cænabis

nabis cum illo, & ipſe tecum. Dulciſſimis ille conſolationibus animam tuam paſcet, & cæleſtes faciet in hac vita prægustare delicias. Ipſe modico eſt contentus, nec magnum â te requirit hoſpitalitatis officium, unicum exigit bonæ voluntatis affectum. Quòd ſi nihilominus ſaluberrimas ejus monitiones, & tot gratiæ pulſus audire contemnis, nec cordis tui januam aperis tam inſtanter intrare volenti, veniet tempus, cùm & tu pulſabis Cœli januam, cum fatuis virginibus â Regno ejus excluſus; cùm deſiderabis intromitti, nec per omnem æternitatem obtinebis. Non audiet tunc deprecantem, quem audire noluiſti oſtium cordis tui pulſantem, & ſalubria inſpirantem; Dei contemptor, propriæ ſalutis neglector.



MEDI-

MEDITATIO

Pro 4. die Martij.

Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere â malo intelligentia. *Job 28.*

MUlti ſunt in hoc ſæculo prudentes ſecundùm carnē, qui terrena ſapiunt, & quamvis multa noverint, non ſolùm de his inferioribus elementis, ſed etiam motibus cœlorum & ſiderum curſibus diſcurrere, ſe ipſos tamen neſciunt, & res ad ſalutem neceſſarias ignorant. Aut ſi hæc ſciunt, ſciunt merè ſpeculativè, & ſterilis eſt omnis ſcientia ipſorum, quia nullos parit bonæ vitæ fructus, nec actio ipſorum doctrinæ concordat. Multa dicunt, pauca faciunt, pereunt in ſapientia ſua, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Non eſt hæc vera & cœleſtis ſapientia, ſed terrena, animalis, diabolica. Vis eſſe ſapiens & verè intelligens, Deum time & recede â malo. Ad hoc autem non eſt opus nimis multa ſcire; ſufficit Deum nôſſe, quem conſequi, & malum quod fugere debes; nôſſe videlicet obligationē ſtatûs tui, & modos quibus contra Deum poſſis delinquere. Nec verò ſolùm ſcienda ſcire debes, ſed etiam

tiam

Digitized by Google

tiam facere quæ ſcis facienda, & fugere quæ nôſti fugienda. Hæc eſt ſcientia ſalutis & prudentia juſtorum. Ex praxi colligitur vera hominis ſapientia, nec multa bona ſcire, ſed bona facere hominem ſalvat. Noli ergo de multa eruditione ac ſcientia extolli. Quid tibi prodeſt ſcire omnia divinitatis myſteria, ſi non ità vivis ut placeas divinitati, quæ ſe non tantùm ſciri præcipit, ſed etiam diligi, & legem ſuam non ſolùm diſci, ſed etiam opere vult adimpleri. Si hoc non ſatagis, non ſolùm inutilis, ſed etiã damnabilis & peſtifera eſt ſcientia tua, nec quicquam tibi proderit, niſi ut graviùs exinde judiceris; ſervus enim quicunque piger & negligens tantò pluribus & gravioribus plagis vapulabit, quantò exactiùs novit Domini ſui voluntatem, quàm tamen implere non ſtuduit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 5. Martij.

Ecce veniet Dominus in ſanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. *Epiſt. Judæ.*

QVot ſunt homines in hoc mundo, quos nè in ſcelerum facinora prolabantur, ſolus abſterret met⁹ humani judicij ac ſupplicij. Horrent incidere in manus judicum & carnificum, qui hodie ſunt & cras non comparent; propter momentaneam confuſionem & breve ſupplicium non audent ſcelera illa perpetrare, quæ nôrunt humanis legibus eſſe prohibita, divinas tamen leges parvi æſtimant, divinam Majeſtatem offendere imò & contemnere pro nihilo ducunt, non curant æterni Judicis tribunal, tetrum inferni carcerem & ſupplicium æternum, cùm tamen omnis mortalium poteſtas & ſeveritas, omnia humana judicia & ſupplicia umbræ ſint reſpectu futurorum, quæ malis in altera vita impendent. Illud judicium erit horribile, cùm Dominus ad judicandum venerit in ſanctis millibus

ſuis, cæleſti ſtipatus exercitu, ad arguendos impios & condemnandos. Magna lux erit in die illa, quâ Jeruſalem ſcrutabitur in lucernis, & manifeſta reddet abſcondita tenebrarum; cùm flammis omnia coruſcabunt, cùm gladius igneus de ore judicantis prodibit, & innumera de throno fulmina in ſceleratos proſilient. O peccator! qui nunc horres momentaneam hujus mundi confuſionem & ignominiam, cogita illius diei confuſionem, dum in luce tanta coram toto mundo & tot ſanctorum millibus turpitudo tua nudabitur, & omnia peccata tua luce meridianâ clariùs cunctis apparebunt. Quàm intolerabile tunc erit, univerſis velut in theatro ſpectabilem conſiſtere, latere autem omninò erit impoſſibile; fruſtra enim dicent impii montibus cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Operientur quidem gehennâ, ſed in pænam, & confuſionem æternam. Hanc confuſionem ô peccator perhorreſce; æterni judicis tribunal ſæpè cogita. Eſto nunc de numero ſanctorum per bonam vitam, ut cum ipſis illâ die judicanti Domino ſecurus aſſiſtas.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 6. Martij.

Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. *Gen. 15.*

O Vox plena dulcedinis & conſolationis! ô quanta erga nos miſeros vilis & abjectæ ſortis homunciones divinæ Majeſtatis eſt dignatio ac beneficentia! Dicit tibi ô homo! Rex infinitæ gloriæ ac potentiæ: *Ego protector tuus ſum.* Quem hoſtem timeas tali ac tantâ protectione munitus? Dicit tibi omnium bonorum fons & abyſſus inexhauſta: *Ego merces tua magna nimis.* Quid non agendum tibi eſt? quid non patiendum? ut tantam mercedem valeas adipiſci? ſi tibi pro hujus vitæ meritis promitteretur gaudium de bono quopiam creato, ſvavi ac delectabili, per trecentos annorum milliones fruendo, annon dignum eſſet omnem hanc vitam per ſingula ejus momenta bonis operibus impendere, ad promerendam tàm ſpatioſi temporis lætitiam & coronam? nunc verò non promittitur tibi merces aliqua creata vel tranſitoria, ſed merces increata, merces in omni bonorum genere infinita, merces cujus duratio eſt æterna, quam ſermo nullus eloqui, nec ulla vis ingenij humani poteſt compre-

 hen-

Digitized by Google

hendere. Noluit Deus munificentiſſimus præmio quocunque creato ſeu temporali pauca brevis hujus vitæ merita remunerari, quanquam illis videri poſſet abundè proportionatum, ſed ſe ipſum nobis offert in præmium æternum, infinitum in ſe bonum, & omnia ſecum bona. Hæc merces eſt non magna tantùm, ſed etiam magna nimis. Hæc eſt illa pretioſa margarita, pro qua debemus omnia vendere, hoc eſt omnia tranſitoria mundi hujus bona dimittere, & inceſſanter laborare ut comparemus eam. Æquum eſt, ut vilis homuncio, quem Rex Cœlorum tantopere dignatur, tantæ promiſſioni labore meritorum correſpondeat, & inclinet cor ſuum ad faciendas juſtificationes ejus propter mercedis tantæ retributionem; dignus alioquin, vel ob ſolum tantæ mercedis ipſi oblatæ ac promiſſæ neglectum, æternis ignibus mancipari.



Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 7. Martij.

Ego ſum Judex & teſtis dicit Dominus. *Jerem. 29.*

PLurimi ſunt mortales graviſſimorum faci-norum rei, qui tamen ad tribunalia non per-trahuntur, quia ipſorum crimina judicum notitiam latent; plurimi quoque ſcelerati latrones ex carceribus dimittuntur velut inſontes, teſtium de-fectu, qui contra ipſos de commiſſis ſceleribus teſti-ficari poſſint. Unde non eſt cur humanum judici-um formidet, qui procul ab hominum conſpectu cri-men perpetrat. Quamvis etiam judex humanus ex privata ſcientia quempiam eſſe reum cognoverit, il-lam tamen non ſequitur, ſed judicat ſecundùm illa, quæ ab alijs, ſive actoribus, ſive teſtibus allegantur & probantur. Aliter ſe res habet in divino judicio, ibi enim nulli actores, nulli teſtes ſunt neceſſarij, idem namque ſimul eſt judex & teſtis. Non indi-get ille alienis documentis, novit enim omnia homi-num arcana. Ipſe eſt oculatiſſimus ille ſpeculator, qui ſemper adſtat deſuper, omnéſque noſtros actus tam internos quàm externos à luce prima in veſpe-ram proſpicit & contemplatur, quos etiam apud ſe

condit, & ſignat in memoriæ ſuæ theſauris. Hic cùm judicium contra reprobos arripuerit, eósque pro ſcelerum ſuorum meritis gehennæ adjudicaverit, teſtimonium ei reddet ipſa reproborum conſcientia, nuda penitùs & aperta, in cujus tabulis omnia ipſorum peccata quoad ſpeciem & numerum exactiſſimè & clariſſimè deſcripta coram omnium oculis exhibebuntur. Omnis tunc iniquitas oppilabit os ſuum, nec aliud miſer peccator dicere poterit, quàm benè ac verè judicatum eſt, juſtus es Domine & rectum judicium tuum. Hoc judicium ô homo ut evadas, ſemper conſidera te in conſpectu Dei ambulare, Judicis ſimul ac teſtis, hominum peccata omnia etiam occultiſſima cernentis, eadémque ſuo tempore graviſſimè vindicantis. Cùm ejus oculi te ſemper & ubique obſervent, tu quoque omnibus locis ac momentis actiones tuas obſerva, ut in ejus conſpectu nihil judicio dignum committas.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 8. Martij.

Ego ſum ſcrutans renes & corda, & dabo unicuiq; veſtrûm ſecundùm opera ſua. *Apocal. 2.*

MAgna eſt Oceani profunditas, magna noctium caligo, magnæ in terræ viſceribus tenebræ; profundiùs tamen, obſcuriùs ac tenebroſiùs eſt humanum cor. Nihilominus divina Majeſtas illud penitiſſimè ſcrutatur ac perſpicit; ipſi nuda & aperta eſt abyſſus humanæ conſcientiæ. Nullæ tenebræ coram illo ſunt obſcuræ, ab ejus conſpectu nox ſicut dies illuminatur. Nullũm peccatum vel minimum etiam ſolâ cogitatione commiſſũ oculos ejus latet, nihil in hominis conſcientia tam profundum, tam parvum, tam obſcurum, tam abditum, quod ſcientiam & notitiam ejus poſſit effugere. Vide jam ô homo quàm multa peccata interiùs habeas in corde abſcondita, multorum ipſe tibi conſcius es, ſunt autem fortaſſe plura quæ oculos tuos latent, oculis verò Dei clara ſunt & conſpicua. Neſcit ſpiritus hominis ea quæ ſunt in homine, ſpiritus autem Dei omnia ſcrutatur. Multa de conſcientiarum tenebris in lucem aliquando proferentur,

quæ ante in ipſis latere non putabantur. Time igitur, & blandienti conſcientiæ fidere noli, ſciens quod Deus ſecundùm ſuam non tuam ſcientiam vel cognitionem judicabit, nec parcet ulli delinquenti, ſed reddet unicuique ſecundùm opera ſua. Quamobrem ſcrutare diligenter conſcientiam tuam, eámque ab omnibus peccatorum ſordibus repurga, cùm etiam nihil in ea ſordidum remanere videris, adhuc time, multa enim obtutus tuos fallere poſſunt. Roga divinam Majeſtatem, ut oculos tuæ mentis illuminet, & conſcientiæ tuæ latebras illuſtret, quatenus omnia peccata videre poſſis, quæ per pœnitentiam nondum expiâſti. Urat quoque renes & cor tuum igne ſui amoris, ut omnes peccatorum ſcoriæ tibi cognitæ vel incognitæ abſumantur, & cùm venerit ſcrutari Jeruſalem in lucernis, nihil in te reperiat quod judicet vel condemnet.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO.

Pro die 9. Martij.

Electi mei non laborabunt fruſtra. *Iſaiæ 65.*

LAbor eſt vita hominis ſuper terram. Neceſſarium eſt, ut in hac lacrymarum valle laboremus, aut Deo aut mundo. Multi ſunt mundanorum hominum labores. Laborant ambitioſi, magnóque ſtudio vanam mundi gloriam ac æſtimationem conſectantur; laborant avari, & innumeris curarum oneribus gravantur, ut pecuniarum theſauros coacervent; laborant homines voluptuoſi, multiſque animorum & corporum tædijs ac moleſtijs breves redimunt delicias & horarias voluptates. Laſſantur hi omnes in via iniquitatis, ambulant vias difficiles, & ſtulto labore miſeri conſumuntur. Laborant omninò fruſtra, imò laborant in ſuum exitium, quamvis enim laboris ſui præmium â mundo interdum recipere videantur, & vanæ gloriolæ, voluptatulæ, pecuniolæ mercede lætari, illa tamen omnia nihil ſunt, & momentanea eſt duratio eorum. Triſtia ſunt ſtipendia, quæ in altera vita miſeri pro laboribus ſuis recipiunt, ſempiterni videlicet gehennæ cruciatus, in quibus ſine ulla requie patiendo

tiendo laborabunt uſque in finem. Aliter ſe res habet circa Dei electos; quamvis enim in hoc mundo ſat duros atque moleſtos labores perferant, conſolatur tamen illos ſpes futurorum. Sciunt enim ſe modico labore æternam ſibi requiem comparaturos, & cùm mercedis eorum tempus advenerit, inæſtimabile præmium cæleſtis gloriæ reportaturos. Non laborant hi fruſtra, imò potiùs â Deo fruſtra & gratis præmiantur, & pro nihilo ſalvi fiunt. Nihil enim ſunt omnes quantumvis maximi vitæ hujus labores, quos perferunt, nihil paſſiones quas ſuſtinent, in comparatione illius cæleſtis denarij, quem ſuis operarijs Deus poſt hanc vitam perſolvit. Strenuè igitur ô homo in Dei obſequio labora, nulla te frangat moleſtia, nullus te labor exterreat. Digna eſt infinito etiam labore tanta merces. Labor autem qui â te nunc exigitur brevis eſt ac finitus, requies & merces ſine fine.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 10. Martij.

Eruntprimi noviſſimi, & noviſſimi primi. *Matth. 19.*

MAgna eſt ſæculi præſentis, & futuri differentia. Tranſibit figura & ſcena hujus Mundi, omnia vetera in nova mutabuntur, de humilibus alta, de altis humilia, de mortalibus ac tranſitorijs fient æterna. Qui fuerunt primi in hoc ſæculo, fient noviſſimi, & noviſſimi primi. Reges & Prinincipes hujus mundi, gloriâ & potentiâ quondam magni & excelſi, qui terram ſub pedibus ſuis tremere fecerunt, tunc omni ſceptro & coronâ ſpoliati, ad locum detrudentur infimum, & in tenebris conticeſcent. E contra plurimi, qui pauperes in hoc mundo fuerunt, & abjecti, quorum non tantùm vita, ſed etiam finis fuit ſine honore, qui omnium facti erant peripſema, ad gloriæ faſtigium ſublimabuntur. Infirma enim, ignobilia & contemptibilia eligit Deus, ut confundat fortia & nobilia, & non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Si enim multos ſecundùm carnem potentes ac nobiles elegiſſet, dixiſſent fortaſsè: potentia & nobilitas noſtra electa eſt, nec donum Dei gratuitum agnoſcerent,

rent. Nunc verò Dei beneficia magis exaltatur, cum eos qui nihil potentiæ ac nobilitatis attribuere ſibi poterant, evehit poſt hanc vitam in ſublime, ut omnibus innoteſcat Dei gratuita electio, juxta ſanctiſſimum ejus beneplacitum, & non ex nobis. Stulti ſunt igitur qui eligunt in hoc mundo eſſe primi, cùm futuri ſint poſtea noviſſimi; eligunt modò primas cathedras, & ſecundis privantur; volunt eſſe glorioſi in hoc ſæculo, deprimendi in futuro; ſcribunt nomina ſua in terris ſuis, quæ poſt hanc vitam cum corporibus ipſorum putreſcent. Horrenda valde metamorphoſis, & magna valdè hominum dementia. Tu ſi ſapis, elige nunc humilia, elige nunc omnibus poſtponi, quàm vel uni præponi, nè poſtea compellaris cum rubore locum tenere noviſſimum. Sis potiùs modò noviſſimus, ut primus fias. Optabilis quæcunq; abjectio in tempore, quæ hominem exaltat in æternitate.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 11. Martij.

Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Apocal. 2.

PErpende nullum â Deo bonum opus coronari, ſi deſit perſeverantia. Etiamſi mille annis Deo ſerviêris in ſanctitate & juſtitia, & innumeros meritorum acervos collegeris, nihil omninò, tibi proderit præſtitum Deo per tot annos obſequium, ſi illud in fine corrumpas. Quamvis etiam tibi perfectionem jam videaris attigiſſe, & inter ſidera poſuiſſe nidum tuum, nihil univerſa proderunt, ſi in fine de juſtitia excidas. Non enim qui multa bona fecerit,& ſanctè per aliquod tempus etiam longum vixerit, ſed qui bona faciendo & ſanctè vivendo in finem perſeveraverit, hic ſalvus erit. Quemlibet enim Deus de fine ſuo,non de vita tranſacta judicat. Eſto fidelis ait uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Cùm hæc ità ſe habeant, magnopere nobis attendendum & laborandum eſt, ut in juſtitia & fidelitate Deo debita uqſue in finem perſeveremus, nec ullam perfidiam contra ſummam ejus Majeſtatem committamus. Verùm hoc non eſt

eſt adeò facile. Difficile eſt unam diem, magìs difficilè unum annum, quantò difficiliùs plures vitæ annos ſine peccato tranſigere. Quot enim vitæ noſtræ momenta, tot peccandi ſunt pericula. Portamus theſaurum noſtrum in vaſis fictilibus, miſeri & fragiles homunciones; ſemper nobis proſpiciendum & cavendum eſt, nè illum per lubrica hujus vitæ incedentes cadendo profundamus, vel ab hoſtibus ereptum amittamus. Implorandum ergo nobis eſt divinæ gratiæ auxilium, ut quod ex nobis non poſſumus, Deo adjuvante præſtare valeamus, peccatorum videlicet omnium pericula ſuperare, juſtitiæ operibus jugiter inſiſtere, in mandatis Dei ſemper ambulare, ipſi fideles uſque ad mortem perſeverare, atque ad extremum vitæ halitum nulli peccato conſentire, ſícq; promiſſam fideliter perſeverantibus in Cœlo coronam obtinere.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 12. Martij.

Eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

Lucæ 12.

COnſidera ô homo tibi aliquando eſſe moriendum, & poſt mortem Deo ſtrictiſſimã reddendam eſſe rationem de omnibus cogitationibus dictis & operibus tuis. Veniet una hora quam neſcis, ad quam per ſingula momenta properas, quæ cùm venerit, nolens volens hinc migrare compelleris. Expectandum habes horribilem adventum æterni Judicis, & neſcis quando ad judicium ſit venturus, horâ enim quâ non putas adveniet. Quot millia ſunt hominum in inferno per totam æternitatem dentibus ſtridentium & ejulantium, qui adventum ejus longinquum adhuc eſſe credebant, ſed illo repentè ſunt obruti, cùm ad reddendam rationem omninò eſſent imparati, & multis peccatorum reatibus obſtricti. Tales judicati ſunt quales inventi, & pro ſcelerum ſuorum merito æternis gehennæ incendijs adjudicati. Quot millia ſunt hominum, qui nullâ infirmitate præviâ repentè mortui è vivis exceſſerunt, â morte miſerabiliter abrepti, ſicut

cut ovis â lupo vel pullus ab accipitre, nihil tunc minùs quàm ultimam vitæ horam cogitantes? quid igitur tibi agendum, nè adventus ſupremi Judicis ex improviſo te obruat, & imparatum inveniat? cogita & perſvade tibi omni horâ venturum, quem ſcis aliquâ tandem horâ venturum. Sic cùm venerit, quacunque demùm horâ venerit, veniet horâ, quâ ſi non venturum putâſti, ſaltem venturum timuiſti. Si autem quavis horâ venturum timueris, haud dubiè ad quamlibet horam te præparabis, ſicut te præparares, ſi certam horam tibi â Deo revelatam ſcires, quâ de hoc ſæculo tibi eſſet emigrandum. Quod tunc faceres ante illam horam, fac ante omnes horas, quarum una procertò erit extrema, nè te imparatum mors unquam inveniat, ſemper paratus eſto.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 13. Martij.

Eſtote factores verbi & nō auditores tantùm. *Jacobi 1.*

QUid prodeſt audire & cognoſcere multa media ad quemcunque finem conducentia, illa tamen nunquam applicare? quid prodeſt infirmo nôſſe mille remedia recuperandæ valetudinis, ſi nunquam illis utatur? quid prodeſt alicui viam ad cœlum ſcire, ſi eam nunquam ingrediatur? ſcire quæ facienda ſunt & fugienda, ſi facienda fugiat, & fugienda committat? ſapiens auditor non audit ſolummodò verbum Dei, ſed etiam cuſtodit illud, non ſolùm mente, ſed & facto ſeu opere. Sapientia vera non eſt multa ſcire, ſed declinare â malo & facere bonum. Si ergo vis verè ſapiens eſſe, ſtude facere quod faciendum audiviſti, aut legiſti. Scientia tua non ſit otioſa, ſterilis vel infructuoſa, ſed pariat fructus bonorum operum, nè alioquin computeris in eorum numero, qui cùm ſe doctos atq; ſcientes jactent, procul tamen abſunt â vera ſapientia, ſemper diſcentes, & nunquam ad veram ſcientiam pervenientes, quæ nō in nuda cognitione, ſed in facto conſiſtit. Conſidera quòd quantò plura ſcis in or-

 dine

Digitized by Google

dine ad finem beatitudinis æternæ, tantò majorem habiturus ſis damnationem, niſi juxta ſcientiæ tuæ dictamen vixeris. Si non vis eſſe factor verbi divini, meliùs eſſet ut nec eſſes auditor. Tolerabiliùs erit illis in die judicij, qui Deum omninò non cognoverunt, quàm ijs, qui cùm cognoviſſent Deum, ejúsque verbum audiviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Non recipit unusquisque in altero ſæculo prout ſcivit, ſed prout geſſit in hac vita, ſive bonum, ſive malum. Manus igitur operi applica, & ſcientiam tuam in praxim aliquando redige.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 14. Martij.

Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt. *Matth. 5.*

SI ſclopo vel arcu rem longinquam velis tangere, neceſſarium eſt, ut ſupra metam ſeu ſcopum collimes. Fluvium aliquem rapacem cymbâ tranſmiſſurus, non ſolvis cymbam è regione loci quem vis attingere, ſed longè altiùs, nè alioquin impetu labentis fluvij multùm ultra ſcopum propoſitum abripiaris. Idem tibi in via virtutis & religionis faciendum eſt, qui jugiter ad perfectionem tendere debes, quæ homini valde difficilis eſt atque ardua, quamque pauciſſimi attingunt. Imò vult Salvator nos ad tantam perfectionem tendere, ut ſimus perfecti, ſicut & Pater noſter Cœleſtis perfectus eſt. Altiſſimam & inattingibilem metam divina Majeſtas nobis conſtituit, quam licet nunquam ſimus obtenturi, ſi tamen viriliter illam attingere ſtuduerimus, affectus nobis pro effectu computabitur. Altiſſimæ igitur perfectionis ſcopum tibi attingendum propone, noli parvis aut mediocribus eſſe contentus; quod tametſi feceris, & ad ſublimiſſima collimaveris, non

tamen procul ab imo te deprehendes, quantò magis ſi nullam perfectionis curam habueris? magnam vim Regnum Cœlorum patitur, nec parvâ violentiâ expugnatur. Magno valde conatu opus eſt, ut rapax hujus mundi fluvius ita traijciatur, nè nos ad inferna ſecum abripiat. Juſtitiam ergo majorem & majorem ſemper eſuri, in virtutibus altiſſima ſectare, in vitijs etiam minima fuge, & quaſcúnq; leviſſimas imperfectiones ſummo ſtudio devita, ut omnem purgatorij pœnam in altera vita penitùs evadas, vix tamen ſic lethalis peccati & inferni pericula effugies; quantò minùs ſi parvis & infimis fueris contentus, nec animum ad majora & altiora extenderis? ſemper igitur in altum conare, ſemper aſcende nè decidas, ſemper progredere nè regrediaris; & omnium quæcunque tibi aſſecutus eſſe videris oblitus, fortiter ac generoſè temetipſum ad anteriora ſemper extende.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 15. Martij.

Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem. *Proverb. 16.*

MAxima eſt fallibilitas humani judicij, & quidem in materia ſive negotio ſalutis æternæ. Neſcit homo an opera ſua Deo placeant, an amore vel odio dignus ſit, tametſi nullius peccati ſibi ſit conſcius. Multi ſe agnos eſſe putant, Deus autem videt illos eſſe hædos magnâ ſcelerum colluvie inquinatos, & in reproborum numero computatos. Via per quam incedunt, videtur illis recta, & ducere ad vitam, interim prava eſt, & ducit ad mortem. Cùm finis viæ ſeu vitæ noſtræ advenerit, tunc primò certum de illa ferre poterimus judicium, tunc videbimus quorſum arbor cum fructibus ſuis fuerit inclinata, cùm ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem jacuerit. Interim omnia in futurum illud tempus ſervantur incerta, vivimus in hac nocte tenebroſa, ignorantes non tantùm quid de nobis, ſed etiam quid in nobis agatur, delicta non intelligimus, nec viam vitæ, â via mortis perfectè dijudicare ſcimus, adeóq; nihil altum ſapere, ſed ſalutem noſtram

Digitized by Google

cum metu ac tremore operari, nóſque coram DEO vehementer humiliare debemus. Optimum eſt meliorem viam ſemper inquirere, & per eam Deo placitè juxta modulum noſtræ poſſibilitatis ambulare. Quia tamen hæc ipſa ſcire vel exequi non poſſumus ſine divina gratia, eam nobis profundiſſimâ humilitate devincire ſtudeamus. Quantumvis etiam per viam mandatorum Dei nobis videamur incedere, ſemper tamen nos peccatores, Dei odio dignos reputemns, & procul â juſtitia remotos. Dirigamus omni ſtudio in conſpectu Dei viam noſtram, ſemper tamen pavidi ſimus. Melius eſt ut de viæ pravitate metuamus, & per illam perveniamus ad vitam, quàm de rectitudine illius nobis blandiamur, & incidamus in mortem.

MEDITATIO

Pro die 16. Martij.

Etiamſi habuero quippiā juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor. *Job. 9.*

IN omni humano judicio, faciliùs quicunque reus apud judicem gratiā & miſericordiam invenit, ſi culpam ſuam humiliter deprecetur, quàm ſi multùm ſe velit excuſare, cùm poſſit probationibus convinci. Multò magìs in divino judicio humilis peccatorum agnitio & deprecatio nobis eſt neceſſaria, ubi judicat ipſa ſapientia & juſtitia, ubi potentiſſima ſupremi Numinis Majeſtas fert ſententiam. Noli ergo in conſpectu Dei te innocentem unquam reputare, noli in quibuscunque operibus tuis multùm confidere. Quamvis enim tibi aliquid juſtum videaris habere, ſi tamen cum peccatis tuis, quibus æterno Judici obſtrictus es comparetur & appendatur in ſtatera, quaſi arena maris hæc copioſiora apparebunt. Nulla omninò eſt humana juſtitia & innocentia ſine Dei miſericordia. Et ſi Deus iniquitates noſtras obſervaverit, nec tantùm peccata, ſed etiam juſtitias noſtras ſepoſitâ clementiâ judicaverit, nullus mortalium ſuſtinebit, nec illi quiſpiam reſpondere poterit

unum pro mille. Dei ergo gratia & miſericordia unicè nobis ad ſalutem eſt neceſſaria, & væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi juxta æquitatis rigorem judicetur. Sanctorum conſcientiæ coram ſupremo illo Tribunali contremiſcunt, quantùm non tua pavere debet, quæ multis peccatorum ſordibus eſt inquinata? quorum potiorem partem fortaſſe non intelligis. Noli multùm cogitare quid judicanti reſpondeas; ſi enim os tuum aperire volueris, ipſa te conſcientia tua condemnabit. Deprecare potiùs Judicem, & quidem maturè, quamdiu tempus eſt gratiæ ac miſerationis. In ſola ipſius miſericordia ſpem tuam conſtitue, ſcelera tua & delicta non abſconde, accuſa potiùs quàm excuſa. Meliùs eſt ut te maximum profitearis peccatorem, & gratiam in Dei oculis invenias, quàm in juſtitia tua vanè confidens, contra expectationem tuam condemneris.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 17. Martij.

Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Matth. 25.

UT Deo juxta obligationem tuam ſervias, conſidera ſervitutis eidem impenſæ ſtipendia. Magnum videretur in hoc ſæculo, ſi quis mundi totius Monarcha, viliſſimis Aulæ ſuæ famulis, pro ſervitute ipſi præſtita, integra mundi regna retribueret, & ex ſervis Principes crearet. Quantùm non exultarent ſervi illi, de ſervitute ad Dominatum, de laborum moleſtia ad quietem & gaudium translati? longè autem majus eſt, quòd Cœli terræque Dominus ſervos ſuos adeò dignetur, ut eos pro ſervitio ac fidelitate ipſorum, in filios & Regni hæredes adoptet, & poſt mortem in æterno gaudio ſecum conregnare faciat, nec jam ſervos dicat, ſed amicos ſuos. O quàm erit volupe ſervo Dei ex hac mortali vita & valle lacrymarum egredienti, vocari ad capeſſendum immortale præmium, & ſvaviſſimã ac dulciſſimam illam vocem Domini ad ſe invitantis audire: ***Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui***, gaudium ſine fine, gaudium maximum,

Digitized by Google

& quidem tantum, ut non poſſit intrare in gaudentes; ſed ipſi gaudentes intrare debeant in illud gaudium, ubi Deo bonorum omnium ac ſvavitatum oceano im̃erſi, gaudeant & jucundentur per totam æternitatem. Vis ut aliquando detur auditui tuo ſimilis lætitia, audi nunc & perfice quæ Dominus tuus tibi ſervo ſuo facienda præcipit. Age ſervum bonum & fidelem, bonum quidem, hoc eſt ſtrenuum ac diligentem in Dei obſequio, fidelem quoque, ut ſoli Deo toto corde ſervias, & hoſtibus ejus, mundo videlicet, diabolo & carni nullum obſequium vel amorem impendas. Sic & tu poſt expletum brevis hujus vitæ ſervitium paria ſtipendia conſequeris, & cæleſte gaudium introibis, nunquam inde ampliùs exiturus.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 18. Martij.

Evigilate juſti, & nolite peccare. 1. Cor. 15.

MAgna eſt hominum infelicitas & miſeria, quòd non tantùm pravi & perverſi in luto peccatorum jacentes, mortifero quodam lethargo ſopiti, & ſalutis ſuæ penitùs obliti ſtertant, ſed etiam juſti, qui ſtant in gratia, dormiant aliquando, ac torpore noxio corripiantur. Qui jacens dormit non excitatur facilè, qui autem ſtans dormit, faciliùs quidem excitatur, gravi tamen casûs periculo ſeipſum exponit; nihil enim faciliùs, quàm ſtando dormientem cadere. Semper ergo etiam juſtis, qui ſibi ſtare videntur, eſt vigilandum, nè in peccata prolabantur; ſemper huc illuc vertenda cervix, ad præcavendas tot hoſtium inſidias; ſemper arma ſpiritualia in manibus habenda, ad ſuperandas illorum tentationes & incurſus. Vigilantia bellatoribus eſt neceſſaria. Quis hoſtis militem illum non opprimat, quem ſomnus oppreſſit? vigila ergo ſemper ô homo, ſi ſalutem tuam diligis, quem tot hoſtes undique circumſtant. In tot ac tantis corporis & animæ periculis conſtitutus es, alto nihilominus ſo-

Digitized by Google

ſopore deprimeris, néq; recogitas,quòd de æterna animæ tuæ ſalute agatur. Excute ſomnum, etiamſi juſtiſſimus tibi videaris, nullus enim quantumlibet ſanctiſſimus ſe unquam reputare debet ſecurum in hac vita, quæ tentatio & militia nominatur, neque in hac lubrica peregrinatione â periculo casûs immunem. Labora viriliter, fortiter ac generosè decerta, tunc quieſcere, tunc ſecurus eſſe poteris, cùm omnes hoſtium tuorum inſidias evaſeris. Cave per ſingula momenta, nè vel uni peccato mortali ſuccumbas. Neſcis enim an poſt lapſum gratiā â Deo ſis obtenturus, qui ſuum promiſit auxilium vigilanti, nec dormienti cuſtodiam, néq; lapſo gratiam reſurgendi promiſit. Tene igitur quod habes, eſto vigilans,téq; in juſtitiæ ſtatū confirma.



MEDI-

MEDITATIO
pro die 19. Martij.

Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. *Sap. 6.*

IMpoſſibile eſt hominem quemcunque ſalvari, niſi miſericordia ſuperexaltet judicium, & rigorem juſtitiæ divinæ temperet. Miſericordia verò conceditur exiguis, hoc eſt, abjectis & humilibus, potentioribus autem fortior & potentior inſtat cruciatio, & judiciū ſine miſericordia. Quàm ſtulta igitur eſt mortalium ambitio! quærunt ſolicitè honores & prælaturas, cúmque ſint miſeri, fragiles & imbecilles, affectant onera humeris etiam Angelicis formidanda. Satis habet quisque quòd pro ſe Deo reſpondeat, & vix ſalvatur in gradu humilis populi; illi autem non tantùm pro ſe, ſed etiam pro alijs reddendam ſupremo judici rationem affectant. Magna & ſtulta hæc illorum eſt præſumptio. Videntur enim judicia Dei parvipendere, nec Regni Cœleſtis gloriam & felicitatem curare, dum honoris mundani gratiâ, tanto periculo ſalutem ſuam exponunt. Confidunt quidem in viribus ſuis, ſed ſtolida eſt illorum confidentia, quod exitus probat; cùm

Digitized by Google

cùm enim honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficiunt. Tu ſi tuæ ſaluti utilia ſapis, noli honorem ullum vel primatum ambire in hoc ſæculo; opta potiùs inter exiguos & ignobiles computari, quàm inter potentes, qui quantò hîc fuerunt illuſtriores, tantò ignobiliores erunt in altero ſæculo, & cùm poſt modicum ſcena hujus mundi tranſiêrit, judicium ſine miſericordia ſuſtinebunt, non tantùm de ſuis, ſed etiam de alienis exceſſibus & defectibus ſtrictiſſimam dare rationem compulſi. Quòd ſi coram ſeveriſſimo illo Tribunali nō ſubſtiterint, decident ſine honore inter mortuos in perpetuum, & pro omnibus ſuis dignitatibus, ac momentanea mundi gloria & præcellentia nihil in altera vita recipient aliud, quàm potentiora tormenta, fortiores cruciatus, ignominiam & confuſionem ſempiternam.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 20. Martij.

Expectatio juſtorum lætitia, ſpes autem impiorum peribit.

Proverb. 10.

LAborant in hac vita & juſti & impij. Juſti â Chriſto, impij â mundo ſuam ſperant mercedem. Ambitioſi deliniuntur honoribus, avaros oblectant divitiæ, libidinoſos carnis voluptas infaſcinat. Nunquam verò tantopere inhiarent inanibus his & falſis mundi bonis ac præmijs, ſi perpenderent, quàm brevis illorum ſit duratio, & quàm citò ſuos deſerant amatores. Non diu illis frui conceditur, hodie ſunt, & cras evaneſcunt! Venit mors & omnia ſuccidit; venit æternitas & finem omnibus imponit, ita ut nec aliquando fuiſſe putentur. Dormiunt ſomnum ſuum, & nihil poſt hanc vitam inveniunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis, nomen illorum & gloria putreſcit, deliciæ ipſorum in æternum dolorem commutantur. At non recogitant hæc in vita ſua mundani, ſed ſperant ſe mundi bona ſemper poſſeſſuros, vel ſaltem ita vivunt, quaſi ſemper illis eſſent fruituri, nec reflectunt ſe ſuper caducam & momentaneam ſortem illorum, aliàs nequaquam

quam ijs tantopere adhærerent. E contra juſti ſpem ſuam non hîc, ſed in Cœlo habent repoſitam, apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud altiſſimum. Sperant & confidunt non in vanis ac tranſitorijs mundi bonis, ſed veris & æternis. Expectatio ipſorum lætitia & gaudium alterius vitæ, hujus ſpe triſtitias & paſſiones ſuas conſolantur. Malunt brevi tempore vexari & affligi cum ſpe lætandi perpetuò, quàm pro brevi ac momentanea lætitia dolorem recipere ſempiternum. Sit etiam tua ſpes & expectatio, lætitia cœleſtis Patriæ, quâ te ipſum in miſerijs & afflictionibus conſolare. Sic autem ſpera, ut ſimul bene vivendo coneris aſſequi quod ſperas, nè alioquin ſpes tua fiat præſumptio, & confundaris ab expectatione tua.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 21. Martij.

Faciliùs eſt Camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum.

Matth. 19.

SI Camelum per foramen acûs impellere debe-res, procul dubio diceres hoc non eſſe tantùm difficile, ſed etiam impoſſibile, ut per foramen acûs tranſeat. Anguſtum eſt acûs foramen, anguſta pariter eſt cœli porta, per quam proinde dives, ſæculi hujus ſarcinis onuſtus, & gibbo divitiarum tumens tranſire non poteſt in Regnum Cœlorũ. Hinc Sancti omnes in hoc mundo gaudent inopiâ & egeſtate, tunſionibus & preſſuris, ut bene preſſi & anguſtiati, liberi & expediti anguſtias illas permeare poſſint, per quas nulli delicijs mundanis incraſſato, & ſæculi divitijs onuſto, tranſitus conceditur. Equidem quod impoſſibile eſt apud homines, poſſibile eſt apud Deum; raro tamen gratiam ſuam concedit divitibus, inter quos ſi aliqui ſalvantur, non ſine miraculo ſalvantur. Sunt enim divitiæ hamus & laqueus diaboli, peccatorum fomenta, voluptatum illices, virtutum hoſtes, æternæ ſalutis impedimen-

ta, gravia denique animarum onera, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Cogita jam quàm ſtultùm ſit temporalibus inhiare divitijs; cum tanto periculo amittendi æternas. Si ſaluti tuæ utilia ſapis, fuge omnes Mundi divitias, paucis contentus eſto, ama paupertatem, nudus & expeditus nudum Chriſtum ſequere, qui cùm eſſet Rex Regum & Dominus Dominantium, egere tamen noſtri cauſâ voluit, ut ſecuram paupertatis ſemitam, quæ per varias anguſtias ad vitam ducit, nobis demonſtraret; unde nec habuit in vita quid proprium, ubi vel caput ſuum reclinaret. Semper cogita, quòd pauperum ſit Regnum Cœlorum, & conſequenter divitibus gehenna præparetur. Depone igitur omnia divitiarum onera, depone omnes affectus ac deſideria ſæcularium bonorum, nè te â portæ cæleſtis ingreſſu impediant, & pondere ſuo deprimant in gehennam.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 22. Martij.

Facite fructum dignum pænitentiæ. *Matth. 3.*

QUilibet homo etiam nullius peccati conſcius peccatorem ſe debet agnoſcere, venturam iram timere, ac pœnitentiæ operibus divinam ſibi miſericordiam conciliare. Si pœnitentia homini nullius peccati conſcio eſt neceſſaria, multò magis tibi, qui divinam bonitatem â te ſæpiùs offenſam fuiſſe meminiſti. Non ſufficit autem qualiscúnq; pœnitentia, oportet facere dignos pœnitentiæ fructus, ut opera ſatisfactoria, quæ ſunt fructus pœnitentiæ, numero & magnitudini culparum contra DEUM admiſſarum correſpondeant. Quantùm antea vanè lætatus es ac deliciatus, tanto jam dolore animum corpúsq; mortifica; quantùm in mundi obſequio laborâſti, tantùm ſtudij divinis obſequijs impende; quantùm ante ſectatus es illicita, tantùm etiam â licitis abſtine; ipſa quoque neceſſaria corpori aliquatenus deneganda, lacrymæ cum pane ac potu miſcendæ, faciendus eſt planctus velut draconum, & luctus quaſi ſtruthionum. Cùm tibi etiam videberis maximam pro peccatis egiſſe pœni-

Digitized by Google

nitentiam, pro magna tamen gratia & clementia reputa, quòd Deus pœnitentiam tuam pro culparum reatibus abolendis benignè ſuſcipiat. Nunquam Deo tantùm honoris retribues, quantùm peccando abſtuliſti; nunquam plenè reſarcies injuriam quam intuliſti. Infinita eſt Dei Majeſtas, è contra infinita tuæ vilitatis abyſſus. Nihil eſt quantumcunque te coram tanta majeſtate humilies, plurimum autem ſi vel minimam illi diſplicentiam cauſes. Tu verò etiamnum inceſſanter Deum offendis, & bibis quaſi aquam iniquitatem, de pœnitentia verò parùm curas. Age congruos pænitentiæ fructus in hac vita, nè ſerò ac ſinè fructu æternùm pœniteas in altera vita.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 23. Martij.

Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in Cœlis. *Lucæ 12.*

OMnibus hominibus fugienda eſt æterna egeſtas; omnibus quærendæ divitiæ, quibus in altero ſæculo vivant; omnibus laborandum ac ſtrenuè operandum, ut ſibi merces conquirant, quarum commutatione cœleſte Regnũ valeant adipiſci. Venit enim nox quando nemo poterit operari, idque ſolum per omnem æternitatem quiſque habebit, quod ex hoc mundo ſecum extulerit. Congregant quidem & filij hujus ſæculi theſauros in hac terreſtri regione, ſed fallaces & corruptibiles, quos ærugo demolitur, tinea deſtruit, putredo corrumpit, fures effodiunt & furantur. Mittunt illos inſuper in ſacculos putridos, laceros & pertuſos, credunt ſe multa habere in annos plurimos repoſita, cùm autem ex hoc mundo ad alteram vitam perventum fuerit, nihil invenient in manibus ſuis. Plorabunt ululantes in miſerijs, videbunt enim divitias ſuas putrefactas, veſtimenta ſua â tineis comeſta, aurum & argentum ſuum æruginâſſe, theſauros om-

Digitized by Google

nes evanuiſſe. Tunc primò agnoſcent quàm inaniter laboraverint, quàm vana fuerit ſpes illorum, quàm brevis mundi felicitas & abundantia, quàm longa ſæculi alterius fames & egeſtas, quâ miſeri æternùm conficientur. Quiſquis ſaluti tuæ utilia ſapis, theſauriſa tibi theſauros bonorum operum, non corruptibiles ac defectibiles, ſed indeficientes; non in terra hac æruginoſa & verminoſa, mille furibus obnoxia, ſed in Cœlo, quò nulla tinea vel ærugo pertingit, & ubi fures non effodiunt nec furantur. De ſacculis quoque tibi provide, qui non veteraſcunt. Sacculus talis eſt humilitas, quo theſaurum tuum condere ac obtegere debes, & vanam hujus mundi gloriam vitare, quæ latum & amplum eſt foramen, per quod bona cuncta mortalibus transfluunt. Si hæc feceris, invenies in altero ſæculo theſauros in hac vita collectos, quibus æternùm vivas.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 24. Martij.

Feſtinemus ingredi in illam requiem. *Hebr. 4.*

OMnes in hoc mundo ſumus viatores, & vita noſtra peregrinatio eſt ſuper terram. Itineramur & pergimus ad ſupernam illam Civitatem, hæc eſt ſcopus & meta itineris noſtri. Laboramus hîc, affligimur & laſſamur, ibi dolorum omnium finis nos expectat, ibi pax ibi requies, ibi repauſabimus ab omni labore ac laſſitudine noſtra. Quid verò eſt quòd plurimi mortales itineris hujus remoras & impedimenta ſectentur? detineri ſe permittunt, mundi vanitatibus, & fallacibus voluptatum blanditijs allecti; vident viam floridam ac delicioſam, & ſubſiſtunt, audiunt fallaces ſyrenarum cantus, & itineris ſui penitus obliviſcuntur, tanquam requies ipſorum hîc eſſet, aut non procul diſtarent ab ingreſſu Patriæ, cùm tamen illis grandis valde reſtet via, & homo non ad quietem, ſed ad laborem in hoc mundo ſuſtinendum ſit creatus, ut non hîc pedem figat, ſed alibi poſt viæ vitæq; hujus laborem requieſcat. Si ergo Patriam noſtram ſeriò diligimus & inquirimus, non permittamus nos ullis viæ hujus

Digitized by Google

amænitatibus & fictitijs mundi blandimentis detineri, ſed feſtinemus ingredi in illam requiem Patriæ Cœleſtis. Expectat nos urbs illa Jeruſalem, cum beatis omnibus ſuis civibus, portas offerens apertas, ambulemus velociter dum lucem habemus, nè tenebræ nos comprehendant; properemus antequam portæ paradiſi claudantur, nè alioquin cum fatuis virginibus â beata illa requie in perpetuum excludamur. Via longa & valde ardua nobis reſtat, tempus autem breve eſt; ſemper currendum nobis eſt, ſemper feſtinandum, ſemper in via Dei proficiendum, ſemper animus eorum quæ retrò ſunt immemor ad anteriora extendendus. Non curanda eſt ulla laboris moleſtia. Quantò durior & moleſtior fuerit labor, tantò gratior erit illa requies. Et quidem labor brevis eſt ac momentaneus, requies autem erit ſempiterna.

MEDITATIO

Pro die 25. Martij.

Fiat voluntas tua.

Matth. 26.

PAuci ſunt in hoc mundo mortales,qui non optant ut ipſorum ſemper voluntas fiat, divinæ autem voluntati parum ſunt obſequentes,ſed ejus ordinationi ac diſpoſitioni frequenter obmurmurant,cùm tamen ſapientiſſimè, ac ſanctiſſimè omnia decernat, nec poſſit quisquam decretis ejus reſiſtere. Humana voluntas infirma eſt ac fallibilis, ſæpiùs etiam prava & perverſa, noxia & exitioſa ſibi multoties fatuè concupiſcit. Æquum eſt ergo & conſultum illam divinæ in omnibus ſubordinari & conformari. Debet igitur quisque corde in Deum plenè reſignato ſemper dicere: fiat voluntas tua, & ſive proſpera ſive adverſa ipſi vel alijs obvenerint, ſemper divinam voluntatem adorare ac benedicere, ejusdémque ſanctiſſimo beneplacito ſe ſuâque omnia ſubjicere. Inſurgant quantumlibet adverſitates, premant curæ, morbi divexent, dolores torqueant, ſæviant perſecutiones, triſtia & moleſta quæque nobis eveniant, nihil animi noſtri virtutem proſternet, nihil erit quod non libentiſſimè tole-

Digitized by Google

tolerabimus, ſi conſideraverimus omnia hæc DEI providentiâ ordinante diſponi. Svave nobis erit ac ſapidum quodcunque tribulationis poculum â Deo propinante ſuſceptum. Nec verò tantùm patiendo caſus quoscunque nobis immiſſos divinæ nos voluntati conformare ſtudeamus, ſed etiam imò vel maximè agendo ſeu exequendo illa omnia quæ â Deo nobis præcepta ſunt. Vanè dicit quicunque Deo: fiat voluntas tua, qui voluntatem ipſius actu ipſo contemnens, frequenter transgreditur. Hoc unicè nobis eſt ſatagendum, nè quid vel minimum contra ſanctiſſimamDei voluntatem, ſive præcipientem, ſive prohibentem â nobis committendo vel omittendo delinquatur. Qui hoc non curat, Dei voluntatem fieri non optat. Et qui eidem ſe noluit conformare in hoc ſæculo, nolens volens illi ſe conformabit in æterno ſupplicio, pœnas luens propriæ ac perverſæ ſuæ voluntatis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 26. Martij.

Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.

1. Cor. 10.

COnſidera magnam Dei noſtri erga nos beneficentiã, dum nos tentari vel affligi permittit; nihil enim ſpectat aliud, quàm utilitatem noſtram, ut ſcilicet faciamus cum tentatione, virtutis & meriti proventum. Inſuper nullum nobis onus ſupra vires noſtras imponit, ita ut quamcunque tentationem & afflictionem, ſive ab ipſo paternè immiſſam, ſive permiſſam, non tantùm ſinè damno ullo, ſed etiam magno cum fructu, poſſimus imò & debeamus libenter atque hilariter ſuſtinere. Non coronatur miles, niſi qui legitimè certaverit. Si delectat animum magnitudo præmiorum, non debet reſpui certamen laborum, non pervenitur enim ad magna præmia niſi per magnos labores, nec triumphus ulli conceditur, niſi diſcrimen pugnæ fortiter ſuſtinuerit. Nulla verò eſt Chriſtiani militis pugna,

Digitized by Google

gna, nullum certamen, nulla præmij materia, ſi tentatio ſeu tribulatio deſit. Tentationem ergo Dei & quamcunque tribulationem ſeu adverſitatem ingruentem, non tantùm patienti, ſed etiam læto hilaríque animo de manu Dei ſuſcipe, in qua non tantuum virtus tua perficitur, ſed etiam magna meritorum ſeges tibi accumulatur. Nullam habes cauſam, ob quam etiam in maximis quibuscúnq; tribulationibus & anxietatibus animum deſpondeas; magnam verò anſam, ut eas alacri fortíque animo ſuſtineas. Promittitur tibi gloriæ cœleſtis præmium, offertur divinæ gratiæ auxilium. Nulla in tantum prævalebit adverſitas, ut illã invito animo perferre non poſſis; nunquam hoſtium quorumcunque robur te adeò potenter oppugnabit, ut tibi deſit reſiſtendi potentia. Habes ſufficientiſſimas â Deo vires ad ſuſtinendum & ſuperandum. Dum ergo tentaris, gaude occaſionem optimi proventûs & meriti lucroſiſſimi tibi â Deo eſſe oblatam. Exere vires, fortiter dimica, nè alioquin ex tentatione non modò nullum conſequaris proventum, ſed & magnum inſuper ſalutis diſpendium, imò & æternam animæ jacturam patiaris.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 27. Martij.

Fide ſtas, noli altùm ſapere, ſed time. *Rom. 11.*

NOn eſt ulli gloriandum de fide mortua, cui deeſt anima vitáque gratiæ. Ipſa etiam viva fides, quæ charitate tanquam animâ informatur, eſtò maximi ſit pretij, & hominem in filiorum Dei ſortem extollat, nulli debet eſſe occaſio altè ſapiendi, cùm illum non ita firmet ac ſtabiliat, ut â caſuum periculis reddat im̃unem. Conandum eſt quidem omnibus ad alta, nè anima illorum cænoſo vitiorum pavimento adhæreat, mundíque hujus voluptatibus ac illecebris conglutinatus ſit in terra venter ipſorum; ſtantibus tamen in alto ſummè attendendum, nè vertigine rotati delabantur. O quot viri ſapientiſſimi & ſanctiſſimi, cùm in ſum̃o virtutum faſtigio ſe conſtitutos arbitrarentur, & inter ſidera Cœli nidum ſuum, jam poſuiſſent, evaneſcentes in cogitationibus ſuis in æternæ damnationis abyſſum corruerunt; qui ruinas evadere potuiſſent, ſi non altùm de ſe ipſis ſapuiſſent, ſed timuiſſent, firmâque baſi ac retinaculis ſe in alto ſolidâſſent. Altitudo lapſibus propinqua eſt. Turris quò alti-

Digitized by Google

altior, eò magis eſt caſibus obnoxia, eò quoque fortiùs ac profundiùs exigit ſubſtaculum & fundamentum. Spiritualis ædificij baſis & ſubſtaculum eſt humilis timor, hic hominem in alto firmat, hic illum â caſu præſervat. Qui pavet, cavet ruinam, qui negligit decidit. Semper igitur homini timendum eſt, & quidem eò magis, quò altiorem ſanctitatis gradum ſe putat attigiſſe. Etiamſi quis ſtet in alto per bonam vitam, in infimo tamen debet conſiſtere per humilem ſui ipſius æſtimationem. Nullus in alto ſtans vertigine facilè corripitur, niſi qui ſe in alto videt conſtitutum. Quicunque ſapis, quantumvis magna facias & alta, non alta tamen ſed infima de te ſapias.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 28. Martij.

Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.

Eccli. 2.

TOlerabiliùs mala quæcunque ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum præmunimur. Hinc etiam ſcriptura divina, omnibus ad ſervitutem Dei accedentibus, ejúsq; militiæ nomina dantibus, tentationes ac tribulationes maturè prænuntiat, nè alioquin Chriſti tyrones ac neophyti, multa ſubitò videntes adverſum ſe bella conſurgere, animum deſpondeant. Quicunque igitur Dei ſervitio ſe accingit, non pacem ſibi & otium promittat, ſed potiùs ad magnum laborem & patientiam ſe præparet. Neceſſarium eſt ut multas & varias ſuſtineat hoſtilitates. Mundus ipſum graviter perſequetur, caro potenter oppugnabit, vitioſæ omnes concupiſcentiæ contra ipſum inſurgent, diabolus fremet, & prædam è caſſibus ſuis ereptam dolens nihil non machinabitur, ut ipſum â ſervitio Dei poſſit abſtrahere. Nihilominus Dei ſervo in juſti-

Digitized by Google

ſtitia & mandatorum Dei cuſtodia eſt perſiſtendum, timidè penès, ſolicitè ac providè in omnibus agendum & converſandum, arma quóq; ſpiritualia ſemper in manibus tenenda, quibus hoſtium vires proſternat & conatus eludat. In divino auxilio ante omnia confidendum. Ringantur, cunctáſque ſuas vires exerant inferi portæ, neutiquam tamen contra Dei ſervum & militem prævalebunt, ſi ſpem ille ſuam & fiduciam in Deo ſuo collocaverit. Omnes ergo inimicos contemnat, & hoſtilitatẽ eorum flocci pendat. Meliùs eſt mundum, carnem ac dæmonem inimicum habere, quàm Deum. Illi nihil niſi tentare poſſunt, ſuíſque tentationibus proſunt magìs quàm obſunt, pariunt enim fidelibus Chriſti ſervis nonniſi coronas ac triumphos. Deus autem terribilis ac potentiſſimus eſt vindex in hoſtes ſuos. Nec impijs eſt exultandum, ſi nullis premantur tentationibus, ideò non impugnantur, quia tenentur â diabolo voluntariè captivi. Excutiendum eſt illis maturè jugum diaboli, nè illos in æternam gehennæ captivitatem demergat.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 29. Martij.

Filioli noviſſima hora eſt.

1. Joann. 2.

QUid ageres, ſi hoc momento tibi Deus revelaret, te ultra præſentem horam non victurum? proculdubio nihil ampliùs mundanæ delectationis curares, riſui & vanæ lætitiæ penitùs valediceres, de omnibus peccatis tuis ex toto corde pœnitentiam ageres, divinam clementiam precibus multis & lacrymis tibi propitiares, & noviſſimam illam vitæ horam nonniſi bonorum operum & affectuum exercitio inſumeres. Quod tunc faceres fac nunc, ignoras enim annon paucula ſolùm vitæ tuæ momenta ſuperſint. Non procul â ſe diſtant vita & mors, tempus & æternitas unico temporis puncto diſterminantur. Veniet una hora, quæ unico ſui puncto vitæ tuæ finem imponet. Quamdiu autem neſcis quænam determinatè illa futura ſit, omnes habe ſuſpectas; dic ad ſingulas: ecce noviſſima hora eſt, ecce judex ante januam aſſiſtit, jam mihi de corpore hoc exeundum, & ex hac mortali vita ad æternitatem erit tranſmigrandum. Hoc facienti, & omnem horam pro extrema reputanti,

Digitized by Google

mors nunquam improviſa & inexpectata adveniet. Noli unquam longiùs vitæ ſpatium tibi promittere, ſic vive quaſi ſemper hinc migraturus. Vita hæc confeſtim transvolat, ſempérque magìs & magìs appropinquat hora illa noviſſima, ex qua pendet tota æternitas. Noli te periculo exponere, nè quod multis accidit, mors te imparatum ex improviſo corripiat; dolebis tunc te noviſſimam vitæ tuæ horam, quam ſemper prævidere ac præcogitare debueras, neglexiſſe; quæ cùm ſemel fuerit præterita, nunquam ampliùs revocari poterit, nec tempus ullum erit ampliùs, ſed fixa & immobilis ſtabit æternitas. Semper igitur menti tuæ obverſetur hora noviſſima, nè alioquin noviſſima tua quæ illam ſecutura ſunt, æternùm plangas.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 30. Martij.

Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hiç conſolatur, tu verò cruciaris. *Lucæ 16.*

FIrmiſſimè ſemper ac vivaciſſimè animo tuo infixum tene; tranſire figuram hujus mundi, & in altero ſæculo longè alia hominibus evenire quàm evenerint in præſenti. Eos qui bonis in hac vita diebus fruebantur ſubijci doloribus ac tormentis, alios è contra, qui dum viverent anguſtiati fuerant propter Deum & afflicti, gaudijs frui ſempiternis; ſic extrema mundani gaudij luctus, & extrema præſentis triſtitiæ gaudium occupat. Exemplũ habes in divite Epulone ac Lazaro: hic in hac vita miſer, pauperculus & famelicus, nudus & ulceroſus, poſt mortem ſuam ab Angelis portatus in ſinum Abrahæ, dives autem Epulo poſt mundi hujus proſperitatem ac delicias, ſepultus eſt in inferno, recepit enim bona in vita ſua, & Lazarus ſimiliter mala. O! quàm lugubre nunc eſt diviti Epuloni recogitare dies antiquos vitæ ſuæ præteritæ, quos in delicijs & ſæculi vanitatibus conſumpſit; & annos æternos,

quos ducere debet in ſupplicijs ac tormentis. Tranſierunt omnia mundi bona, citò finem accepit temporalis vitæ hujus jucunditas & proſperitas, in æternam miſeriam commutata. Quàm lætum è contra & gaudioſum eſt Lazaro, ſe ſupra hujus vitæ dies in miſerijs ac ærumnis traductos reflectere. Videt triſtia omnia & adverſa quæ paſſus eſt velociter tranſiiſſe, videt omnes lacrymas ab oculis ſuis abſterſas, gratulatur ſibi de brevibus miſerijs, quibus ſe videt cæleſtis vitæ beatitudinem ac æternæ gloriæ coronã eſſe lucratum. Hæc ſi tecum bene recogitaveris, omnem ſæculi hujus conſolationem facilè repudiabis, ut conſolari poſſis in futuro, & non hîc mercedem tuam recipias. Eliges potiùs hujus vitæ ſpinas, quæ in altera vita roſas pariunt immarceſcibiles; non præſentis ſæculi roſas, quæ citò marceſcunt, & ſpinas poſt ſe relinquunt æternùm pungentes.

MEDITATIO

Pro die 31. Martij.

Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus. *Matth. 16.*

COnſidera ſupremum Chriſti adventum, magnificum ac terribilem, cùm venerit in gloria Patris ſui, judicaturus orbem terrarum in æquitate, & redditurus unicuique ſecundùm opera ſua, ſive præmium, ſive ſupplicium æternum. Recipient tunc in conferta menſura retributionem ſuam tam juſti, quàm impij, & quæ in hac vita quisque ſeminaverit, hæc tunc metet. Videbitur in illo die, quanta fuerit vel unius culpæ noxa, & quanti apud Deum valoris ac pretij unicum vel minimi actûs meritum. Parva, brevis & momentanea eſt peccati jucunditas, ſed æterna pœna illam ſubſequitur; modicus & parvus eſt labor, qui pro Regno cœlorum ab electis aſſumitur, ſed retributio infinita. Recipient tunc omnes tam reprobi, quàm electi prout geſſerunt in hoc mortali corpore, pro bonis bona, pro malis mala, pro parvis & levibus magna & gravia, pro temporalibus æterna. Vis bona æterna perci-

cipere, & mala ſempiterna evitare: noli facere mala, & non te apprehendent; fac bona, & gaudebis te bonis remuneratum. Æterna ſive felicitas, ſive infelicitas in tua modò eſt poteſtate, hoc tibi dabitur quod vis, & quod opera tua promerentur. Si vis efficaciter æternam in Cœlis retributionẽ percipere, operare bona, pro illorum enim duntaxat pretio & merito beatitudo cæleſtis â Deo retribuitur. Stultùm verò eſt beatitudinem æternam ſperare, quam Deus non repromiſit niſi bene operantibus, de bonis tamen operibus nihil curare; præmium ſine merito ſperare, non ſpes eſt, ſed ſtolida præſumptio. Sola virtus in Cœlo coronatur. Qui hujus opera ſecum pro pretio non attulerit, nihil recipiet niſi pœnam & confuſionem ſempiternam. Meritis igitur diligenter incumbe, nè in illa die vacuus abſcedas, & pro præmio æternam pœnam in gehenna recipias.



MEDITATIO

Pro die 1. Aprilis.

Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum. *Apocal. 14.*

IMaginare tibi horrendam voraginem immenſæ profunditatis, ignibus perpetuis flammantem ac fumantem, in qua multi hominũ milliones acerbiſſimis crucientur ſupplicijs, urantur, frixentur, liquentur, & mille alia tormenta perferant, ex quibus nec minimum maxima hujus vitæ pœna exæquet, ita ut etiam ignis noſter flammæ illi comparatus, non ignis eſſe videatur, ſed refrigerium. Talem cogita eſſe infernum, lugubre illud barathrum, ſtagnum illud ignis & ſulphuris, rogum illum horrendum, in quo nihil niſi væ reſonat, nil ſentitur niſi extremè doloroſum. Ibi ſartagines ignitæ, ibi flammei ac ſulphurei amnes, ibi candentes forcipes ac rudentes, ibi mille dolorum genera, quibus reprobi ſine ulla requie cruciantur. Tolerabilia nihilominus illis viderentur horrenda illa ſupplicia, ſi finem aliquando acciperent; at fumus fornacis illius tartareæ aſcendet in ſæcula ſæculorum. Conſequens eſt, ut ignis ejus nunquam extingvatur. Nec ſolùm ignis æternus eſt,

Digitized by Google

ſed ipſi quoque in tormentis poſiti æternùm durant, æternùm comburuntur, nec enim tantùm fumus infernalis incendij, ſed fumus tormentorum illorum jugiter aſcendit. Æternùm ergo torquebuntur miſeri, tenebroſo ac fumoſo illo igne, flebunt atque dolebunt ſemper. Ignis æſtuantiſſimus ineffabilem ipſis cauſabit dolorem, fumus quoque mordaciſſimus aſſiduas illis excutiet lacrymas, quarum tametſi mille oceanos compleverint, nullum tamen finem flendi ac dolendi unquam habebunt. Beatus qui hæc vivaciter modò conſiderat, qui æterna illa ſupplicia nunc redimit vitæ hujus planctibus & lacrymis, in cujus cor nunc horrendus ille fumus infernalium tormentorum aſcendit, nè ipſe poſt hanc vitam in illum deſcendat, væ perpetuum cum reprobis cantaturus in ſæcula ſæculorum.

MEDITATIO

Pro die 2. Aprilis.

Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. *Lucæ 10.*

EXultant mundani homines in ſæculi vanitatibus, cùm ſe vident honoribus exaltatos, opibus locupletatos, delicijs inebriatos, hæc autem omnia brevi ſcenâ concluduntur, citò valde finem accipiunt, & poſt momentanea gaudia nihil amatoribus ſuis relinquunt quàm æternum dolorem ac luctum. Sunt alij, qui non de mundi vanitate lætantur, nec exultant in rebus malis, ſed de vitæ ſuæ ſanctitate fiduciam atque lætitiam concipiunt, cùm ſe multum in virtute judicant profeciſſe, neſcientes interim quo fine vitam ſint clauſuri. Multi vitam ſuam in juſtitia & ſanctitate diu duxerunt, in fine autem facti ſunt reprobi. Expectabant lucem & eruperunt tenebræ. Illi dicendi ſunt verè beati, illis gaudendum eſt & exultandum, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, de quo non ampliùs expungentur. Hi cum Chriſto & omnibus cœleſtis curiæ civibus æternùm gaudebunt, his omnia cooperantur in bonum, ipſa etiam peccata, in quæ tametſi quandoque labantur, non tamen colliduntur, quia

Dominus ſupponit manum ſuam, lapſos de caſibus erigit, & gratias ipſis efficaciſſimas quibus finaliter perſeverent, concedit. Illis meritò eſt exultandum, quanquam in hoc mundo triſtia & adverſa multa pati cogantur, hæc enim omnia brevi finem accipient; beatitudo tamen ipſorum quæ ad præſens modicùm differtur, cùm ſemel cæpta fuerit, nunquam ampliùs finietur. At inquis: gauderem & ego ſi me unũ ex Dei electis eſſe ſcirem, nunc verò penitùs ignoro an nomen meum ſcriptum ſit in Cœlis. Nec in mea ſitum eſt poteſtate, ut me faciam unum ex prædeſtinatis. Hoc quod dicis tuam poteſtatem non excedit. Fac quæ faciunt omnes electi, bonum age & finaliter in eo perſevera; útque hoc præſtare poſſis, divinam gratiam humiliter exora. Hæc ſi feceris, electus & prædeſtinatus eris.

MEDITATIO

Pro die 3. Aprilis.

Gratiam & gloriam dabit Dominus. *Pſal. 83.*

NUllus homini veram poteſt conferre gloriam niſi ſolus Deus. Illa ſola eſt vera gloria, quæ hominem per omnem æternitatem glorioſum reddit ac beatum. Fallax & fucata eſt omnis beatitudo & gloria, quæ aliquando amitti poteſt. Æternùm verò glorificare non poteſt, niſi Deus incommutabilis & æternus. Etiam mundus amatoribus ſuis dat gloriam, ſed gloriam brevem & evanidã ad inſtar puncti, quæ poſtea in æternam deſinit ignominiam & confuſionem. Deus autem ſervos ſuos & cultores, non falſâ & imaginariâ, brevi & momentaneâ, ſed verâ & æternâ gloriâ in cœlis remuneratur. Nec tantùm confert illis præmium cœleſtis gloriæ, ſed etiam gratiam ſuam illis donat, cujus ſubſidio pretium ſibi comparare poſſint, quo gloriam cœleſtem lucrentur. Hæc Dei gratia nobis ad gloriæ illius conſecutionem eſt ſummè neceſſaria. Non dat verò illam niſi petentibus, & auxilium ejus atq; miſericordiam humiliter implorantibus. Si ergo deſideras immortalem gloriam, & gratiam quâ poſſis ad illam pervenire, à Deo ſupre-

mo

Digitized by Google

mo largitore illam pete. In ejus liberalitate, miſericordia & clementia, ſalus tua eſt poſita. Non autem in illa ſolùm, ſed etiam in voluntatis tuæ beneplacito. Non ſalvat enim Deus niſi volentem. Offert ille tibi æternam gloriam, & gratiam pro ejus conſecutione porrigit; in tua voluntate poſitum eſt, illam in bonum tuum, vel in vacuum recipere, acceptare vel reijcere. Vide nè quod Deus liberalis & miſericors tibi offert, tu per ſocordiam perdas, & prò gratia & gloria iram atque vindictam Omnipotentis incurras. Qui enim hominibus dat gratiam, & illâ bene utentibus gloriam rependit, idem illâ malè utentibus, & nihil cœleſti gloriâ dignum agentibus, non gloriam dabit ſed gehennam.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 4. Aprilis.

Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris popule meus. *Ezech. 37.*

LUgenda & miſeranda eſt mortalium conditio. De terra ſunt, & cùm Dominus univerſæ carnis ſpiritus illorum â corporibus abſtulerit, in terram denuò revertuntur. Hoc judicium â Deo omni carni. Nutrit quidem initio tellus atque ſuſtentat, in fine autem devorat omnes habitatores ſuos, & univerſa quæ in hoc mundo vivunt pariter abſorbet. Longè adhuc miſerior eſſet mortalium ſors, ſi corpora illorum in terræ pulverem reſoluta, nullam ſpem haberent reſurgendi ad vitam. Nunc verò caro illorum requieſcit in ſpe, non omnium tamen, ſed illorum duntaxat; quos Deus ab æterno in cœleſtis Regni ſui hæredes elegit. Fruuntur jam animarum beatitudine poſt mortem, unâ jam ſtolâ gaudent, ſecuri de reliqua. Veniet poſt modicum dies illa, cùm Deus tumulos ipſorum aperiet, eóſque de ſepulchris educet, neq; ullis ampliùs mortis legibus erunt ſubjecti, ſed exultabunt in gloria,

&

& conregnabunt Chriſto in æternum. Expectatio hæc eſt omnibus ſanctis Dei, qui non ad mortem, ſed ad vitam reſurgent. Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu illorum. Non reſurgent autem ſic impij in judicio, neque apparebunt peccatores in concilio juſtorum Chriſto de tumulis obviam procedentium; atque judicantium tribus Iſrael, ſed reſurgent ad mortem & ſupplicia, ut qui antea ſecundùm animas duntaxat improbitatis ſuæ pœnas luerunt, recipiant duplicia de manu Domini, & ſecundùm carnem pariter in gehenna torqueantur. Præſtaret haud dubiè miſeris, corpora ipſorum inanimata ſemper jacere, quàm rediviva migrare in gehennam. Meliùs eſſet ipſas quoque animas in nihilum redigi, meliùs eſſet nunquam omninò fuiſſe, quàm ſic eſſe. Non educentur hi â Domino, ſed â Dæmonibus juſtitiæ divinæ lictoribus ad judicium ignitis tridentibus violentè raptabuntur, non populus Domini, ſed populus Belial, â Domino in ſempiternum maledictus. Quisquis illo die vis audire in tumulo ſvaviſſimam illam vocem Dei evocantis & excitantis: *veni foras electe mi*, & beatam reſurrectionem obtinere deſideras, ſic nunc vive, ut ſis de populo Dei, & inter electos ejus computeris.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 5. Aprilis.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam. *Pſal. 13.*

SImilis eſt hic mundus oceano tempeſtuoſo ac fluctuanti, in quo plena ſunt omnia motibus atque rumoribus, ſtrepitu ac tumultu, ubi nihil eſt aliud niſi inquietudo, labor & afflictio ſpiritûs. In hoc oceano religioſæ dantur ſolitudines, quædam velut Inſulæ, quarum habitatores vitam ducunt quietiſſimam & ab omni fluctuum agitatione liberam. Ibi dulcis & imperturbata requies, ibi cordis pax & tranquillitas, ibi ſanctæ contemplationis otium, puritas orationis, ubertas divinæ conſolationis. Utinam verò eſſet omnibus religioſam vitam profeſſis clauſtralis ſolitudo requies & voluptas, & non labor & afflictio; ſunt enim fortaſſè nonnulli, qui paradiſum hunc habent pro carcere, & quietem pro moleſtia, quibus gratiùs eſſet mundani hujus oceani fluctibus agitari, ac de ſalute periclitari, quàm pacis & ſecuritatis portum tenere, mundano diſcurſu & curis, clamoribus & negotijs moleſtari, quàm immunem ab his omnibus vitam ducere, Deóq; ſoli

li vacare. Parùm autem refert, placitúmne ſit an diſpliceat, quod Deo ſemel eſt promiſſum; cùm ſemel placuerit, diſplicere ampliùs non debet; habitandum in hac religioſa ſolitudine illam ſemel profeſſis, quoniam eam voluntariè ſemel elegerunt. Nõ eligit miles pacem & requiem, ſed laborẽ ac bellum. Vita ipſius in ſudoribus, vigilijs, egeſtatibus & afflictionibus, in pugnis & periculis verſatur, & tamen ſorte ſuâ, quam ſemel elegit contentus vivit, nec de laborioſa & periculoſa ſtatione conqueritur. Multò magìs decet æterni Ducis militem ſtationem ſuam tenere, maximè cùm in pace & ſecuritate Chriſto ſuo fruens requieſcat, & poſt hanc temporalis vitæ requiem tranſiturus ſit ad æternam, in qua omnium quoque tentationum, quibus aliquando mens ejus inquietari videtur, clamor ceſſabit ac tumultus. Hæc requies omnibus electis Dei erit in ſæculum ſæculi, reprobis autem in carcere infernali tumultuatio, & afflictio perpetua. Hæc erit habitatio illorum, quoniam & ipſi elegerunt eam.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 6. Aprilis.

Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt. *Pſal. 119.*

INcolæ ſumus in hoc mundo & peregrini, ſicut omnes Patres noſtri, â Patria cœleſti exules & extorres. Tam diu mundanã hanc exilij noſtri regionẽ incolimus, donec â Deo ad Patriam noſtrã unde proſcripti ſumus evocemur. Et quamvis breve ſit incolatûs noſtri tempus, quo vita præſens in hoc mundo peragitur, illud tamen nimis longũ videtur, vallẽ hanc lacrymarum, & pelagus miſeriarũ pertæſo, ac ſurſum ad patriam ſuam aſpiranti. Quid enim calamitatis in hac terra, quid è contra felicitatis ac lætitiæ in ſuperna illa regione non invenitur? hîc curæ, mœrores, & anxietates, ibi læta cordis pax & ſecuritas; hîc labor & afflictio ſpiritûs, ibi perpetua quies & mentis exultatio; hîc inopia & egeſtas, ibi theſauri divitiarum infiniti; hîc fames, ſitis, calor, frigus, & ægritudinum mille cruciatus, ibi voluptatum oceanus, & tam corporum quàm animarum jugis & ineffabilis delectatio; hîc omnia lubrica, cænoſa, fæ-

tida & ſordida, ibi omnia grata & jucunda, pulchra & amæna; hîc demum nil niſi vanitas & miſeria, ibi omnium bonorum affluentia, & ſtabilis plenáq; felicitas. Et tamen ſtulti mortales ad cæleſtem illam patriam parum anhelant, imò ſunt qui mallent incolatum hunc ſuum durare perpetuò, quàm eo properè finito ingredi Patriam tantæ jucunditatis. Tales eò ipſo denotant ſe illam nihili vel parvî curare, cùm ipſi exilium hujus vitæ præferant, adeóque ſe illâ reddunt indignos, quibus eâ potiri unquam concedatur. Vis tu Patriæ illius beatitudine in ſempiternum frui, ſemper illam cogita, & de prolongato hujus vitæ incolatu dole ac gemiſce, cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, in illa beata regione, inter Dei domeſticos & cives ſanctorum. Qui non gemit hîc ut mundi exul, nunquam ut Cœli civis gaudebit.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 7. Aprilis.

Hoc eſt præceptum meũ: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. *Joann. 15.*

COgita quantî â nobis æſtimari debeat fraterna charitas, quàm inviolatè obſervari, hanc enim quaſi ſolam Deus nobis præcipit, tanquam in ipſa legis plenitudo conſiſteret. Et verè ſic eſt; qui enim verè diligit proximum, diligit etiam Deum, adeoque legem ejus non facilè transgreditur. Non præcipitur autem nobis qualiſcunque proximorum charitas, vult enim Salvator ut diligamus invicem ſicut ipſe dilexit nos. Quanto autem amore nos ille dilexit? propter noſtram ſalutem in hunc mundum venit, multa pro nobis in carne humana ſuſtinuit, ad extremum etiam acerbiſſima paſſus, ſanguinem ſuum pretioſiſſimum pro noſtra redemptione fudit, & animam ſuam ex charitate nimia poſuit pro nobis crucifixus. Hæc inſuper omnia nobis præſtitit, cùm adhuc inimici eſſemus, quin etiam pro crucifixoribus ſuis, â quibus tam dira patiebatur, & orationẽ & mortem ſuam æterno Patri obtulit. Recogita nunc tecum, an ſimilem unquam dile-

Digitized by Google

dilectionem erga proximos tuos habueris. Tu verò Salvatoris tui præcepto & exemplo te parum hucuſque conformâſti, non ſolùm inimicos nullo amore proſequeris, ſed etiam amicos & confratres tuos ſæpiùs offendis, irâ & rancore contra ipſos ſuccenſus. Non eſt hoc proximum diligere ſicut te Chriſtus dilexit. Si nondum geris interiùs veræ ac ſynceræ charitatis affectum, ſi nondum injurias proximis tuis ex corde dimittis, quando ſanguinem pro illis fundes? quando vitam pro illis pones? meliùs ac ſtudioſiùs deinceps charitatem Salvatoris tui æmulare. Quantò majorem hic tibi dilectionem impendit, tantò graviori contra te odio exardeſcet, ſi viderit nihil apud te proficere verba ſua & exempla. Firmiter deinceps propone, ſynceriori & ardentiori affectu proximos diligere, eúmque in finem Deum roga, ut te ſibi per gratiam ſuam conformet, & cordi tuo ſpiritum ſuæ charitatis infundat.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 8. Aprilis.

Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus atq; conſumptus, ubi quæſo eſt? *Job 14.*

STatutum eſt hominibus ſemel mori. Hæc omnium communis eſt ſors, hæc inevitabilis neceſſitas, ut naturæ debitum moriendo perſolvant, mortui pellibus & carnibus nudentur, â tineis & vermibus conſumantur, ac demum in cinerem reſolvantur. Sic finem habet omnis humana pulchritudo & potentia, ſic tranſit gloria ſæculi, cùm vita hominis è mundo tollitur, in ictu oculi ſimul clauduntur omnia, ita ut nec memoria eorum maneat ſuperſtes. Conſidera tot Reges potentiſſimos, tot fortiſſimos Duces, tot Heroes inclytos, tot glorioſiſſimos Imperatores, tot mundi clientes, divitijs, pulchritudine, ſcientiâ, facundiâ, robore, proſapiâ clariſſimos & ſpectatiſſimos? brevem vitæ ſcenam luſerunt, gloria eorum citò tranſivit; lingunt modò in ſepulchris terræ pulverem, & in tenebris conticeſcunt, ſunt acſi nunquam fuiſſent, nihil de ipſis in mundo remanſit niſi putredo & vermes, cineres & oſſa. Splendor nominum, claritas proſapiarum,

divitiarum pompa & jactantia, memoria, æſtimatio & laus ipſorum, omnia pariter conſepulta ſunt. Et quamvis aliqui ex ipſis adhuc volent per ora hominum, quid tamen prodeſt miſeris, ſi nomina eorum in terris prædicentur, animæ verò ipſorum in gehennæ ſupplicijs torqueantur? utinã hæc olim cogitâſſent, utinam mortalitatis ſuæ memores vixiſſent, & fallacibus ac tranſitorijs hujus mundi vanitatibus corda ſua non addixiſſent. Veniet etiam tempus ô homo, cùm te mortuo, nudato atq; conſumpto aliquando dicetur, ubi quæſo eſt? imò nec adhuc tanta fortaſſe tui habebitur memoria. Agnoſces tunc, utinam non inter mortuos in perpetuum conſtitutus, quàm vana & ludicra fuerit hujus mundi ſcena, quàm brevis & falſa ejus oblectatio, quàm finis luctuoſus. Ità nunc vive, ut poſt mortem, cùm deſiêris hîc eſſe, incipias in altero ſæculo feliciter eſſe, & memoria tua incorruptibilis & immortalis perennet in ſæculum ſæculi.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 9. Aprilis.

Homo naſcitur ad laborẽ, & avis ad volatum. *Job 5.*

QVàm primùm Cœli volucres plumis ſunt inſtructæ, illicò ſe in altum librare ac volare incipiunt. Hic labor, hæc vita ipſarum, ut non niſi ad volatum, creatæ videantur. Sicut illæ naſcuntur ad volatum, ita homo ad laborem in hac terra naſcitur; & ſtatim in prima ſui creatione â Domino Deo in paradiſo collocatus eſt, nõ ut otiaretur, ſed ut operaretur & cuſtodiret illum. Poſtquam verò de paradiſo culpâ ſuâ fuit eliminatus, ad duriores adhuc labores terræ hujus ſpinoſæ condemnatus eſt, ut in ſudore vultûs ſui veſceretur pane ſuo. Faciunt cæli volucres ad quod ſunt conditæ, homines autem laboris ad quem nati ſunt obliviſcuntur, otium & quietem ſectantur. Perpende, an non & tu de illorum numero ſis cenſendus, nam & tu plùs deſidiæ torporem, quàm laboris fervorem ac ſudorem diligis, non in ſudore vultûs tui, ſed in otij jucunditate veſci vis pane tuo. Cave nè communẽ vitæ hujus pœnam ſubterfugiendo, alterius vitæ requiem perdas, quæ nulli conceditur, niſi poſt multos vitæ hujus labores ac ſudores fortiter exantlatos.

Digitized by Google

Tot Sancti nullam carni ſuæ in hac vita requiem dederunt. Ipſe Chriſtus mundi Salvator fuit ſemper in laboribus & doloribus â juventute ſua, & tu requiem quæris; cogita opus eſſe magnâ laboris violentiâ ut Cœlum rapias. Piger ſervus & operarius cùm reddendæ mercedis tempus advenerit, non præmium, ſed pœnam & confuſionem reportabit. Labora igitur ſtrenuè, non corpore tantùm, ſed animo vel maximè. Labor verò tuus non ſit in imo pro rebus tranſitorijs, ſed in ſublimi pro cœleſtibus & æternis; ſupra, non infra ſolem, ſit labor non in terra reptantis, ſed ſurſum aſſiduè volantis; nam & tũ natus es ad volatũ, ut hæc terrena mentis affectu tranſgrediens, omnia dura & moleſta, quæ tibi occurrere poſſunt, ſtrenuè ſuperando, laboris tui mercedem & coronam in ſublimi recipias.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO.

Pro die 10. Aprilis.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſerijs. *Job. 14.*

MAgna eſt hominis afflictio & miſeria, grave jugum imponitur omnibus filijs Adam, mundum hunc naſcendo ingredientibus, cujus onus tam diu ferre debent, quamdiu durat mortalis hæc vita, quæ quidem brevi transvolat, omnis enim vigor ipſius & jucunditas nil differt â floſculo, qui mox ab ortu ſucciditur; hodie floret, cras in fænum tranſit, vel in clibanum mittitur, & in aridum cinerem commutatur. Et quidem tantillum hoc vitæ ſpatium, quod hominem ab utero ducit ad tumulũ, adeò magnis refertum eſt afflictionibus & miſerijs, ut videatur humanæ vitæ brevitas pro naturæ beneficio reputanda. Quanta nòn interiùs & exteriùs hominem moleſtant & diſcruciant; intus quoad animum mille perturbationes & anxietates, quoad corpus mille dolorum & ægritudinum moleſtiæ; foris omnia contraria & adverſa, inſidiæ, hoſtilitates & perſecutiones ab hominibus, â beſtijs, â mundi elementis; undique mille caſuum

Digitized by Google

& mortis pericula. Ideò autem divina bonitas tantis vitam præſentem reſperſit amaritudinibus, nè homo terrenis hiſce delectaretur, ſed ad vitam cæleſtem plenam dulcedinis & conſolationis aſpiraret. Quicunque mundo huic calamitoſo moriens vitæ illi naſcitur, æterno deinceps vivit tempore, nec ullis ultra miſerijs, ſed delectationibus repletur infinitis. Filij tamen hominum hæc minimè conſiderant, cæno delectantur, abſynthia pro melle reputant. Sperant ſe poſſe colligere de ſpinis uvas, de tribulis ficus. Hi poſt breves vitæ hujus miſerias, majores in altera vita incurrent, nunquam per omnem æternitatem finiendas. Tu nate mulieris, & anxie mundi hujus incola, hoc unum ſatage, ut ex miſerijs tuis patientiæ fructum elicias, & peccatum in cujus pœnam inflictæ ſunt, cane pejùs & angve fugias. Sic poſt breves vitæ hujus miſerias, in Cælo gaudebis æternùm beatus.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 11. Aprilis.

Homo occidit per malitiam, & cùm exiêrit ſpiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta eſt. *Sap. 16.*

MAgna eſt hominum pravitas & malitia, dum ſibi vitam temporalem eripiunt & corpora occidunt; major adhuc dum animas ſuas æternâ morte perimunt, & ſic toti pereunt per malitiam ſuam. Nullus eſt hoſtis infenſior homini quàm domeſticus ipſe homo, qui ſibi ſolus omnia bona eripit, & omnia mala ipſúmque æternum exitium infert. Imò perditio ipſius totaliter eſt ex ipſo; nulli enim hoſtes, ſive mundus, ſive caro, aut diabolus, & cunctæ inferorum phalanges, ipſi nocere poſſunt, ſi nolit ipſe; hinc quicúnq; pereunt, non alia ex cauſa pereunt, quàm ex perverſa ſua voluntate. Occidit igitur non hoſtis quiſpiam humani generis, multò minùs Deus humanæ ſalutis amator, ſed ipſe homo per malitiam & ſummam crudelitatem animam ſuam. Poteſt quidem Deus peccati jaculo peremptam gratiâ ſuâ reſuſcitare, verùmtamen non omnibus illam concedit, nec ſemper expe-

pectat, ut in hoc mundo â morte ad vitam anima reſurgat, ſed illam peccato mortuam â corpore ſæpiùs avellit. Exit tunc miſera, ſeu potiùs â Dæmonibus abripitur ad ignotam illam regionem, terram miſeriæ ac tenebrarum, nec ultra revocari poterit ſpiritus in gehennæ carcerem receptus, nec per omnem æternitatem retractari, quod mali animæ ſuæ per peccati reatum homo intulit, aut quod Deus immutabili ſententiâ ſemel judicavit. Conſidera nunc, quoties & tu animam tuam per peccati malitiam occideris, & animam quidem talem, tam nobilem, tam pretioſam, quam Deus ipſe tantopere dilexit, ut pro ſalute ipſius filium ſuum unigenitum daret, qui pro ejus vita & redemptione ſanguinem ſuum pretioſiſſimum profunderet. Noli deinceps illam in vanum accipere, ſed hoc unicum ſolicitè cura, ut illam cum Dei gratia conſerves, & cuſtodias in vitam æternam. Nil refert ſi cætera quæcunque perdas; animam ſaltem ſervare memento. Hâc enim ſemel amiſsâ totus in æternum es perditus.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 12. Aprilis.

Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. *Hebr. 10.*

QVilibet homo dum vivit eſt in manibus ſuis, habet in ſua poteſtate ſalutem & perditionem ſuam, quodcunque ſecum diſpoſuerit, hoc poſt hanc vitam in æternum habebit, ſive bonum, ſive malum, cùm inciderit in manus Dei, qui decernet ipſi, pro bene aut malè meritis æterna vel præmia vel ſupplicia. Horrendum eſt incidere in manus Dei judicantis, horrendum eſt coram terrifico illo tribunali ſtare, ubi etiam juſtus vix eſt ſecurus; ubi agni trepidant, & omnium etiam ſanctiſſimorum virorum conſcientiæ contremiſcunt, ubi quicquid ſententiæ ſemel prolatum fuerit, per totam æternitatem non poterit immutari. Longè adhuc horribiliùs eſt incidere in manus Dei vindicantis, & ſive in gehenna æternaliter, ſive in purgatorio temporaliter delicta hominum plectentis. Audîſti aliquando & legiſti, quàm horribilia ſint purgatorij ſupplicia, quæ pro uno veniali peccato animabus in altera vita infliguntur, & quidem illis animabus, quæ in ſortem filiorum Dei ſunt adoptatæ. Si

Si DEUS nihil culpæ juſtis ſibi dilectis diſſimulat, quantâ non ſeveritate ſcelera impiorum vindicabit? ſi tanta ſupplicia infert amicis, quanta non tormenta inferet inimicis? ſi adeò cruciantur quos ejus manus tangit, quantùm non torquebuntur ac dolebunt quos extentâ ferit dexterâ, & percutit virgâ furoris ſui? verè horrendum eſt incidere in manus Dei, & quidem Dei æternùm viventis, cujus ira finem non habebit, de cujus manibus hominem ſemel apprehenſum nemo poterit eruere. Magis adhuc horrendum eſt ac ſtupendum, quòd homines hæc minimè perpendant, imò ſpontaneè in terrificas illas Dei manus incurrant. Incidant illæ tibi nunc frequenter, nè tu in eas aliquando incidas. Divina te clementia nunc protenſis manibus ad gratiæ ſinum invitat, feſtina dum tempus eſt in amplexus ipſius, ut in die illa manus ejus ferientes ac torquentes non ſentias, ſed dexterâ ſuâ te protegat ab ira furoris ſui.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 13. Aprilis.

Impietas impij non nocebit ei in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua. *Ezech. 33.*

TAnta eſt culpæ cujuscunque gravioris malitia, ut non eſſet mirum, ſi â DEO nulli unquam remitteretur. Nunc verò licet infinita Dei majeſtas, infinitis propemodum, ijsque graviſſimis hominum ſceleribus per ſingula momenta offendatur, tanta tamen ejus bonitas eſt & clementia, ut paratiſſimus ſit omnes remittere, pro unico pœnitentiæ actu, qui ſit contritio vel attritio ſacramentalis. Neque peccatori quantumvis maximo ad Deum per pœnitentiam converſo, ullum ſcelus ad æternam damnationem ultra imputatur. Debet autem converſio vera eſſe ac ſyncera, ut homo â ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ, â vitijs ad virtutes, â gaudio ad luctum, â delicijs ad vitæ auſteritatẽ, â vanitate ad veritatem, â mundo, carne ac diabolo ad Deum convertatur, & firmiſſimè ſtatuat, nunquam deinceps ad illa reverti, per quæ â Deo fuit averſus. Quod ſi perfectè facit, nihil ipſi ampliùs nocere poteſt iniquitas ejus. Revertere igitur ad cor ô Jeruſa-

ſalem, convertere peccator ad Dominum Deum tuum, tantæ miſericordiæ & clementiæ, nec deſpera, quamvis ab eo millies fueris averſus, non recordabitur ille tuæ iniquitatis ac perfidiæ, ſed in priſtinum amicitiæ gradum te recipiet. Convertere quamdiu tempus tibi ad converſionem indultum labitur; convertere quamdiu Dei clementia vultu ad te converſo te invitat & expectat; convertere antequam faciem ſuam avertat, téque in æternum â ſe proijciat; antequam tibi noceat iniquitas, nocumento per omnem æternitatem irreparabili, téq; in gehennā cum æternæ ſalutis jactura demergat. Dolebis tunc, & igneis cum lacrymis deplorabis tantam Dei pietatem ac miſericordiam â te fuiſſe contemptam.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 14. Aprilis.

In conſummatione ſæculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus & ſtridor dentium. *Matth. 13.*

QVàm triſte, quàm terrificum & horrendum erit reprobis, cùm ſæculum quod dilexerant in extremo die per ignẽ conſummabitur. Nihil inter omnia ipſis erit triſtiùs & lacrymabiliùs, quàm ſeparari de medio juſtorum, & ab ipſorum conſortio procul abigi, æternùm in gehenna torquendos. Sunt modò electis permixti, nec diſcernere poſſumus quis homo ad Regnum cœleſte pertineat, quis ad gehēnam ſit deſtinatus. Novit Dominus qui ſunt ejus; ille ſolus agnos ab hædis perfectè dijudicat. Nobis autem uſq; ad momentum vitæ ultimum omnia ſervantur incerta; hoc unum pro certo conſtat, quòd qualis quisque ex hoc ſæculo diſceſſerit, talis à Deo judicabitur, ac talis in illo die conſumationis revelabitur. Et vel juſtitiæ ſuæ præmia ſempiterna recipiet, vel ſi fuerit inventa

Digitized by Google

in eo iniquitas, ſupplicijs deputabitur æternis. Exibunt ergo in illa die Angeli â DEO miſſi tam boni quàm mali, & ſeparabunt malos de medio juſtorum. Optabunt tunc mali ſanctorum adhærere conſortio, ſed quia ſe ab illorum ſocietate per malam vitam ſequeſtrârunt, juſtum eſt, ut etiam ab illis per pœnam ſequeſtrentur. Sicut electi Chriſto obviam ab angelis rapientur in aëra; ita reprobi â Dæmonibus raptabuntur, & in unum faſcem collecti, proijcientur in caminum ignis, in quo ardebunt miſeri uſque ad inferni noviſſima, in fletu ac ſtridore dentium ſempiterno. Cogita quàm lugubre ſit illis futurum, profundiſſimo ac tenebroſiſſimo inferni carcere in æternum concludi, nunquam ampliùs cæli lumen videre, & in horrenda illa nocte procul â conſortio juſtorum in Cœlo lætantium, perpetuò dolere, ſtridere dentibus & lacrymari. Hæc omnia nunc ſi velis potes evadere, nec præcavere tantùm æterna mala, ſed etiam æterna tibi bona promereri. Exi nunc de medio nationis perverſæ, & ſeparare per bonam vitam de medio reproborum; nè in illa die ſepareris de medio juſtorum.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 15. Aprilis.

In die illa dicit Dominus occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis, & convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum. *Amos 8.*

QVàm eſſet horrendum, ſi ſol in ipſo meridie, dum eſt ſplendidiſſimus, lucem repentè perderet, tanquàm penitùs occidiſſet, ac denſiſſima noctis caligo terram protinùs occuparet. Sic erit in extremo illo die judicij, die tenebrarum & caliginis; tranſibit lux & figura hujus mundi, pompa & ſcena præſentis ſæculi deſinet in momento, cui nox atra ſuccedet, quæ nullo ſole, ſed igne mundum vaſtante illuminabitur. Sic etiam contingit, dum homo ex hac vita rapitur ad alteram, à lucido hujus mundi habitaculo ad tenebroſum illud iter æternitatis. Multis nunc ad votum micat honoris Sol, videntur in altiſſimis dignitatum faſtigijs & in ipſo gloriæ meridiano conſiſtere, lumine honorum circumfuſi, cùm repentè in ipſo

Digitized by Google

claritatis ac felicitatis meridie nocturnus mortis turbo ingruit, ac miſerorum ſplendor obtenebreſcit. Feſtivitates eorum convertuntur in luctum, & gaudia in planctum. In ictu oculi clauduntur omnia, & tota ipſorum claritas ac felicitas in momento eclipſatur; nec ampliùs datur miſeris ad lucem redire priſtinam, ſed poſt claritatem mundi hujus, ad ſæculi alterius tenebras condemnantur, manſuri æternùm ignobiles & obſcuri. Hæc ſi bene tecum perpenderis, nunquam diem hominis deſiderabis, qui perit cum homine; nunquam illuſtrem in hoc mundo ſortem affectabis. Si ſplendorem verum deſideras, deſidera illum diem, cujus Sol nunquam occidet, qui nullâ deinceps noctis caligine tenebreſcet. Deſidera cœleſtem patriam lumine ſempiterno coruſcantem, ubi æterna celebratur feſtivitas, ubi reſonant lætitiæ cantica nullo unquam tempore finienda. Ut verò ad illam lucis perpetuæ regionem pervenias, elige ſæculi præſentis tenebras, luge modò non luce. Sicut enim per mundi lucem ad tenebras, per feſtivitates ad luctum, per gaudia hujus vitæ pervenitur ad planctum; ità per obſcuritatem, luctum & planctum præſentis ſæculi, ad claritatem æternã, ad cæleſtia feſta & cantica pervenitur.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 16. Aprilis.

Induimini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam nè feceritis in deſiderijs. *Rom. 13.*

NOn ob aliam cauſam DEI Filius in hunc mundum venit, quàm ut homines à peccati captivitate redimeret, iíſq; daret perfectum virtutis & probitatis exemplum. Ejus vitam & mores ſanctiſſimos induere, & in nobis exprimere debemus, ut Chriſtus vivat in nobis, ejúſque vita in converſatione noſtra reſplendeat. Hoc ſignum eſt, hæc teſſera veri Chriſtiani. Inter virtutes porrò mirificè patientia in ipſo refulſit, ad labores & dolores in hunc mundũ venit, multa debuit pati priùs quàm intraret in gloriam ſuam. Non ille ſuæ carnis curam fecit in deſiderijs, ſed ſanctiſſimum ſuum corpus jejunando, vigilando, laborando, multùm attrivit, & mortificavit, nunquam deſiderans ea quæ carnis ſunt, ſed quæ inimica carni; ſolùm dura pati cupiens, uſque ad acerbiſſimam mortem crucis, quam etiam magno deſiderio deſideravit. Si Chriſtiani eſſe volumus, Chriſtum noſtrum imitari debemus. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Et ille quidem

Digitized by Google

cùm eſſet impeccabilis, carnem ſuam puriſſimam, quæ nullam videre poterat corruptionem tantopere afflixit; vilis autem ac ſordidus peccator, carnis ſuæ corruptibilis, ſpurcæ ac fætidæ tantam habet curam, ut nil magìs cogitet, quàm quomodò deſiderijs ejus ſatisfaciat, quamvis noverit ſe per eam in ſcelera pertrahi, nec dubitet eam paulò poſt in ſepulchro â vermibus abſumendam, & quantùm hic in delicijs fuit, tantùm in altera vita ſupplicij recepturam. Dilige carnem tuam, ſed ita eam dilige, nè pariter cum illa pereas. Curam ipſius habe, non ut temporaliter, ſed ut æternùm illi bene ſit. Quoties ſvavia & jucunda deſiderat, non deſiderat bonum ſed malum ſuum. Deſiderijs ergo illius pro virili reſiſte, nè alioquin in altera vita pro malis ſuis deſiderijs æternùm recipiat quod non deſiderabat.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 17. Aprilis.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus!

Rom. 7.

TAntis vita noſtra in hoc mundo repleta eſt miſerijs, tantis obnoxia morbis & corruptionibus, doloribus & anxietatibus, ut mors potiùs appellanda ſit quàm vita. Ipſum quoque corpus noſtrum adeò fœdum eſt ac putidum, adeò ſordidis non ſolùm humoribus ſed etiam vermibus ſtagnans, ut non corpus vitæ, ſed corpus mortis debeat appellari. Quantum ſentires horrorem & abominationem, ſi cadaveri putrido ac fætido eſſes alligatus? mirum tamen eſt, quòd anima tua tam fædo alligata corpori, nullum exinde tædium aut horrorem ſentiat, imò etiam cupiat ei diutiùs adhærere, â quo tamen non niſi mortis contagia recipit, ejúsq; pravo motu & inſtinctu, damnationis æternæ pericula frequenter incurrit. Circumdàmur & gravamur miſeri & infelices, tã gravi & ſordido, lubrico & corruptibili carnis onere, in hac vita mortali, ſeu morte vitali, nec tamen ingemiſcimus, vel noſtram agnoſcimus infelicitatem, ſtatum quóq; alterius vitæ non

perpendimus, cùm ex corruptibili fiet incorruptibile, ex mortali immortale, ex fædo & abominabili pulchrum & glorioſum. Non ſibi tunc ſpiritus ab ejus noxa & contagio timebit; ſicut enim non erit ampliùs morti ſubjectum, ita nec mortem inferre poterit. O quàm felix ille ſpiritus, qui vinculo carnis quo ſolvi petebat liberatus, de tenebris ad lucem, de ſterquilinio ad Cœlum, de carcere in perpetuam libertatem emergit. Illam felicitatem appete, illam ſemper deſidera. Opta diſſolvi & eſſe cum Chriſto, opta de carcerali hac cuſtodia educi animam tuam, opta liberari de corpore mortis hujus. Veniet Dominus & non tardabit. Aderit brevi optata dies, cùm mortali huic vitæ mortuus, vivere incipies, cùm abſorpta erit mors in victoria, nec ultra deſiderabis liberari â corpore, non jam corpore mortis, ſed vitæ immortalis.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 18. Aprilis.

In fine hominis denudatio operum illius. *Eccli. 11.*

NOn deſunt in hoc mundo ſancti & juſti, quos novit ſolus Deus, qui bona multa opera clam faciunt, nè videantur ab hominibus, & ſanctitatem ſuam pallio humilitatis obvelant. Plures verò ſunt è contra, qui peſſima in occulto perpetrant, hoc ſolo contenti, quòd flagitia ipſorum ab hominibus non cognoſcantur. Non recogitant ſtulti omnia tenebrarum opera in lucem aliquando ventura; non conſiderant oculos divinæ Majeſtatis omni Sole ſplendidiores, quibus apertæ ſunt omnes latebræ, quibus nuda eſt humanæ conſcientiæ abyſſus. Sit quantumcunque pravum & inſcrutabile cor hominis, Deus tamen cognoſcit illud, qui aliquando illuminabit abſcondita tenebrarum, nec tantùm opera exteriora, ſed etiam cogitationes cordium manifeſtabit. In fine hominis, non ipſi tantùm, ſed etiam alijs, tota ipſius vita velut penicillo accuratiſſimè depicta repræſentabitur. Multi tunc hypocritæ, qui ſub pallio virtutis & ſanctitatis crimina ſua obtegebant, æternam ferent confuſionem. Vidiſti ſæpiùs in hoc mundo, ſolutis à ſole ni-

vibus ſimeta ſubtus latentia prodire in conſpectum: ita in illa die, cùm ſol divinæ ſapientiæ ac juſtitiæ cœperit coruſcare, omnia patebunt conſcientiarum pravarum ſterquilinia, omnes cordium & animorum ſpurcitiæ denudabuntur, & tremor atque confuſio poſſidebit hypocritas. Conſidera jam ô peccator! quàm ſtultè agas; qui nunc medico ſpirituali denudare opera tua erubeſcis, quæ tamen omnia, niſi ea nunc ipſe denudes & aperias, in fine vitæ tuæ cum tua maxima confuſione nudabuntur. Tu quidem cogitâſti & feciſti multa abſconditè, Deus autem omnia hæc toti mundo palam faciet, & turpitudines tuas omnibus revelabit. Et quidem brevi aderit vitæ tuæ finis; vide nè deinceps quicquam committas, quod toti mundo aliquando revelari erubeſcas; commiſſa verò per pœnitentiam aboleas, quæ in fine tuo denudari formidas.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 19. Aprilis.

In multis offendimus omnes. *Jacobi 3.*

INnumera ſunt in hoc mundo peccati pericula, omnia plena laqueis & inſidijs, ubique hoſtium noſtrorum in ruinam noſtram excubantium retia & muſcipulæ, ubique lapides offenſionis & ſcandali, in quos miſeri viatores offendimus & impingimus, ita ut etiam graviori lapſu in terram ſæpiùs proſternamur. Quod ſi quis â lethali caſu, Dei gratiâ cooperante, ſe conſervet immunem, in multis tamen alijs offendit quotidie, & nutat ſæpiùs ac ceſpitat, ſemper in caſum proclivis, caſurus etiam, niſi gratiæ divinæ ſubſidio præſervaretur. Quis omnia peccata numeret, quibus homo vel per unicum diem cogitando & loquendo, agendo vel omittendo, etiam obliviſcendo & ignorando, ſi non mortaliter, ſaltem venialiter offendit & impingit? & quamvis Deum nullo peccato lethali offendat, ei tamen diſplicentiam ſæpiùs cauſat, Spiritum ſanctum contriſtat, & graviſſimis Purgatorij ſupplicijs in altera vita ſuſtinendis ſe obſtringit. Quid jam in tot offenſionum & lapſuum periculis nobis agendum eſt, improvidis &

& minimè circumſpectis, debilibus & infirmis, cæcis & incautis mortalibus? gratia Dei aſſiduè nobis eſt imploranda, ille námque ſolus eſt, cujus auxilio cunctas inimicorum noſtrorum inſidias & laqueos evadere poſſumus, qui facere poteſt omnia prava in directa, & aſpera in vias planas, omnia quoque tollere offendicula, nè offendamus ad peccati lapidem pedes noſtros; qui nobis lumen ad videndum, & pravum â recto diſcernendum ſubminiſtrat, & ambulantes in via tenet atque confortat. Ejus freti ſubſidio, cum fiducia gradi poſſumus. Quod ſi nihilominùs ex infirmitate ac debilitate propria nos etiam ſæpiùs offendere contingit, â noxijs in quæ impingimus pedes noſtros quantocyùs retrahamus, ſanctioris vitæ propoſitis animam firmemus, offenſas quóq; noſtras pœnali ſatisfactione redimamus, ac pro modulo poſſibilitatis noſtræ ſatagamus, ut inoffenſo pede tranſeamus per hæc temporalia. Qui cavet nè pedem offendat, graviorẽ lapſum facilè devitat.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 20. Aprilis.

In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. *Joann. 16.*

VAlde multa ſunt quæ hominem in hoc mundo premunt,multa dolorum tormenta, multa morborum ſupplicia, multi caſus infortuniorum, multæ hominum perſecutiones, multæ animi & corporis afflictiones. Nec tantùm dura & aſpera, ſed etiam jucunda & mollia in hoc mundo premunt hominem, quæ preſſura omnium eſt periculoſiſſima. Premit mundi oblectatio, premit carnis voluptas, nè tamen animus preſſuram ſentiat, falsâ dulcedine delinitur, quâ tranſeunte primò ſentitur preſſuræ dolor. Omnia ergo in hoc mundo, ſive læta, ſive triſtia, ſive amara, ſive dulcia, ſunt contra nos. Quid verò nobis agendum adeò preſſis & anguſtiatis? contra omnia mundi tentamenta & oblectamenta, contra ejus molles illecebras & feroces inſultus, æqualiter nobis forti animo eſt decertandum, & omnia mundi odia generosè perferenda. Præivit nobis exemplo ſuo Salvator, quem hic mundus priorem nobis odio habuit, & quamvis tam carnem

nem ejus puriſſimam, quàm ſanctiſſimam illius mentem nullis voluptatum illecebris tentare potuerit, durioribus tamen illum armis eſt aggreſſus, & adeò ipſum preſſit, ut & ſanguinem cum vita ſuper ligno crucis eidem expreſſerit. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si mundus illum eſt perſecutus, & nos perſequetur. Qui nullam â mundo ſuſtinet perſecutionem, nondum cœpit eſſe Chriſtianus. Confidere tamen nos jubet Salvator, nec mundanas curare preſſuras. Ipſe enim vicit mundum, & victoriâ ſuâ nobis arma promeruit, quibus ipſi etiam victoriam de mundo, carne atque diabolo reportare poſſimus. Sequere Ducem tuum ô Chriſtiane, ſequere pugnantem, ſequere vincentem, ut præmia vincentibus promiſſa referas, & cum Chriſto poſt victoriam triumphes, atq; in gloria cœleſti cum ipſo reſideas, ſicut & ipſe vicit, & ſedit cum Patre ſuo in throno ejus.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 21. Aprilis.

In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. *Eccli. 7.*

NUllum contra omnia peccata efficaciùs eſt remedium, quàm noviſſimorum jugis & profunda meditatio; nec alia eſt cauſa ſordium, quibus anima peccatoris inquinatur, quàm quòd non recordetur finis ſui. Quis delectabitur mundi hujus vanitatibus? quis ſæculi hujus lenocinijs ſe decipi patietur? ſi tranſitoriam omnium ſortē, ſuámq; mortalitatē bene conſideraverit,& quòd nolens volens, cùm mortis hora venerit, omnibus mundi rebus valedicere debebit? quis nō vereatur omnia opera ſua? quis ſalutem ſuam cum metu ac tremore non operetur? ſi terrificum illud judicis æterni tribunal, & ſtrictiſſimam omnium operum diſcuſſionē, quæ in judicio fiet, ſecum expenderit? quis peccare audebit, ſi æterna inferni ſupplicia peccatoribus imminentia debitè apprehenderit, & cogitaverit, quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viventis? quis Deo non alacriter ſerviet, quis non per ſingula momenta bonorum operum exercitio ſtudioſiſſimè vacabit,

Digitized by Google

cabit, ſi ante oculos ſemper habuerit præmium illud immenſum, quod divina Majeſtas ſervis ſuis ſtrenuè operantibus repromiſit? nullum cor adeò durum eſt ac frigidum, quod horum conſideratione non emolleſcat, & in amorem virtutis non exardeſcat. Nulla mens ita in malum præceps, ut hoc medio velut fræno potentiſſimo â peccatis non cohibeatur. Hæc ſunt ô homo, quæ omni tempore, omni loco, & in omnibus operibus tuis animo verſare debes. Hæc probè rumina, hæc profundâ & vivaciſſimâ meditatione cordi tuo inſculpta tene, nec tibi eorum memoria & recordatio unquam elabatur. Quicquid egeris reſpice finem, & nunquam in æternum peccabis. Recedet â corde tuo mundana omnis lætitia, diſplicebit tibi in hoc ſæculo, quicquid temporalis negotij gerendum ſuſceperis, præ dulcedine bonorũ, quæ Deus præparavit diligentibus ſe, & præ horrore malorum peccatoribus im̃inentium.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 22. Aprilis.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.

Proverb. 15.

NOn alia eſt cauſa cur homines in tot peccata quotidie prolabantur, & tam ignavi ſint ad bonum, niſi quòd vel non credant eſſe Deum, vel de ipſo minimè cogitent, tanquam & ipſe nihil de illis cogitaret, rebus humanis non intenderet, & relictis terrarum regionibus, circa cœli cardines otioſè perambularet. Interim in omni terrarum loco oculi Domini, quibus nihil eſt diſſitum, tenebroſum vel occultum, bonos & malos contemplantur. Multa bona opera juſti quotidie faciunt, è contra perverſi plurima quotidie flagitia perpetrant. Nec bona nec mala fugiunt notitiam omnia videntis, & manent in theſauro divinæ memoriæ indelebiliter ſignata, quouſque in lucem aliquando proferantur, & unusquisque recipiat prout geſſit in hoc corpore, ſive bonum, ſive malum. Quis ſervus adeò temerarius, ut Domino inſpiciente ſcelus audeat committere? præſentia & inſpectio Domini reddere ipſum ſolet in obſequio ſuo induſtrium ac ſolicitum. Filij

Digitized by Google

autem hominum nihil curant ſupremā Dei ac Domini ſui Majeſtatem, & ſpeculatoris deſuper adſtantis præſentiam, qui cunctos illorum videt non ſolùm actus, ſed etiam cogitatus. Ut refrænes animum tuum in peccata præcipitem, & obſequio Dei ferventiùs deinceps inſiſtas, ſemper Deum ante oculos habe, contemplare omnia contemplantem, & ſic age, nè te inter malos, ſed inter bonos videat; ſedulum etiam ipſi obſequium præſta, & bonorum operum exercitio ſtrenuè ſemper incumbe. Sicut enim nihil peccaminoſum cogitare, loqui aut committere poſſunt homines ſcelerati, quod Dei conſpectum lateat, ita nullum vel minimum opus bonum, quod juſti faciunt, nec minima quæcunque bona cordis intentio, ipſi eſt incognita. Sicut nihil impunitum peccatoribus, ita juſtis nihil impræmiatum tranſibit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 23. Aprilis.

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. *Lucæ 21.*

NIhil habemus animâ pretioſiùs, hæc unicus eſt theſaurus; eò potiſſimùm adniti debemus, nè illam aliquando perdamus, ſed poſſideamus & cuſtodiamus in vitam æternam. Medium autem illam poſſidendi eſt patientia. Qui nihil pati vult in hac vita, & animam ſuam in hoc mundo ſic amat, ut ei nihil adverſum velit contingere, perdet eam. Qui autem illam exercet per patientiam, & ſic odit in hoc mundo, ut eam diverſis paſſionum anguſtijs & adverſitatibus exerceri gaudeat, ſecurè illam poſſidet, & in æternum poſſidebit. Compara igitur te homo ad patiendum, præpara te non ad multam quietem & otium, ſed ad pugnas & certamina, nunquam aliàs ad palmam pervenies; quæ pro Chriſti nomine certantibus, & illius exemplo dura patientibus repromittitur; nec ipſe aliter ſibi viam ad Cœlum, quàm patiendo ſtravit, pati namque ipſum oportuit & ita intrare in gloriam ſuam. Chriſtum ſequere in patientia, ut ipſum in gloria conſequaris. Quicquid ergo tibi triſte ac moleſtum undecunque acciderit, patientiſſimè totum

perſer, & cave, nè unquam per impatientiam delinquas. Quòd ſi hæc mentem tuam poſſidere cæperit, jam tu poſſeſſionem animæ tuæ perdidiſti, & peccatum imò & ipſe dæmon factus eſt animæ tuæ poſſeſſor. Vide quali Domino illam peccando ſubijcias, de cujus manibus illam non tam facilè poteris revindicare. Hoc unum ergo ſemper ſatage, nè unquam excidas ex poſſeſſione animæ tuæ. Eſto Dominus illius, omnes ejus affectus tibi ſemper habe ſubjectos, nec unquam permitte, ut ei dominetur ulla iniquitas; ſic nulla tibi nocebit adverſitas, ſecurè animam tuam poſſidebis, neque ullus hoſtium illam tibi poterit eripere in æternum.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 24. Aprilis.

Intellige quæ ſunt proximi tui ex te ipſo. *Eccli. 31.*

MAgni apud Deum eſt pretij fraterna dilectio, & nihil ſine illa Deo gratum præſtare poſſumus. Quæris autem fortaſſe, quomodo & in quibus proximum diligere debeas? hoc ex te ipſo facilè potes intelligere. Nam etiam proximus eſt homo tibi ſimilis, habens pares animi & corporis affectiones, eorundem bonorum capax, & ijsdem malis obnoxius. Non vis ut tibi quicquam mali â proximo inferatur, cogita quòd nec ille quicquam damnoſi, vel adverſi ſibi velit inferri. Vis tibi ab ipſo bona omnia præſtari, cogita, quod & ipſe bonis ſibi exhibitis gaudeat. Sic ex te ipſo intelligere poteris, quid ipſi placeat, quid diſpliceat. Non ſufficit verò intelligere, ſed etiam facere oportet quæ ipſi placita eſſe intelligis, & abſtinere ab ijs quibus eum ſcis offendi. Hæc eſt lex charitatis, quã proximo debes exhibere. Time DEUM communem omnium Parentem, qui te creando & redimendo non pluris quàm alios fecit, & charitatem nobis erga invicem tam ſeverè præcepit, ut ſicut nos diligi volumus, ita & proximos diligamus. Nunquid ha-

bes â Deo privilegium, ut alijs licitè facias quæ tibi non vis fieri? nunquid tu â lege communi ſolus es exemptus? te omnes amare, colere ac ſuſtinere debent, tibi è contra quicquid volueris in alios licebit? noli hoc putare, ſed te ipſum potiùs omni opprobrio & injuriâ dignum judica, erga proximos autem tuos tanquam omni honore atq; humanitate digniſſimos nihil officij & obſequij prætermitte. Ex te ipſo facilè potes intelligere, qualis erga te Deus ſit futurus. Si te nunc omnibus benignum & affabilem præſtas, etiam Deum benignum atq; beneficum habebis. Si autem proximis te infeſtũ exhibes & intractabilẽ, cave nè Deum aliquando pariter infenſum habeas, & gehennæ incendijs addictus, ſerò intelligas ex te ipſo, quàm triſte ac doloroſum pravis hominibus per omnem æternitatem futurum ſit, charitatis proximo debitæ officia neglexiſſe.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 25. Aprilis.

Inutilem ſervum eijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. *Matth. 25.*

COnſidera horrendum inferni carcerem, regionem illam tenebroſam, in qua nihil reſonat, niſi ploratus perpetuus & ejulatus, ac ſtridor dentium horribilis, nihil reperitur niſi dolor, luctus, fletus & planctus, & omne malorum ac miſeriarum genus. In has tenebras ex hac vita eijcitur ſervus piger & inutilis, qui cùm eſſet in Dei eccleſia & familia divinis obſtrictus obſequijs, Domino ſuo noluit famulari. Proijcitur miſer in gehennã, ut qui Deo ſervire noluit, ſerviat in æternum diabolo & angelis ejus. Oculi ipſius perpetuò lacrymabuntur præ fumo picis & ſulphuris ardentis, neq; in æternum videbunt lumen. Stridebunt dentes præ acerbitate ſupplicij, fremet infelix atque tabeſcet, recogitans fideles ac ſedulos Dei ſervos in Regno cœleſti collætantes, ſe verò procul ejectum in exteriores tenebras, in profundiſſimam & obſcuriſſimam terræ abyſſum, locum miſeriæ, gemitûs ac doloris ſempiterni. Hæc ſunt ſtipendia quæ ſervo pigro & inutili penduntur. Horũ conſideratio cor tuum inflammet, ut Deo ferventer

Digitized by Google

ſervias, omnem ſegnitiem atque torporem excutias; Meliùs tibi nunc eſt laborare in Dei obſequio, & in æternam requiem, in gaudium Domini tui aliquando intrare, quàm pro turpi deſidia æternos incurrere dolores. Meliùs eſt bona nunc agere, quàm poſt hanc vitam pro neglectis bonis mala pati. Meliùs nunc dolere ac lacrymari, quàm poſtea in æternum plorare; meliùs nunc ad bene operandum, ſtrenuè manus extendere, quàm deinde proijci ligatis manibus in abyſſum putei infernalis. Præſta ergo te ſervum utilem atque induſtrium, nè alioquin & tibi ſis inutilis ac pernicioſus. Non extimulant te Cœli præmia quæ divina bonitas ſervis fidelibus repromittit, accendant ſaltem gehennæ incendia & ſupplicia, quæ Dei ſeveritas malis & inutilibus comminatur.

MEDITATIO

Pro die 26. Aprilis.

Jugum grave ſuper filios Adam, â die exitûs de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. *Eccli. 40.*

PErpende omnes miſerias, quas cuncti mortales ſuſtinent, â die nativitatis uſque in diem mortis ſuæ, quo in matrem omnium, terrã videlicet de qua egreſſi ſunt, revertuntur. Nullus ab hac lege Adam exemptus eſt. Quisque ſuas patitur adverſitates & dolores, jam animo, jam corpore afflictatur, nunc intus, nunc foris pugnas habet ac timores, ut non immeritò vita hæc triſtis ac doloroſa gravi jugo comparetur, quod hominem aſſiduè premit, uſque dum illum deprimat in ſepulchrum. Hoc jugum â nobis excutere non poſſumus, ex quo illud nobis Deus impoſuit, ſed ferre illud debemus nolentes volentes. Si quis ſit impius væ illi eſt, tam interiùs, quàm exteriùs, tam in præſenti, quàm in noviſſimo; ſi ſit juſtus, non levabit pariter caput, ſaturatus afflictione ac miſeriâ. Unica verò cauſa, propter quam divina juſtitia generi humano jugum hoc impoſuit eſt peccatum, in hujus

pœnam relegati ſumus in hanc vallē lacrymarum, ut ſatis & faciendo & patiendo commune delictum expiaremus. Feramus ergo libenter quod neceſſariò ferendum eſt, & jugo huic promptiſſimè colla noſtra ſubdamus, nè alioquin ad pœnam peccati novum peccatum per impatientiam addamus, & peccati pœnas tum in hac, tum in altera vita nobis accumulemus. Jugum hujus vitæ grave quidem eſt, ſed ab illo poſt paululum homo liberatur. Jugum alterius vitæ quod reprobi portant longè graviùs eſt, nec ullo mortis beneficio unquam tolletur. Suſtine igitur patienter quicquid adverſi divina bonitas in hac vita tibi applicuerit, nè alioquin temporalem declinando miſeriam, æternam incurras. Meliùs eſt hîc flagellari cum hominibus, & vitæ alterius flagella evitare, ac pro momentaneo tribulationis jugo, æternâ libertate ac felicitate in Cœlis gaudere.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 27. Aprilis.

Jugum meum ſvave eſt, & onus meum leve. *Matth. 11.*

DUo ſunt Domini, qui ſibi corda mortalium in hac vita ſubjugant, Deus & mundus. Horum alterutri ab unoquóq; ſervitur. Mundus ſervis & ſectatoribus ſuis offert honorum pompas, divitiarum ſplendores, ac dulcedines voluptatum, falſa omnia & fucata, brevia & momentanea; duriſſimum interea jugum ipſis imponit, jugum peccati, & reatûs æternæ damnationis, jugum remorsûs conſcientiæ, & mille miſeriarum, quarum aculeos in roſis ſuis mundani quotidie ſentiunt, quarum amaritudinibus dulcedines ipſorum aſperguntur. Pergunt ſic infeliciter felices ad mortem & portas inferi, nec in fine quicquam inveniunt, niſi tenebras & pœnas. Plurimi nihilominus grave hoc mundi jugum magna cum aviditate ſuſcipiunt. Promittit Chriſtus ſervis ſuis non temporalia & fallacia, ſed vera & æterna bona, jugum non durum, ſed ſvave, onus non grave, ſed leve ipſis imponit, multo inſuper oleo conſolationis inunctum, quod portantem non tam premit, quàm reficit; pauciſſimi tamen illud in humeros accipiunt, & ex his plerique tan-

tanquam angariati eſſent & coacti crucem Chriſti ferunt cum mærore ac faſtidio, nec tam prompti currunt ad vitam, quàm mundani homines ad mortem. Nulla eſt alia cauſa hujus dementiæ, quàm quòd oculis vanitate mundi obcæcatis, non niſi temporalia & præſentia hæc conſiderent & magnifaciant, futura verò minimè perpendant. Omne gaudium omníſque voluptas ipſorum non eſt niſi de præſenti, viſibili & labili hac mundi creatura. E contra piorum hominum conſolatio atque delectatio capitur de futuris, quorum ſpe animus ipſorum delinitur, ut in ferendo Chriſti jugo non niſi levitatem ſentiat & ſvavitatem, quam nullus ſcit, niſi qui experientiâ deguſtat quàm ſvavis ſit Dominus. Utinam aliquando tandem mundani ſapiant, & jugum Chriſti ſvave ac leve præferre diſcant graviſſimo mundi jugo, quod ipſos duriſſimè premit, quoúſq; deprimat in gehennam.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 28. Aprilis.

Juſtitia juſti non liberabit eum in quacunque die peccaverit. *Ezech. 33.*

NUllius in hoc mundo ſervus apud Dominum ſuum in tanta eſt gratia, in quanta juſtus apud Deum. Donis enim ſupernaturalibus ab ipſo impletur, adoptatur in filium Dei, hæredem Cœli, cohæredem Chriſti, & jus accipit ad cœleſte præmium, ut poſt hanc vitam cũ Deo æternùm regnet. Nihilominùs hic ipſe juſtus, ſi vel unico gravi peccato divinam Majeſtatem offendat, repentè fit Dei hoſtis, ſervus diaboli, filius iræ, gehennæ mancipium, reus mortis ac damnationis ſempiternæ. Et quidem licet annis quàm plurimis Deo fideliſſimè ſerviiſſet, & plurima ſibi cœleſtis præmij merita congregâſſet, in intimam quoque amicitiam â Deo fuiſſet receptus, & in altiſſimo virtutis ac ſanctitatis gradu conſtitutus, ſi vel unicum perfidiæ actum committat, repentè bonis omnibus ſpoliatur, omnium meritorum quæ collegerat jacturam patitur, & â gradu ſummæ felicitatis in abyſſum ſummæ miſeriæ præcipitatur, nec liberat illum præcedens

cedens juſtitia, ſed omnia illius bona opera oblivione ſepeliuntur, & ſi eum in tali ſtatu mors inveniat, etiam æternis gehennæ incendijs adjudicatur. Cogita jam quantæ malitiæ ac noxæ ſit vel unicum mortale peccatum, & quanta bona perdat, quantisque ſubijciatur malis, qui â juſtitia ſe avertens vel in unico deliquerit. Non conſiderant hæc mortales, quanquam in tot támque varijs peccatorum periculis per ſingula momenta ſint conſtituti. Evigilate juſti & nolite peccare. Quantumcunque juſtitiæ gradum vobis attigiſſe videamini, juſtitia tamen veſtra nihil vobis prodeſſe poterit, niſi perſeveraveritis in ea úſq; in finem. Nimis quidem etiam in hac jam vita eſtis à Deo honorificati, tanquam ejus amici, filij & hæredes, in altera tamen vita primò confortabitur principatus veſter. Hoc unicum nunc ſatagite, nè de honore ac principatu veſtro per peccatum excidatis, & vel unicum committendo malum, omnia bona veſtra ſimul & ſemel profundatis.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 29. Aprilis.

Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. *Sap. 3.*

INfinita eſt Dei potentia & fortitudo. Difficilè videtur clavam eripere fortiſſimo Herculi, impoſſibile autem eſt Dei manibus quicquam extorquere. Sunt omnium juſtorum animæ in manu Dei, aliter tamen in hac vita, & aliter poſt hanc vitam. In hac vita quidem in manu Dei ſunt, quia eas per gratiam ſuam tenet, fovet atq; ſuſtentat, poſſunt nihilominùs ipſi ſe de manibus ejus per malam voluntatem extorquere. Quod ſi faciant, & morte illos abripi contingat, incidunt iterum nolentes volentes in manus Dei, non amicas, ſed vindices, de quibus nec ipſi ſe ampliùs, nec ullus ipſos ultra poteſt in æternum eruere. Juſti autem qui dum viverent, manui divinæ ipſos tenenti, ducenti ac dirigenti ſe plenè ſubmiſerunt, etiam poſt hanc vitam manent in benigna manu ipſius, nam dexterâ ſuâ tegit eos, & ab omni malo protegit atque defendit. In hac vita permittit ipſos pro majori meritorum augmento diverſis affligi miſerijs, atrociſſimis quoque mor-

mortis doloribus atque tormentis excruciari, in altera verò vita non ſinit ampliùs, ut illos vel umbra mali, ſeu adverſi tangat, multò minùs ullum tormentum mortis ad eos appropiet, ſed fovet eos atq; demulcet innumeris conſolationibus ac delectationibus, quæ ſunt in ejus dextera uſque in finem. Nulla ſic mater vel nutrix fovet ac protegit ſuum infantulum, uti Deus electos ſuos tutatur & conſolatur. Quicunque igitur perpetuæ ſecuritatis ac felicitatis ſtatum affectat, non eruat ſe in hac vita per malam voluntatem de manibus Dei ipſum per gratiam ſuam tenentis, ducentis & gubernantis, ſic fiet, ut ab ipſo deducatur in terram rectam, & potentiâ dexteræ ipſius ab omnibus malis protegatur. Deo ſe totum comittat, & caveat omne delictum mortis in hac vita, ſic erit â potenti manu Dei æternùm defenſus, nè illum tangere poſſit ullum tormentum mortis in altera vita.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 30. Aprilis.

Juſtum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit. *Eccle. 3.*

CONſtituit ſibi Deus certum diem, quo cùm tempus acceperit; omnia hominum cogitata, verba & facta, tam juſtorum, quàm impiorum, tam vivorum, quàm mortuorum judicabit. Tempus omnis rei tunc erit, in illum diem nunc plurima differuntur. Liberè nunc homines in quælibet peccata proruunt, & impunè delinquunt, quorum ultio & vindicta in idem tempus reſervatur. Non vident contra ſe ſtatim proferri â Deo ſententiam, ideóque dicunt in cordibus ſuis: non requiret Deus; tunc autem videbunt quare Deus tam longo tempore ſiluerit ac diſſimulaverit, & vaſa iræ apta in contumeliam ac perditionem ſempiternam tam diu in patientia ſuſtinuerit. Nunc homines delicta ſua non intelligunt, & frequenter excuſant excuſationes in peccatis, tunc unicuique delicta ipſius clarè ante oculos repræſentabuntur, & putatitiæ multorum juſtitiæ condemnabuntur. Nunc multa ſcelera mortales in abſcondito committunt, in illa die omne oc-

cultum revelabitur,& in lucem ac totius mundi conſpectum proferetur. Nunc mali bonis inſultant, lætis diebus ac temporali proſperitate fruuntur, è contra boni mala multa ſuſtinent, & plurimis afflictionibus premuntur; tunc vertetur ſcena, & bonis æterna præmia, impijs æterna retribuentur tormenta. Gaudebit tunc æquitas, omnis verò iniquitas oppilabit os ſuum, non habens quod Deo judici minima quælibet exquirenti reſpondeat. Illum diem ô homo ſemper cogita, ad illum te præpara, & quamvis modò taceat Deus, nec bona bonis, nec mala malis retribui videas, fuge nihilominùs mala & bona operare. Non eſt nunc tempus juſtitiæ aut præmiativæ aut vindicativæ, ſed omnis rei tempus tunc erit, & quidem ultimũ hoc erit tempus, poſt quod non erit aliud; quicquid enim illo die judicatum fuerit, per totam æternitatem inconcuſſum ſtabit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 1. Maij.

Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Sap. 4.*

INnumera ſunt in hoc mundo peccati, & conſequenter æternæ ſalutis pericula, ut pro maximo Dei beneficio cenſendum ſit, ſi quem ex hac vita rapiat, dum eſt in ſtatu gratiæ, nè malitia mutet intellectum, & morte jubeat præoccupari, ut æternam beatitudinem citiùs moriendo acquirat, quam diutiùs vivendo erat perditurus. Beatus ille qui poſt hujus vitæ miſerias ad vitæ alterius felicitatem tranſit, qui poſt ignes & caminos tribulationis educitur in refrigerium, qui de mille periculis ad ſtatum æternæ ſecuritatis transfertur, in quo nulla mors vel adverſitas ipſi ampliùs dominari poterit. Abſterget tunc Deus linteo conſolationis omnes dolorum lacrymas & laborum ſudores quos in hac vita ſuſtinuit, mitigabit omnes curarum & ſolicitudinum æſtus, & cæleſtium deliciarum ſvavitate ac dulcedine velut flabello aut vento roris flante diſcutiet, ut nec quidem recordaturus ſit malorum præcedentium, præ magnitudine ac multitudine præſentium bonorum. Et quidem tantò gratiùs erit refrigeriũ, quantò major & gravior æſtus præceſſerit. Non refrigera-

gerabitur qui priùs non æſtuavit. Noli ergo in hac vita requiem & refrigerium quærere; ſed quibuscunque laboribus & adverſitatibus collum libenter ſubmitte, & patienter ſuſtine vitalis hujus diei pondus & æſtus; age gratias Domino ex tribulationis tuæ camino, ut aliquando eidem dicere poſſis: tranſivi per ignem, & eduxiſti me in refrigerium. Reprobi è contra ſi morte præoccupati, & in peccatis ſuis ex hac vita fuerint abrepti, non erunt in refrigerio, ſed in æſtu infernali. Exemplum habes in divite Epulone, aquæ guttam in linguæ refrigerium petente, nec tamen obtinente; recepit in hac vita refrigerium ſuum. Elige quod vis: poſt laborem & fatigationem hujus vitæ, poſt ignem momentaneæ tribulationis, pervenitur ad æternum refrigerium; poſt hujus vitæ jucunditatem ac temperiem, ad incendium ſempiternum.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 2. Maij.

Juxta eſt dies Domini magnus, dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis. *Sophon. 1.*

HOrribilis fuit dies quo Deus Sodomam & Gomorrham igne de Cœlis miſſo abſumpſit, vel quo mundum per diluvium univerſale delevit, aut cùm ſui timorem ac terrorem populo Iſraelitico volens incutere, inter tonitrua, fulgura, & horrendum buccinæ clangorem deſcendit in montem Sinai, totum horribilem ac fumantem. Terribile noſtris etiam videtur temporibus, cum cœlo nubibus obtenebrato, inter ventorum ſonitus, & imbrium atque grandinum procellas, inter mugitus aëris, & micantia fulgura, nubiúmque horriſonos fragores, fulmina hinc inde vibrata diſcurrunt. Horribilior tamen his omnibus erit dies mundi extremus, quo Deus adveniet judicare ſæculum per ignẽ. Quicquid unquam horrendi ac terrifici â ſæculorum principio viſum fuit, in hoc unico die collectim exhi-

Digitized by Google

hibebitur. Vocatur hic dies Domini, quia Dominus illum ſibi delegit, ut in eo terribilem ſuam Majeſtatē ac magnificentiam omnibus hominibus pariter congregatis manifeſtet. Erit magnus, præ magnitudine ac horrore portentorum Erit dies iræ, quam divina ſeveritas tunc univerſam in reprobos effundet. Dies tribulationis, qualis non fuit ab initio mundi, neq; deinceps unquam futura eſt. Dies anguſtiæ, quo tābeſcet omne cor, & ipſa militia cœlorum paveſcet. Dies calamitatis, quo ſuper ſe plangent omnes tribus terræ. Dies miſeriæ, qui reprobos cum animabus & corporibus in æternam miſeriam detrudet. Dies tenebrarum, quo Sol & Luna cum omnibus Cœli luminaribus obtenebrabitur. Dies caliginis & nebulæ, præ fumo incendij orbem vaſtantis. Dies turbinis, præ confuſione maris, ventorum procellis, & nubium fragoribus. Et quidem juxta eſt hic dies Domini; hunc ſive bibis, ſive comedis ſemper conſidera, & ad illum te jugiter præpara, ut in illo non inter reprobos, ſed inter juſtos inveniaris. Talem verò te inveniet hic dies, qualem te invenerit ultimus vitæ tuæ dies, qui altero longè propinquior, imò fortaſſe jam in januis eſt.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 3. Maij.

Lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. *Matth. 7.*

DVo ſunt extremi & ad invicem contrarij fines, ad quorum unum mortalium quisque tendit: ſalus nimirum & perditio, ſive cœlum & infernus. Diverſæ quoque ſunt viæ, per quas ad fines illos â mortalibus tenditur. Via quæ ad Cœlum ducit, ipſâque Cœli porta arcta eſt & anguſta, & idcircò pauci per eam vadunt. E contra non tantùm lata, ſed etiam læta, non tantùm ſpatioſa, ſed etiam ſpecioſa & amæna eſt via, quæ ducit ad perditionem, & innumeri ſunt qui ambulant per eam, nec recogitant quòd noviſſima ejus deſinant in fauces inferi. Magna eſt hæc mortalium dementia, quâ tamen potior humani generis pars exitioſè delirat. Horrenda ſunt, quæ Deus de reproborum multitudine ſæpiùs revelavit. Quotidie multa animarum millia devorat infernus, inter centum aut etiam mille hujus mundi homines vix unicus ſalvatur, via illa perditionis valde alioquin ampla & ſpatioſa ſemper plena eſt ſtultis per ipſam incedentibus. Tu nunc ſa-

pe, nè ſerò ſapias. Noli cogitare quòd via lata ſit atque jucunda, ſed attende quò ducit. Noli reſpicere multos itineris comites ac Sodales. Nihil ſolatij addet in inferno ardere cum multis. Tantò námq; majus erit incendium, quantò plures accumulati fuerint titiones; tantò major luctus & miſeria, quantò plurium ululatus & ploratus; tantò major anguſtia, quantò copioſior turba reproborũ, qui ſicut oviũ inſtar gregatim currunt ad tartara, etiã ut oves in inferno preſſi erunt & anguſtiati. Noli ergo ſequi turbã, ut â via ad Cœlum ducente devies. Ruat potior hujus mundi pars ad inferos, & per latam viam ad æterni carceris anguſtias tendat, elige tu potiùs ſalvari cum paucis, quàm cum multis in æterna ire incendia. Ut autem aliquando cum paucis ſalvari poſſis, vive cum paucis, quorum vita non eſt gaudium, ſed crux & martyrium.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 4. Maij.

Laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.

Job. 20.

STultus eſt hic mundus, amat & prædicat homines vanos & impios, bonos autem ridet, contemnit & cavillatur. Quid verò prodeſt impijs ab hoc mundo laudari? Quam modicum eſt tempus, quo ipſis laude humanâ gaudere conceditur? cùm repentè ſcena vitæ clauditur, & in puncto miſeri ad inferna deſcendunt, recepturi pro momentaneis mundi laudibus opprobrium ſempiternum. Quin etiam frequentiùs de ipſa virtute, quam nunquam in animo habuerunt, foris tamen oſtendunt ac prædicant, laudem ac æſtimationem quærunt; pro bonis, pijs ac ſanctis volunt haberi, interim non niſi ſepulchra ſunt foris quidem dealbata, interiùs verò ſcatent turpioribus vitiorum ſordibus, quàm ſint oſſa & cadavera mortuorum. Fæditates & obſcænitates illorum detractâ hypocriſis larvâ Deus aliquando revelabit. Agnoſcent tunc, quàm vanum fuerit ac fatuum tranſitoriam hujus mundi laudem & gloriam captâſſe, videbunt totam vitam inſtar unius

Digitized by Google

momenti tranſiviſſe, & omne gaudium ſuum, quo in hoc mundo delectati ſunt, fuiſſe ad inſtar puncti. Videbuntur ipſis tunc omnes mundi vanitates & laudum fumi quaſi nunquam fuiſſent, memoria quóq; ipſorum apud poſteros citò de terra peribit. Tranſeat etiam quòd laus ipſorum etiam poſt mortem adhuc volet per ora hominum, quid ipſis prodeſt, vel quam illis conſolationem adferre poteſt, ſi laudentur ubi non ſunt, & torqueantur ubi ſunt? omnibus tandem hujusmodi vanæ laudis & gloriæ fumis & fucis dies Domini extremum finem imponet, cùm toto audiente ac inſpectante mundo juſtis retribuetur vera laus & gloria, reprobis autem confuſio ſempiterna. Noli ô homo laudem ac æſtimationem hujus mundi quærere, non affecta prædicari ab humano die, ſic vive, ut in extremo mundi die gloriam & laudem promerearis. Citò præterit mundi hujus dies ac ſplendor, æternæ verò gloriæ ac beatitudinis Sol nunquam occidet.

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 5. Maij.

Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. *Job 20.*

INtolerabiles videntur hominibus præſentis vitæ dolores, ità ut ſæpiùs, dum morbis aut ſupplicijs torquentur, mortem invocent, & malint non eſſe, quàm in doloribus vivere. Imò etiam ſe ipſos aliquando interimunt, nè diutiùs in carne pati cogantur. Omnes hujus vitæ dolores, omnia hujus mundi tormenta, luſus tantùm & umbra ſunt reſpectu futurorum, quibus in altera vita peccata hominum â Deo caſtigantur. Tanta eſt vel unica pœna quæ etiam pro veniali tantùm peccato poſt mortem infligitur, ut omnes hujus mundi cruciatus excedat. Quantum non erit ſupplicium, quod pro innumeris criminibus & flagitijs reprobi ſuſtinebunt? bibunt modò quaſi aquam iniquitatem, in quanta non menſura pœnam ejus tunc bibent? in hoc etiam mundo ipſe dolor ſi nimius ſit ſenſum aliquando tollit, imò & mortem infert, non ſic in altera vita. O! quàm bonum eſſet reprobis, ſi aut vivendo aut ſentiendo deficerent in tormentis! ſi gehennæ ignibus conſumpti in cinerem aut nihilum redigerentur. Mortem quam olim tantopere horrebant, ſemper in votis habent,

bent, pro unico malorum remedio, quantò autem plùs illam invocant, tantò magis illa fugit ab eis. O! quàm horrendum eſt ſemper eſſe miſerum, ſemper in ſupplicijs ac tormentis jacere ſine ulla ſpe ſalutis ac liberationis; ſemper debitum luere, nunquam luendo perſolvere; ſemper puniri, nunquam tamen ſcelus patiendo expiare; ſemper clamare, nunquam exaudiri, ſemper uri, nunquam comburi. Vita hæc omni eſt morte durior, infelicior & acerbior. Hæc omnia frequenter animo volve, & ſcito quòd pro omnibus cogitatis, dictis & factis tuis adducet te aliquando Deus in judicium. Lues tunc omnia etiam minima peccata. Quòd ſi gravior aliqua in te inventa fuerit iniquitas, æternùm dolebis, & nunquã deficies, ſemper ardebis, nunquam conſumeris. Æternus erit ignis, æterni tortores, culpa æternùm irremiſſibilis, conſequenter dolor & planctus æternus.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 6. Maij.

Majorem hac dilectionē nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *Joan. 15.*

NIhil hominibus ſolet eſſe gratiùs, quàm anima & vita. Aurum & argentum, & omnia quæ poſſidet, libenter dat quis pro anima & vita ſua. Ex hinc maxima comprobatur eſſe dilectio, ſi quis rem tam gratam & pretioſam profundat pro amico ſuo. Nihil ergo plùs amore cujusquam facere potes, quàm ſi animam & vitam pro illo ponas. Dicis te Deum amare, vide an paratus ſis animã pro illo ponere, prout innumeri Sancti Martyres fecerunt, qui hoc Dei amore incenſi, atrociſſima carnificum tormenta mortémq; ipſam cum lætitia ſuſtinuerunt. Habes etiam proximos, qui omnes tui debent in Chriſto eſſe amici. Vide an & pro his vitã relinquere ſis paratus. Hæc demum vera eſt & maxima dilectio, ſi nec mors illam vincit. Anima ſic diligens faciliùs ſe patitur ſeparari â corpore, quàm â charitate. Diſce â Chriſto qualiter amicos diligere debeas; poſuit ille pro unoquoque noſtrûm animam ſuam, & nos debemus pro fratribus noſtris animas

Digitized by Google

mas noſtras ponere. Tantùm verò abeſt ut ſis paratus pro fratribus tuis animam ponere, ut eos magìs odio habeas, conturbes & affligas. Imò quamvis & Chriſtum te profitearis diligere, ejus tamen amori mundi amorem præponis, offenſam ejus parvì curas, modò pravis animæ tuæ deſiderijs ſatisfacias, imò & ipſum denuò conculcas & crucifigis. O quantum diſtat dilectio tua â maxima illa dilectione, quã debes Creatori ac Redemptori tuo, & ex amore ipſius proximo tuo. Etſi mille vitas pro Deo aut proximo poneres, nihil tamen eſſet in comparatione illius, quod ille animam ſuam pro te ponendo fecit. Tu nimiùm amando temetipſum & animam tuam denuò perdis. Noli putare quòd denuò venturus ſit, ut animam ſuam pro te ponat. Agnoſce amorem, redde vicem amanti, eſto gratus Redemptori tuo, offer illi vitam & ſangvinem, opta occaſionem, quâ poſſis animam ponere pro dilecto tuo, & ejus amore pro amicis, imò & inimicis tuis.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 7. Maij.

Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. *Eccli. 11.*

CItò tranſit quicquid in hoc mundo volupe homini eſt ac jucundum. Omnis dulcedo terreſtrium deliciarum citò in nauſeam & amaritudinem cōmutatur. Valde celeriter marceſcunt voluptatum roſæ quæ delectant, & poſt ſe nihil relinquunt niſi pungentes ſpinas. Sapit eſca piſci, cùm verò hamum in ea latentem devoraverit, amaricantur viſcera ipſius. Sic homines luxurioſos citò pœnitet brevis gaudij ac momentaneæ delectationis, quâ nihil aliud lucrantur, quàm cordis dolorem, corporis langvorem, & conſcientiæ remorſum. Minima & breviſſima eſt luxuriæ voluptas, quam fatui mortales tantopere ſitiunt. Demus verò plurimos annos in luxuriæ delectationibus ſine ulla cordis amaritudine conſumptos, magna videbitur hæc luxuria; reverà tamen non magna, ſed parva eſt, imò nulla. Cùm enim præterîerit dulcedo ejus, perinde eſt acſi nunquam fuiſſet; & vel unius horæ malitia, dolor aut infirmitas, oblivionem ejus inducit; maximè verò malitia & triſtitia illius horæ, quæ omnibus voluptatibus extremum finem imponit, vanóſque

Digitized by Google

que deliciarum ſectatores abripit â gaudijs temporalibus ad ſupplicia ſempiterna. Cujus horæ malitiam conſequitur malitia & infelicitas longiſſimæ ac interminabilis illius æternitatis, cùm reprobi ſine fine, gehennæ ſupplicijs cruciabuntur. Nihil omnino eſt univerſa mundi dulcedo, ſi malitiam illam & triſtitiam ſequentem reſpicias. Stultum eſt velle temporalibus frui delicijs, & poſtea in æternum torqueri. Nihil ſectandum quod tranſit cum tempore, nihil amandum quod aliquando perpetuâ oblivione deletur. Non recogitant verò hæc mundi amatores, ſed temporalibus immerſi, obliviſcuntur æternorum. Interim voluptas prætervolat, æternitas verò admeat nunquam finem habitura, quam cùm fuerint ingreſſi, aliter ſentire incipient; & tunc primò vanitatis arguent omnia præterita, ſuámq; ſtultitiam deplorabunt.

MEDITATIO

Pro die 8. Maij.

Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia. *Pſal. 83.*

SI alicui multis annorum millionibus in hoc mundo vivere, diésq; ſuos in gaudijs atq; delicijs tranſigere concederetur, quàm volupe ac jucundum hoc illi fore putas? nihil tamen ſunt quotcúnq; añorum in quantiscúnq; mundi gaudijs transactorum millia, nihil milleni annorũ milliones, ad diem unam lætitiæ, quâ beati fruuntur in Cœlis. Vnica gutta cælici torrentis, melior eſt, quàm terreſtrium deliciarum & gaudiorum oceanus. Si vel unica dies cœleſtis gloriæ ac lætitiæ homini pro univerſis laboribus ſuis & obſequijs Deo exhibitis promitteretur, dignum eſſet multis etiam annorum millibus ſpe diurni hujus denarij bonis operibus ſtrenuè inſudare, & mala quæcunque libenter tolerare. Nunc verò non dies una, non aliquot annorum millia, ſed infiniti dies & anni, & quidem non pro longi temporis labore & moleſtia, ſed pro brevibus momentaneæ hujus vitæ ſervitijs Deo præſtitis nobis promittuntur. Si unica dies tam læta eſt ac jucunda, & quidem in atrijs Domini, quàm gaudioſa erit æternitas in ipſis Cœli palatijs, ubi Deus omnem dexteræ ſuæ

Digitized by Google

potentiam exeret ad lætificandos ſanctos, ac ſvaviſſimo cæleſtium deliciarum torrente ſine fine potandos? concupiſcat anima tua ſurſum ô homo, contemne terrenas quascúnq; delicias, nihil in hoc fugaci ſæculo tibi arrideat, æternis illis Cœli gaudijs atq; delicijs inhianti, quæ omnem animi captum, & omne cordis deſiderium excedunt. Citò quodcúnq; etiam longiſſimum tempus præterit, & cùm finem acceperit, omnis ejus lætitia pro nihilo computatur. Nil proderunt tibi mille annorum milliones in delicijs vitæ hujus transacti, ſi non fueris poſt illos in atria Domini admiſſus. Ibi eſt gaudiorum veritas, hîc vanitas; ibi vera beatitudo, hîc falſa & fucata felicitas.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 9. Maij.

Meliùs eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum Convivij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit. *Eccle. 7.*

MAgna eſt mundi hujus dementia & inſania, per ſingula momenta deficit, per continuas viciſſitudines & mortes ad generalem interitum tendit, propè eſt finis ipſius, & tempus adeſſe feſtinat, ut per ignem conſummetur, gloriam ejus ſepeliet æternitas, & gehennæ miſeria gaudijs ejus finem imponet. Ridet nihilominus & ſaltat, cantat & jucundatur, jubilat ac tripudiat, convivatur & comeſſatur. Inſanit verè mundus, & præſentibus delicijs immerſus, non recogitat quid futurũ ſit, ſed ridendo ac jucundando moritur. Cave quicúnq; ſapis, nè in eandem inducaris inſaniam, & cum mundo temporaliter gaudente in æternum pereas. Noli domos mundani gaudij & convivij intrare, ſperne voluptatum delubra, quantumcunque tibi blandiantur deliciarum Syrenes; nihil te in hoc ſæculo de-

Digitized by Google

delectet quod tranſit cum ſæculo, & cujus extrema dolor ſempiternus occupat. Meliùs eſt ire ad domum luctûs ac triſtitiæ, gemitûs ac pænitentiæ, meditationis ac contemplationis religioſæ, ubi homo ſalutari triſtitiâ ex noviſſimorum ſibi imminentium recordatione compungitur, & vivens cogitat quid poſt hanc vitam futurum ſit. Cùm omnis mundi gloria finem acceperit, ac in perpetuum data fuerit oblivioni, cùm pro gaudijs ſuis mundani homines nonniſi triſtitiam & lamenta, pro momentaneis delicijs æternum incurrerint ſupplicium ac tormentũ. Meliùs eſt etiam ire ad mortuales funerum ac ſepulchrorum domos, in quibus homines finis pariter ſui admonentur, tanquam ex unoquoque feretro vel tumulo vocem ſibi dicentem audirent: mihi heri, tibi hodie. Valde tibi neceſſarium eſt ô homo, ut vivens jugiter conſideres tuum & mundi finem, & quid poſt hanc vitam futurum ſit. In omnibus actionibus tuis reſpice noviſſima tua, luge mundum, luge te ipſum & peccata tua. Meliùs eſt ex domo luctûs venire ad domum convivij, quàm ex domo convivij & quidem breviſſimi tranſire ad horrendam illam domum luctûs ſempiterni.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 10. Maij.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas: non mihi placent. *Eccle. 12.*

PErpende ô homo, quanta nunc bona facere poſſis, maximè ſi juvenis & ſanus es, quamdiù corporis & animi robur viget. Tu verò bene operari negligis, & ſanitate ac fortitudine tuâ etiam in malum abuteris. Prætereunt dies ſalutis, commodiſſimum & acceptabiliſſimum tempus elabitur, marceſcit ſenſim ætatis flos, ſanior & validior pars vitæ fugit, quam non in Dei obſequio, ſed in mundi vanitatibus ac inerti deſidia potiſſimùm conſumis. Placent tibi moderni vitæ tuæ dies, venient paulò poſt alij, qui tibi diſplicebunt. Appropinquat pede tacito ſenectus, morbi ac debilitates ſenſim advenient, paulóque poſt ſubſequetur mors ac vitæ finis. Triſtia & inviſa tibi erunt illa tempora, quibus nec Deo nec mundo ſervire multùm poteris. Animi robur concidet, corporis vires enervabuntur, morborum, dolorúmq; moleſtiæ carnem

Digitized by Google

affligent, præſertim extremo vitæ tempore, cùm viribus corporis exhauſtus & mentis impos, vix poteris eorum quæ ſalutiſtuæ ſunt recordari. Noli ergo in illud tempus, quanquam nec eoúſq; te victurum noveris, vitæ converſionem & bonorum operum exercitia differre. Optimum ætatis tempus Deo conſecra, corporis & animi vigorem divinis ſervitijs impende. Memento nunc Creatoris tui, ſerò alioquin ejus memoriam colere incipies, cùm vix tui meminiſſe poteris. Mali ſunt infirmitatis & ſenectutis anni, pejores verò adhuc erunt anni poſt hanc vitam, tempus ſcilicet æternæ afflictionis, ſi pro torpore tuo ac deſidia inferni ſupplicijs fueris adjudicatus. Cogita parum quid agas, noli permittere, ut tibi ſine fructu elabatur lucroſum tempus, veniet alioquin tempus, cùm vel unicam juventutis ac ſanitatis horulam optabis, nec impetrabis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 11. Maij.

Mementote Præpoſitorũ veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidẽ. *Heb. 13.*

IGnota nobis eſſet ad Cœlum via, niſi Deus illam nobis per Prophetas & Apoſtolos â ſe miſſos præmonſtrâſſet. Eandem viam nobis demonſtrârunt ſancti Eccleſiæ Patres, & Ordinum Præpoſiti ac Patriarchæ, nec ſolo digito nobis illam oſtenderunt, ſed ipſi per eam in vita ſua inceſſerunt in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ambulantes ſine querela, verbo, exemplóque ſuo nos adhortantes, ut eorum veſtigia premendo, eaſdem quas ipſi jam conſecuti ſunt repromiſſiones â Deo conſequeremur. Non debemus ipſorum oblivіſci, ſed meminiſſe verborum, quæ Deo inſpirante nobis locuti ſunt, & Exemplorum quæ nobis reliquerunt, ad inſtructionem & imitationem noſtram. Exitus converſationis ipſorum vitæ correſpondit; nam uſque ad extremum halitum Deo fideles perſtiterunt, & coronam perſeverantiæ promeriti, æternâ jam gloriâ fruuntur. Illorum fidem imitemur, fidem non mor-

Digitized by Google

tuam ſed vivam, per quam mundum vicerunt, & fortes facti ſunt in bello contra carnem, ac diabolum ſuſcepto. Juſtitiam ipſorum ſectemur quam operati ſunt, & per quam æternas repromiſſiones â Deo ſunt adepti. Non erit idem noſtræ converſationis exitus, niſi & ipſa converſatio, illorum converſationi correſpondeat. Niſi eos in hac vita ſecuti fuerimus, nunquam in altera vita conſequemur; ad bravium quod illi bene currendo aſſecuti ſunt nunquam perveniemus, niſi per eandem viam cucurrerimus. Qui de ſe ipſis jam ſecuri ſunt, ſoliciti ſunt de nobis, ut nos ejuſdem Patriæ concives & gloriæ participes aliquando videant. Non videbunt autem gloriæ ſuæ participes; niſi nunc vitæ ac doctrinæ ſuæ habuerint ſectatores. Si eorum verba & exempla ſequi detrectaverimus, nunquam ad eorum pervenire merebimur ſocietatem, ſed in tenebras exteriores projecti, â cœleſti patria & beato ipſorum conſortio æternùm exulabimus.

MEDITATIO

Pro die 12. Maij.

Memor eſto judicij mei, ſic enim erit & tuum; mihi heri & tibi hodie. *Eccli. 38.*

OMnes homines ad mortem properant, de terra facti ſunt, & in terram pariter revertentur. Hoc judicium â Deo omni carni. Noviſti quàmplurimos diverſæ ætatis & conditionis homines, qui tecum aliquando vixerunt, ac debitum naturæ perſolventes, ex hac vita jam deceſſerunt. Præceſſerunt illi te, tu nolens volens eoſdem ſequi debes, quotidie ad eandem metam properas; hæc via, hic finis univerſæ carnis. Imaginare te vocem cujuscunque ipſorum de tumulo audire: Memor eſto judicij mei, ſic enim erit & tuum. Illi jam in terram converſi ſunt, & tu in pulverem converteris. Tu ſepulchra illorum calcas, alij quoque homines ſuper te incedent. Nunc de illis tacetur, quaſi nunquam in hoc mundo fuiſſent, veniet tempus, cùm tui quóq; memoria apud homines peribit. Illi jam ſunt in termino ſuo, tu verò adhuc in via conſtitutus neſcis quali termino viam tuam concludes. Et quidem adeſſe feſtinat ultimus vitæ tuæ fi-

Digitized by Google

nis, effluxit illis heri vitalis clepſydra, heri dico, nam licet ante viginti, quadraginta & plures annos ex hoc mundo deceſſerint, ſpatium tamen illud temporis poſtquam effluxit non pluris æſtimandum eſt, quàm dies heſterna, quæ præteriìt. Eadem te ſors manet poſt modicum, cras, imò fortaſſis hodie clepſydra vitæ tuæ invertetur, & de luce hac vitali migrabis ad umbram mortis. Hoc ſeriò tecum recogita, & ſingulis momentis ad mortem te præpara. Noli altum ſapere ac ſuperbire, futurus brevi terra & cinis; noli bona hujus mundi diligere, quæ paulò poſt cum vita es relicturus; ſic vive, ut poſt mortis judicium cunctis mortalibus neceſſariò ferendum, gehennæ judicium evadas.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 13. Maij.

Memor eſto quoniã mors non tardat. *Eccli. 14.*

STatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Conſtitutus eſt cuilibet vitæ ſuæ terminus, qui præteriri non poterit. Certa hora ſingulis â Deo eſt præſignata, quâ unusquisque nolens volens migrare cogetur ex hoc carnis ergaſtulo. Mors non tardat, ſed per ſingula momenta magìs & magìs homini appropiat; ſive vigiles, ſive dormias, vel quidcunque agas, ſemper ſis illi vicinior, & cùm præſtitutus â Deo vivendi terminus advenerit, fugere non poteris, neque fatalem mortis ictum ullatenus declinare. Veniet hora quam neſcis, cùm ſubitò cogeris hinc diſcedere, & anima tua tolletur ex hoc corpore. Quoniam ergo mors non tardat, etiam tu noli tardare, noli procraſtinare pœnitentiam; properat illa ut te præveniat, & imparatum ex hoc ſæculo abripiat, propera tu ut illam bene vivendo ac pœnitendo prævenias, & bene diſpoſitus ac præparatus illi etiam obviam ire poſſis. Multa diſponis ante mortem bona facere; quod vis facere, fac citò. Neſcis quàmdiu vives, fortaſſè nunc ultima vitæ tuæ hora labitur.

Si

Si mors ita tardaret, prout tu ea quæ ſalutis tuæ ſunt tardas & procraſtinas, non eſſet tibi magnopere ſolicitandum. Tu vitæ converſionem parum acceleras, illa tibi propinquam vitæ ablationem molitur; tu dormis, illa vigilat, & quamvis tacito, celeri tamen pede admeat. Illam ſemper cogita, ad illam te jugiter diſpone, ſic vive, ut cùm fatalem ab illa ictum, quem nullus mortalium declinare poteſt acceperis, primæque morti ſuccubueris, ſaltem ſecundæ mortis ictum evadas.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 14. Maij.

Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. *Philip. 1.*

ILlud eſt vivere tuum ſeu vita tua, quod maximè diligis, pro quo laboras, cui vitam impendis. Vita mundanorum ſunt honores, divitiæ, ac voluptates, in his mentis eorum intentio unicè verſatur, in his vitam inſumunt, his omne ſtudium laborémque ſuum conſecrant. Vita tua ô Chriſtiane non ſit caro vel mundus, ſed Chriſtus. Hic tibi omni vitâ ſit dilectior, hunc exprimat vita tua, in hunc veluti ſcopum vivendi ultimum, omnis actio atq; intentio tua collimet, ejus obſequio te totum impende, amore ipſius mille vitas profundere paratus. In hunc finem conditus es, propterea vitam accepiſti, hæc cauſa propter quam in hunc mundum veniſti, ut mundo mortuus Chriſto vivas. Si fuerit Chriſtus vita tua, ipſum eundem pro lucro habebis in morte tua, & quem nunc vivendo abſentem deſideras, moriendo in præmium conſequeris. Horrent mortem homines mundani, quia per illam nullum ipſis lucrum accreſcit, ſed jactura potiùs & damnum. Mundus enim & caro, quæ fuerant vita illorum, eos in morte deſerunt, & â bonis temporalibus quæ in vi-

Digitized by Google

vita ſua dilexerant inviti ſeparantur. Non ita Chriſtus ſuos deſerit amatores, ſed quicúnq; in vita temporali eum dilexerunt, ipſi recipiunt illum pro mercede ac præmio in vita æterna. Noli ergo timere mortem ſi Chriſtum diligis, nullum enim damnũ ex ea incurres, ſed lucrum potiùs habebis, nam Chriſtum quo nihil meliùs aut pretioſiùs cogitari poteſt, deinceps æternùm poſſidebis. Deſidera ut quantocyùs adveniat hoc lucri tempus. Ut verò illud ſperare poſſis, noli ea diligere, â quibus per mortem nolens volens aliquando ſeparari debes. Chriſtum ſolùm in vita dilige, ut ipſo poſt mortem fruaris. Quòd ſi quid aliud præter ipſum in hac vita dilexeris vel ſectatus fueris, moriendo non modò lucrum non capies, ſed etiam grave damnum atq; jacturam animæ tuæ incurres.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 15. Maÿ.

Militia eſt vita hominis ſuper terram,& ſicut mercenarij dies ejus. *Job.7.*

AFflicta eſt militum vita, plena ærumnis & calamitatibus. Frigus & calorem crebrò ſuſtinere coguntur,famem ac ſitim multam perferunt, conficiuntur vigilijs, armis atque loricis quotidie laſſantur, & innumeris vitæ periculis ſunt expoſiti. Miſera etiam eſt vita mercenarij, qui ſingulis diebus de manè uſque ad veſperam laboribus atque ſudoribus fatigatur, & quietem atq; umbram veſpertinam unicè deſiderat. Omnes in hoc mundo ſumus milites, omnes mercenarij, omnes patimur & affligimur, ſudamus & algemus, pugnamus, & laboramus. Militi ſolatium eſt ſpes victoriæ, ſpolij ac triumphi, Mercenario promiſſa merces, his labores atque ſudores, his miſerias & afflictiones ſuas conſolantur. Etiam nobis inter vitæ hujus labores atque moleſtias intendendum eſt in præmij ac mercedis & quidem æternæ retributionem; hâc nos per ſingula momenta ſolari & animare debemus, ut fortiter contra ſalutis noſtræ hoſtes decertemus, & labo-

boribus ad quos â Deo in hanc lacrymarum vallem ſumus detruſi, ſtrenuè deſudemus. Hoc tempus eſt certaminis & periculi, laboris & fatigationis; aliud verò tempus paci & quieti, gloriæ ac triumpho reſervatur. Non ſemper laboribus & ærumnis gravabimur. Veniet una hora, quæ nos ex hac vita mortali ereptos transferet in beatam im̃ortalitatem. Veniet optatus Heſperus, qui ceſſare faciet omnem ſtrepitum ac tumultum. Dabitur tunc nobis requieſcere â laboribus noſtris, pace ſempiternâ perfrui, & percipere â DEO immarceſcibilem illam æternæ gloriæ coronam, ac denarium æternæ retributionis. Hujus ſpe alacriter feramus omnem militiæ hujus atque laboris moleſtiam. Dignum eſt quocúnq; certaminis fervore tantum præmium, digna quocúnq; labore merces tanta.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 16. Maij.

Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præterîjt. *Pſal. 89.*

BReve videretur hominibus in hoc mundo centum vel mille annorum ſpatium, ſi illud in gaudijs atque delicijs tranſigere ipſis concederetur. Si tanta in hoc loco exilij, in hac valle lacrymarum eſſe poſſunt gaudia, ut tot annorum ſpatium reddant homini breviſſimum, quid non poterunt cæleſtes deliciæ? mille anni ante oculos Dei beatis videntur ſicut dies una, & quidem heſterna, quæ jam præterîjt, præ magnitudine ac multitudine dulcedinis quâ perfruuntur in Cœlo. Cùm tam breve ipſis videatur tempus, neceſſarium erat, ut gaudia illorum eſſent æterna. Et quamvis etiam mille annorum millionibus in cœleſti gloria viverent & gauderent, non eſſet tamen vera felicitas & beatitudo, ſi finem aliquando acciperet. Hinc Deus ter optimus maximus, qui ſervos ſuos in obſequij eidem exhibiti remunerationem perfectè beatificat, non retribuit ipſis gloriam & lætitiam ullis annorum millionibus concluſam, ſed æternam & infinitam. O igi-

Digitized by Google

tur quàm breve & quàm longum tempus eſt beatis in Cœlo ! breve, quia ſine faſtidio ; longum, quia ſine fine. Satiantur ab ubertate deliciarũ domûs Dei, & torrente voluptatis divinæ jugiter potantur; ita tamen ſatiantur, ut ſatietas nullum ipſis gignat faſtidiũ, nec minuat appetitum. Quò magìs Deo fruuntur, eò magìs & magìs illo frui appetunt, & quod appetunt, plenè ſemper hauriunt. Ad illam verò cœleſtis patriæ felicitatem ac dulcedinem nullus admittitur, niſi qui mundi hujus gaudia & ſæculi dulcedinem in hac vita contempſit. Sperne præſentia quæ prætereunt, ut obtineas æterna. Poſtquam dies hujus mundi præterîerit, æterna nox ipſi ſuccedet, dies verò feſtus ille beatorum nullâ nocte ampliùs terminabitur. Non ſit etiam tibi nunc longum tempus in luctu ac pœnitentia, nè videatur aliquando longiùs in gehenna, ſed breve potiùs ac jucundum cum omnibus ſanctis in cæleſti gloria.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 17. Maij.

Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. *Exodi. 33.*

OMnes per peccatum primi parentis, æternæ mortis reatum incurrimus, & in eadẽ perditionis maſſa fuimus comprehenſi. Si Deus propterea cunctas nationes quas fecit deleviſſet, & ſupplicijs æternis addixiſſet, nullus ſtare potuiſſet contra judicium ipſius. Ipſe defacto Cœli claves habet & inferni, ipſe Dominus eſt vitæ ac mortis, in ejus poteſtate ſumus omnes, ſicut vaſa terrea in manu figuli, vaſa iræ & contumeliæ, quæ quandocũnq; vult reprobare poteſt & confringere, vel pro ſuo libitu in honorẽ reſervare. Cujus vult miſeretur, & quem vult permittit ire vias ſuas, uſque dum ruat in æternam perditionem. Qui ab ipſo damnantur juſtè damnantur, qui ſalvantur etiam ipſi damnandi eſſent, niſi miſericorditer liberarentur. Cur verò unum præ alio ſalvet, unum aſſumat, alterum relinquat, nulla reddi poteſt alia cauſa, quàm beneplacitum ipſius. Non miſeretur omnium, neq; omnes eripit de maſſa perditionis, ſed aliquos duntaxat,

Digitized by Google

quos eligit arcano quodam conſilio infinitæ ſapientiæ ſuæ. Vis ô homo ut tui quoque miſereatur, & in te pariter ſit clemens, facilè tibi medium ſuggeritur, quo tibi conciliare ac promereri poſſis miſericordiam & clementiam ipſius. Humilia te in conſpectu Domini, humili prece gratiam ejus invoca. Exaudit enim orationem humilium, & non ſpernit preces eorum, reſpicit ad pauperculos & contritos corde, humiles ſpiritu diligit & ſalvos facit. Projice te ante ipſum ſicut lepuſculus ante leonem. Si te ſic viderit â te ipſo coram ſe abjectum, non oſtendet adverſùm te potentiam ſuam, miſerebitur tui, & ſuam tibi gratiam clementer impendet. Ipſe ſimul potentiſſimus eſt & clementiſſimus; agnoſce ac tremiſce illius potentiam, & clementiam ejus humiliter exora.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 18. Maij.

Miſericordias Domini in æternum cantabo. *Pſal. 88.*

COnſidera quòd non unam Deus tecum fecerit miſericordiam, ſed miſericordias propemodum infinitas, & quidem cùm adhuc peccator eſſes ac hoſtis ipſius. Perduxit te ad baptiſmum, ad fidem, ad religionem, de innumeris mortis æternæ periculis te liberavit, eruit animam tuam ex inferno inferiori, in quo pridem habitâſſes, niſi Dei clementia te adjuviſſet. Etiam adhuc hodiè multis te accumulat gratijs & favoribus, quibus ſi modò uti velis, finaliter in ejus gratia perſeverare ac vitam æternam conſequi poſſis. Cogita quòd non fecerit omnibus taliter, multos enim in originalis culpæ reatu ex hoc mundo abſtulit, & innumeros defactò in ſtatu peccati mortalis abripit ex hac vita, quod etiam tibi millies contingere potuiſſet, niſi ſpecialiter fuiſſet tui miſertus. Quid jam Domino Creatori, Redemptori ac Salvatori tuo retribues pro tantis beneficijs? canta & prædica miſericordias Domini in hac vita, & ſic vive, ut eas æternùm cantare poſſis in altera vita. Illas verò in æternum cantabis, ſi eas modò non contempſeris; ſi fueris viriliter ijſdem co-

cooperatus, ſi non fueris inimicus animæ tuæ, & nō abſtuleris tibi crudeliter, quod Deus per gratiam & clementiam ſuam tibi largitur miſericorditer. Aliàs non in Cœlo miſericordias Domini, ſed væ perpetuum in gehenna cantabis, cum omnibus reprobis, qui non ob aliam cauſam in inferno torquentur, quàm quòd Dei miſericordias ſibi oblatas recuſaverint, ijſdémque in ſalutis ſuæ bonum uti noluerint. Dignum eſt proinde ut juſtitiam Dei ſentiant ac vindictam, qui clementiam ejus rejecerunt. Juſti autem Deo æternas cantabunt gratias, videbunt enim ſe ſolâ ipſius miſericordiâ ſalvatos. Confide quòd bonitas divina, quæ te hucuſque deduxit, etiam ad illud beatorum conſortium perducet, modò tu non obnitaris ducenti ac trahenti, nec ſaluti tuæ ponas obſtaculum, quam Deus miſericordiſſimus tot medijs conatur promovere.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 19. Maij.

Miſeri eſtote, & lugete & plorate, riſus veſter in luctũ convertatur, & gaudium in mœrorem. *Jacob. 4. 9.*

MAxima eſt hæc miſeria & infelicitas mortalium in hoc mundo, quòd inter tot miſerias ſe non agnoſcant eſſe miſeros, ſed beatos potiùs reputent ac felices. Iminet illis mors, quæ nolentes volentes hinc abripiet, & poſt mortem horrendum Dei judicium illos expectat, divinæ ultionis gladius illis impendet, ac longa illa æternitas in perpetuis ignibus & fletibus agenda, ſi vel in unico graviori peccato ex hac vita deceſſerint. Sciunt ſe innumera contra Deum peccata commiſiſſe, de quibus tametſi propitiatis ac remiſſis non deberent eſſe ſine metu. Vident ante ſe innumera mortis & peccati pericula, habent infinitos propemodùm hoſtes, qui nihil aliud moliuntur, quàm animas ipſorum deducere in peccatum & gehennam. Et quamvis aliqui per divinam gratiam ſtare videantur in juſtitia, neſciunt tamen quamdiu in illa ſint perſeveraturi, & utrum non in fine paſſuri ſint omnium ſuarum mercium ac ſalutis æternæ jacturam. Non conſiderant ta-

tamen fatui mortales tam futura mala ipſis impendentia, quàm præterita peccata ipſos reatu mortis æternæ obſtringentia, & præſentia vitæ ac ſalutis pericula ipſos undique circumſiſtentia, ſed inter hæc omnia rident atque lætantur, hilarem vitæ hujus comædiam agunt, quam tamen paulò poſt lugubri ac tragico fine concludent. Mærendum potiùs atque lugendum nobis eſt ut miſeris, non ut felicibus ridendum átq; lætandum; pœnitendum ſeriò de præteritis, de futuris timendum, â præſentibus cavendum, & inter tot ſalutis æternæ pericula cum metu ac tremore converſandum. Fuge ſi ſapis ô homo! vanam hujus mundi lætitiam, riſus tuus nunc potiùs convertatur in luctum temporalem, nè poſtea convertatur in luctum ſempiternum.

MEDITATIO

Pro die 20. Maij.

Mors peccatorum peſſima. *Pſal.* 33.

MAla videtur quæcunque mors, quia privat animam corporis conſortio, & hominem ex hoc mundo ad ſæculi alterius ignotam regionem ablegat. Non eſt tamen mala, ſed potiùs bona & optima mors juſtorum, quia per illā primò vivere incipiunt, mundíque miſerijs & calamitatibus valere juſſis, compede mortalitatis exuti, transferuntur ex hac vita lacrymoſa ad vitam beatam & immortalem. E contra mors peccatorum peſſima, quia per illam animæ ipſorum non tantùm â corporibus, ſed etiam ab omnibus mundi rebus, quas in vita ſua dilexerant, ſeparantur. Paſcebantur antea honoribus & gloriæ vento, carnalibus fruebantur delicijs, & omni bonorum temporalium genere delectabantur, gaudebant filiorum atque nepotum multitudine, cognatorum gregibus & famulorum turbis, ab his omnibus ipſos ſeparat amara mors, imò tot mortibus moriuntur, â quot mundi rebus inviti ſeparantur. Verè peſſima mors, quæ ipſos privat non ſolùm vita temporali, ſed etiam æternâ, nec aliud ipſis eſt, quàm porta & introitus ex

vana & momentanea hujus mundi lætitia, ad pœnã & miſeriam ſempiternam. Cogita nunc, quàm amarũ ſit peccatori hanc vitam morte concludere, & in extrema vitæ hora, carni & mundo, rebûſque in hoc ſæculo dilectis valedicere, & nihil poſt hanc vitam de omni ſua ſubſtantia reperire in manibus ſuis, nec de omni labore ſuo quicquam reportare, quàm pœnam & ſupplicium. Non vis & tu aliquando mori morte peccatorum, noli vivere vitâ peccatorum, nihil in hoc mundo dilige, â quo te per mortem ſeparari ægrè ac illibenter feras. Morere peccato & omnibus mundi bonis, nè propter illa æternùm moriaris.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 21. Maij.

Morte morieris. *Gen. 2.*

HAnc pœnam primo homini ac toti humano generi Deus fuit comminatus, quam etiam ille cum tota ſua poſteritate per peccati reatum incurrit. Ab hac moriendi lege nullus omninò mortalium exemptus eſt. Omnes qui ante te in mundo fuerunt, hanc viam tandem ingreſſi ſunt. Tot ſancti Deóq; dilectiſſimi, virgo Deipara & Chriſtus ipſe cōmune hoc penſum naturæ perſolvit. Noli exiſtimare quòd tu fortaſſè ſolus ab hac lege ſis eximendus. Etiam tu aliquando morte morieris, & ingredieris hanc viam univerſæ carnis, ſepulchrū erit habitatio tua, ibi conſtituta eſt domus omni viventi. Cogita jam, quàm triſtis tibi hora futura ſit, quâ mors animam tuam ſeparabit â corpore, quando palleſcet vultus, caligabunt oculi, aures obſurdeſcent, nares concident, manus pedéſq; torpeſcent, venæ frigebunt, arteriæ conquieſcent, cor trepidabit, mens anxiabitur, cùm ad finem vitæ perventum fuerit, & circumſeſſus fueris ab inimicis tuis in porta, per quam tibi ex hoc ſæculo ad æternitatem erit migrandum. Conſidera horribilem illum æternitatis ingreſſum, & ignotam illam regionem, ad quam

Digitized by Google

quam tranſibis. Neſcis quid cum anima tua è corpore profecta tunc futurum ſit. Quoad corpus verò, noveris pro certo, quòd poſt mortem nihil aliud futurus ſis, quàm putredo & eſca vermium, pulvis ac cinis. Vidiſti hoc in alijs, idem tibi paulò poſt accidet. Cùm hanc communem mortalium ſortem evitare non poſſis, diſpone te ad illud maturè, quod neceſſariò tibi aliquando ferendum eſt. Offer Deo mortem tuam, roga illum, ut poſt redditum hoc pœnale debitum, nullam â te aliam ſcelerum pœnam exigat, téque adjuvet ac conſoletur in extrema illa vitæ hora, ut unâ ſaltem morte moriaris, & libereris â morte ſecunda, atque ex hac vita mortali tranſeas ad vitam immortalem.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 22. Maij.

Mortuo homine impio nulla erit ultrà ſpes. *Proverb. 11.*

NUllus eſt in hoc mundo tam perverſus ac impius, de cujus emendatione ac ſalute ſit deſperandum. Etiam peccatoribus tametſi maximis præſtò eſt divina gratia, ut ſi modò ipſi velint, ad Deum converti, ac gehennam effugere poſſint. Mortuo autem homine impio nulla erit ultrà ſpes. Quoad animam inferno adjudicabitur, ex quo nulla ſperari poterit redemptio; quoad corpus ſpem quidem reſurgendi habebit, reſurrectio tamen illa non erit ad vitam, ſed ad mortem & ſupplicium. Præſtaret penitùs non reſurgere impios in judicio, quàm taliter reſurgere; præſtaret illos non ſolùm quoad corpora, ſed etiam quoad animas prorſus annihilari, quàm ſine ulla ſalutis ac liberationis ſpe in æternum torqueri. Nullus tunc dabitur ampliùs pœnitentiæ locus, poſtquam ipſis ſemel occiderit Sol divinæ gratiæ, nec in tenebroſa illa nocte quicquam boni poterunt operari. Nullus in inferno confitebitur Domino, ſed illum magìs per totam æternitatem maledicet, in malitia ſua extremè obſtinatus. Et quamvìs boni aliquid agere poſſet, il-

lud

Digitized by Google

lud tamen à Deo minimè acceptaretur. Stabit ergo in æternum inviolabile decretum ſententiæ divinæ, nec ullus erit miſericordiæ locus, poſtquam juſtitia eduxerit de vagina ſua gladium irrevocabilem. Sicut æterna erit reproborum culpa, ſic æterna contra ipſos erit ira Dei. Carcer ipſorum erit æternus, ignis æternus, Carnifices æterni. Ardebunt miſeri, ac innumeris aliarum pœnarum ſupplicijs torquebuntur, ſine ulla doloris requie, & ſine ſpe veniæ ac redemptionis. Utinam hæc conſiderarent homines, & quamdiu ſalutis operandæ tempus eſt, à vijs ſuis malis ad Deum converterentur. Nunc adhuc eſt ſpes, poſt hanc vitam omnia erunt deſperata, & de ipſorum ſalute omninò actum & conſummatum.

MEDITATIO

Pro die 23. Maij.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. *Matth. 20.*

COnſidera quàm paucæ ſpicæ poſt meſſem in agro remaneant, quàm paucæ uvæ poſt vindemiam in vinea reperiantur. Adhuc pauciores remanebunt in numero mortalium, excluſis reprobis. Vidiſti ſæpiùs hiberno tempore denſas confertáſq; nives ab alto decidere, tam densè ac copiosè per ſingula momenta damnatorum animæ ruunt ad infernum. Multi quidem ſunt â Deo ad Religionem, plures ad fidem vocati, ſed valde pauci ex ipſis electi; pauci námque Deum vocantem ſequuntur, & qui ſequuntur non diu in obſequio divino fideles perſeverant. Ardua & laborioſa eſt ad Cœlum via, magna hîc violentiâ, multóque ſudore opus eſt. Anguſta eſt Cœli porta, hoſtes inſuper infeſtiſſimi ejus ingreſſum impediunt, & ſaluti humanæ ſemper inſidiantur; caro ſuis illecebris, mundus vanitatibus, dæmon malignis ſuggeſtionibus, ut maximæ Dei miſericordiæ ſit imputandum, quòd in tanta hominum fragilitate, deſidia & pravitate, tantíſque hoſtium inſidijs & impugnationibus vel aliqui ſalventur. Quis peccator condignos agit pœni-

nitentiæ fructus? quis juſtus ita ferventer Deo ſervit, ut in vita ipſius nihil funeſtum ac morte dignum reperiatur, ſi ſeclusâ Dei miſericordiâ ipſum judicari contingat? profectò ſi divina juſtitia nobiſcum intrare voluerit in judicium, non juſtificabitur in conſpectu Dei ullus vivens. Non ergo tam facilè ſalvatur homo quàm putant homines. Vis ſalutis tuæ ſecuram habere ſpem; contende totis viribus intrare per anguſtam illam portam, & electis per bonam vitam connumerari, ut ijsdem connumereris in cœleſti gloria. Ferventiùs Deo ſervi, bonis operibus diligentiùs incumbe, violentiam tibi magnam infer; aliàs Cœlum nullo modo introibis; & præſtaret nunquam omninò fuiſſe vocatum ad gratiam & gloriam, quàm fruſtratæ vocationis causâ ſubire gehennam.

MEDITATIO

Pro die 24. Maij.

Mundus totus in maligno poſitus eſt. *1. Joann. 5.*

SI urbs aliqua in cænoſo, fædo, putidóq; loco ſit poſita, neceſſarium eſt ejus incolas loci obſcænitate fædari. Mundus hic totus in maligno & obſcæno poſitus eſt, ubíque peccatum inundavit, ubíque ſcelerum & flagitiorum eſt colluvies, omnia in ipſo fallacia & perverſa, nullum penitus locum vel angulum â ſordibus habet tutum. Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ, vanitas, fraus & impietas omnia implevit. O! quàm difficile eſt hominem in hoc mundo maligno & immundo converſantem ejus malignitate non infici nec depravari, inter tot hoſtium inſidias & retia in perniciem animarum expanſa non decipi, inter malarum occaſionum lubrica firmum virtutis greſſum tenere, inter tot voluptatum illecebras non illaqueari, inter tot malorum exempla bene agere, inter infinita peccati ac æternæ damnationis pericula ſalvum atque illæſum evadere. Beati ac felices, qui ex tot malis per mortem erepti, mentes ab omni ſcelerum contagione liberas hinc extulerunt, neque ultrà mundanæ ullius malignitatis, ſive

peccati periculo ſunt ſubjecti. Quid verò nobis hîc viventibus eſt agendum, nè nos mundi fæditas comaculet, & malignitas ſive nequitia corrumpat? quamdiu mors non tollit nos ex hoc mundo, omni ſtudio & conatu animas noſtras â mundi ſordibus immunes cuſtodire debemus, & ab ejus converſatione quantum poſſumus abſtinere; eligere loca â mundo hoc immundo ſegregata, ubi procul ab omni malignitatis periculo, innocentiam vitæ conſervare, ac ſalutem noſtram tutiùs operari poſſimus. Qui maligno adhæret, ſentiet ejus malignitatem, & in ſeipſum malignus eſt, dum amore mundi in maligno poſiti, non renuit æternùm eſſe poſitus in inferno, ubi primùm ſe mundi malignitate deceptum fuiſſe agnoſcet, ac ſine fine deplorabit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 25. Maij.

Mundus tranſit & concupiſcentia ejus. *1. Joann. 2.*

VAna & inania, falſa & fucata ſunt omnia hujus mundi bona, & inſuper nihil ex ipſis eſt longum & durabile; brevia omnia ſunt & momentanea, uti & mundus ipſe, cujus duratio & gloria cum his omnibus pariter tranſit. Veniet aliquando tempus, cùm ſpectabilis hæc mundi machina incendio vaſtabitur, cùm figura ejus præteribit, & gloriæ ipſius ac durationi finis imponetur. Si mundus tranſit, neceſſarium eſt ejus quoque concupiſcentiam tranſire ac interire. Ubi tunc erit concupiſcentia carnis, cùm mortalium corpora partim incinerata, partim tabo fætentia jacebunt? ubi tunc erit concupiſcentia oculorum, cùm omne quod in hoc mundo ſplendidum videtur ac pulchrum viſu, corrumpetur & annihilabitur, cunctique divitiarum theſauri evaneſcent? ubi erit ſuperbia vitæ, cùm nihil de omni humana gloria & potentia manebit reſiduum quàm cineres & vermes? nulli honores, nulli potentatus, ſublati omnes perſonarum tituli atq; reſpectus, & ſceptra ligonibus æquata. Si videres illam mundi faciem in corruptione ſua tunc jacentis,

exclamares admiratione plenus : quomodo cecidit Babylon hæc magna, quomodo deſolata eſt & ſubverſa in momento. Nihil in ea priſtini decoris videbitur ampliùs, nec vox cytharædorum ampliùs audietur. Gaudia omnia, cunctæq; deliciæ ac voluptates finem pariter acceperunt. Cùm ergo mundus hic ſit tranſiturus, imò & nunc quotidie tranſeat, nihil habens firmum, nihil ſtabile vel durabile, noli mundo adhærere, nè pariter cum illo ruas in perditionem. Sperne omnem illius concupiſcentiam, quæ breviter delectat, ſed lethale vulnus infligit; citò tranſit, ſed æternam pœnitudinem poſt ſe relinquit. Illud ſolum concupiſce, quod habere ac tenere poteris in æter num. Si mundana dilexeris, ea citò amittes, ſimúlq; te ipſum perdes.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 26. Maij.

Nati, continuò deſivimus eſſe. *Sap. 5.*

CONſidera clepſydram fluentem. Sicut in illa perpetuo fluxu decurrunt arenulæ, & clepſydra ſuperiùs aſſiduè minuitur, uſque dum ad ultimam veniatur arenulam, quâ transmiſſâ fluxus omnino ceſſat; ſic eſt vita hominis ſuper terram: dum fluere incipit, ſi non tota ſtatim effluit, ut videmus in multis, qui vix nati de utero transferuntur ad tumulum, ſaltem ſimul ac incipit fluere, incipit deficere. Fugiunt horæ, prætereunt dies, hebdomadæ ac menſes transfluunt, anni præcipites elabuntur, uſq; dum ad ultimam veniatur horulam, quæ dum effluxerit, hominis vita omnino ceſſat, quã proinde meritò appellaveris curſum ad mortem. Perpende quot annos vivendo jam tranſegeris, quorſum curſu tam veloci ætas præterita tranſijt? illa quidem omninò eſt irrevocabilis, quantum verò de dierum, horarúmque arenulis in vitæ tuæ clepſydra ſuperſit omninò neſcis. Fortaſſè modicum reſtat, quod ſi videres, vitam profectò aliter inſtitueres. Quamdiu verò non vides, noli propterea eſſe ſecurus, nec tibi vel unicum vitæ quadrantem promitte.

 De-

Demus etiam plurimos adhuc annos tibi ad vivendum reſtare, demus centenos, demus millenos, nihil longum quod finem habet. Si annos Mathuſalem vixiſſes, cùm vitæ terminus adeſſet, brevis tibi videretur omnis illa vitæ duratio. Nunc verò & modica eſt vita tua, & celeriter fluit átq; indeſinenter, & neſcis quâ die vel horâ finem illi mors imponet. Noli ergo ipſi multum fidere, contemne omnes ejus oblectationes, quibus tam modico frui tempore conceditur. Illam vitam promereri ſtude, quæ nullo fine concluditur. Si ſemel Cœlo natus fueris, nunquam ultra deſines eſſe, ſed ſemper deinceps permanebis æternùm felix.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 27. Maij.

Nè dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. *Eccli. 5.*

PLurimi etiam inter catholicos de divina bonitate ac miſericordia nimiùm præſumunt, ideóq; liberiùs peccant, & abſq; ullo timoris fræno ruunt in quælibet ſcelera, quia ſperant Deum illa facilè condonaturum. Miſeratio quidem Domini magna eſt, nec datur tanta peccatorum multitudo, ut ſpem remiſſionis excludat. Nulli tamen DEUS gratiam veniæ ac juſtificationis poſt peccata obtinendæ promiſit, neque ſpopondit ulli ſe ipſius finaliter miſerturum. Quid ſi peccatoris multitudine ſcelerum obſtricti non miſereatur? num ideo erit immiſericors? magna ſatis eſt Dei miſeratio, quòd hominem ab originali peccato per baptiſmum liberet, quòd illum ad fidem, vel etiam ad religionem vocet, quòd illi ſufficientia conferat auxilia, quibus modò ipſe velit ad æternam beatitudinem pertingere poſſit; quòd inſuper homini poſt tot collata beneficia ipſum offendenti atque deſerenti, vel unicum mortale peccatum dimittat. Nihilominus ingrati mortales, poſt veniam ſcelerum ſæpiùs ob-

obtentam illum denuo millies offendunt, ac unde ad ejus dilectionem accendi debuerant, inde potiùs vitæ licentioſæ ac ſceleratæ anſam deſumunt, liberè peccata quælibet commitentes, quia de venia illorum facilè conſequenda præſumunt. Vtinam verò non ſolùm Dei miſericordiam, ſed etiam juſtitiam cogitarent, in Dei quidem clementia ſperantes, ejus tamen tremenda judicia ſimul metuentes, & quod eſt principale, â Divinæ Majeſtatis offenſa pro poſſibili caventes. Securius eſt â peccatis abſtinere, quàm poſt peccata veniam illorum exſpectare. Non vult Deus miſericordiam ſuam nobis eſſe ſcandalo. Noli ergo de illa præſumere. Sed ſi vis ut Deus tui miſereatur, tui primùm miſerere, divinæ gratiæ ac miſericordiæ quàm nunc habes cooperando. Senties alioquin ſtrictiſſimum & ſeveriſſimum judicem ac vindicem, quem tibi miſericordem fore promittebas.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 28. Maij.

Nè dicas: peccavi, & quid mihi accidit triſte? altiſſimus eſt enim patiens redditor. *Eccli. 5.*

DIcunt hoc multi, qui quòd videant multa ſe mala impunè perpetrâſſe, novis ſceleribus Deum quotidie offendunt, ſibi perſvaſum habentes, Deum humana nec videre nec curare, cùm raram in ſceleratos homines ultionē exerceat, quin potiùs eos temporalibus fortunis proſperet & locupletet, ita ut omni gaudiorum ac deliciarum genere in hoc mundo perfruantur. Falluntur tamen miſeri, neque intelligunt Dei patientiam & longanimitatem, qui ſi peccantes in flagranti ſemper puniret, non fieret ſalva omnis caro. Omnes ille greſſus ipſorum conſiderat, & peccata dinumerat, in theſauris ſuis illa conſignat, manúq; tantiſper ſuſpensâ expectat, ut vel â vijs ſuis convertantur & vivant, vel tandem pro ſcelerū ſuorum merito æternæ damnationis ſententiâ, & gehennalis ſupplicij plagâ feriantur. Quamvis ergo poſt tot peccata nihil ipſis triſte acciderit, veniet tamen brevì tempus cùm triſtia ſentient, cùm Deus ultor fulminare incipiet, &

abreptos ex hoc ſæculo detrudet in gehennam, ubi erit dolor ac ploratus æternus. Erit tunc horribilis vindex, pœnarúmque pro culpis redditor acerrimus, qui nunc eſt patientiſſimus auditor & ſpectator, & vaſa iræ ſuſtinet in multa miſericordia. Iram tunc ſuam diu conceptam in reprobos univerſam effundet, & reddet illis confertam pro delictis menſuram, dicens: nonne diu expectavi? nonne ſilui? tempus eſt ut arripiat judicium manus mea, & his qui oderunt me retribuam. Reddet tunc impijs ſecundùm opera ipſorum, quò ſeriùs, eò graviùs. Suſtinuit ille ipſos in hac vita patienter, ipſi manum ejus vindicantem patientur in æternum.

MEDITATIO

Pro die 29. Maij.

Nè impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, nè moriaris in tempore non tuo. *Eccli. 7.*

OMnes in hoc mundo ſumus mortales, & mori aliquando debebimus. Diverſa tamen moriendi ſunt tempora. Moriuntur quidam in ſuo tempore, qui terminum illum vitæ attingunt, quem illis natura præfixit. Alij moriuntur in tempore non ſuo, atq; in dimidio dierum ſuorum vadunt ad portas inferi, qui longè diutiùs in hoc mundo ſubſiſtere potuiſſent, niſi vitam egiſſent impiam, ſui finis immemores, neque illa intendentes aut recogitantes, propter quæ ab hominibus in hoc mundo vivendum eſt, digni proinde quos Deus non expectet, quoúſq; numerum dierum, quos illis natura permitteret, adimpleant, ſed imparatos, ſive improviſâ ægritudine, ſive alijs caſibus repentinis ex hoc mundo abripiat. Quamvìs etiã peccatores impiè in hoc ſæculo agentes diu quandoque vivant, Deo ſcelera ipſorũ in longam ſenectutẽ connivente ac diſſimulante, non moriuntur tamen in tempore ſuo; non enim eſt tempus ipſorum, quo ad pœnitentiam & converſionem uti non poſſunt, ſed tempus di-

vinæ vindictæ, quo pœnas neglecti ac malè inſumpti temporis pendere miſeri coguntur. Dicebant frequentiùs: nondum venit hora mea, & ſic pœnitentiam procraſtinando tempus perdiderunt, cùm ſubitò venit hora, quæ tamen non eſt ampliùs ipſorum, quâ & Dei obliviſcuntur & ſui, atque ad æterna ſupplicia ex hoc mundo abripiuntur. Noli ergo eſſe ſtultus ô homo, quem Deus rationalem condidit. Age ad quod agendum in hanc mundi regionem veniſti. Tempus modò tuum eſt, hoc tibi Deus ad ſalutem animæ tuæ operandam conceſſit, tuæq; libertati ſubjecit. Utere illo, nè alioquin tempus tuum amittas, & aliud tempus veniat quod tuum non erit, in quo ſi mortuus fueris, nullum ampliùs pœnitendi, aut bene agendi tempus habebis.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 30. Maij.

Nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. *Cor.* 6.

MAgna eſt Dei clementia & beneficentia erga genus humanum; non tantùm creavit, verùm etiam ſangvine proprio mortales redemit, non ſolùm illuminat, ſed etiam gratiâ ſuâ ad bene operandum excitat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut peccati laqueos & ſalutis æternæ jacturam evadat. Quia tamen indemnem homini libertatem relinquit, nec vult ſalvare niſi volentes, in hominis cujúſq; arbitrio eſt poſitum gratiâ ipſius uti vel non uti. Alij ipſam in bonum ſuũ recipiunt eidem annuentes, & pro modulo ſuæ poſſibilitatis cooperantes; alij recipiunt eam in vacuum, nolentes eidem cooperari, & facientes illam effectu ſuo ad quem data erat fruſtrari; imò illam penitùs reijciunt & contemnunt. Non ſemper habebunt Dei gratiam ſibi præparatam. Nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis, nunc Deus nos exaudit, nunc adjuvat, recipiunt nunc in vacuum divinam gratiam, veniet tempus cùm illam petent, ſed in vacuum recipietur petitio ipſorum. Indignos enim illâ ſe reddiderunt, qui eâdem ſibi collatâ in bonum ſuum

ſuum uti neglexerunt, imò & illam rejecerunt & contempſerunt. An non ſe omni beneficio ac miſeratione indignum redderet, qui poſitus in devio iter monſtrantem ſequi nollet? vel ambulans in tenebris lumen ſibi oblatum reijceret? aut in ſubmerſionis periculo poſitus ipſum liberare cupienti manum porrigere detrectaret? paratus eſt Deus unumquémq; ad vitam æternam dirigère, illúmque de periculis æternæ perditionis eripere; nolunt tamen homines Dei beneficentiâ in bonum ſuum uti, diligunt magis tenebras, quàm lucem, mortem quàm vitam. Quin etiam trahit invitos, illi tamen divinæ gratiæ rebelles nè pertrahantur obſiſtunt. Perditio ipſorum ex ipſis eſt. Exprobrabit illis aliquando Deus contempta gratiæ ſuæ beneficia, & ridebit in die interitûs ipſorum.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 31. Maij.

Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit. *2. Tim. 2.*

QVis illum diceret bonum & laude dignum militem, qui tempore militiæ, cùm eſſet præliandum, vellet prædia colere, domos exſtruere, mercimonia exercere, & alijs ejusmodi occupationibus ad militem minimè ſpectantibus ſe occupare? diceret potiùs ipſum nomine militis indignum, & militiâ pellendum. Si mundi hujus milites â mundanis quibusdā curis arcentur, multò magìs â ſæcularibus quibuscúnq; negotijs curisq; ſæculi abſtinere debent, qui ſe milites Chriſti profitentur, & ſæculo in profeſſione ſua valedixerunt. Semper ipſis in acie perſiſtendum, ſemper pugnandum eſt, & illa tantummodò ſectanda, quæ ipſis facultatem præbeant Deum ſine impedimento obſecrandi, eíque liberâ mente ſerviendi. Sæcularia verò negotia hominem mille laqueis ac retibus implicant atque involvunt, ut in via Dei juxta mandata ipſius incedere, pugnare, & vocationi ſuæ ſatisfacerè non poſſit, ſed irretitus & implicatus inimicis ſuis in prædam & ſpolium cedat. Non eſt res facilis Chriſtiana vel religio-

gioſa militia, totum illa hominem deſiderat, non diſtractum atque diviſum, ut ad nihil aliud, quàm ad Ducis ſui mandata, animæ propriæ ſalutem, hoſtiúmque ſuorum inſidias & machinationes attendat. Nihil ipſi de ſæculi negotijs, opere, verbo, aut mente tractandum, maximè cùm noverit ſe non poſſe ſimul mundo ſervire & Chriſto militare. Nihil enim amicitiæ Chriſto intercedit cum hoc ſæculo; imò qui voluerit eſſe amicus ſæculi, inimicus Chriſti conſtituitur. Hoc unicum ſatagere debet aſſiduè, ut Chriſto Duci ſuo modis omnibus placeat, cui ſe probavit, & in cujus militiam adſcriptus eſt, â quo habet ſperanda laborum ſuorum præmia, & militiæ coronam.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 1. Junij.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei. *Lucæ 9.*

VIdiſti ſæpius hominem arantem, nunquam ille, aut certè valde raró poſt tergum reſpicit, ſed ad anteriora ſemper converſus, & ad id quod agit intentus eſt; ſi retrorſum vellet reſpicere, parvum operæ ſuæ fructum faceret, nec mercede dignus eſſet labor ipſius. Agis etiam tu Dei operarium, cujus ſervitio te ſponte addixiſti; miſiſti manũ tuam ſemel ad aratrum, & ſtatum adipiſcendæ perfectionis apprehendiſti; ad hanc tibi jugiter collimandum, ſemper in mandatis divinis incedendum, ſemper ad anteriora tendendum, nunquam ſtandum aut reſpiciendum eſt. Age quod agis, ſtrenuè labora, ut inveniaris aptus Regno Dei, quod nullus niſi in opere Dei ſtrenuè ac fideliter perſeverans ingreditur. Vocat te mundus, & vanitatibus ſuis ab opere cæpto conatur abſtrahere, nè reſpicias; vellicat te carnis voluptas, atque ad illicita quæ poſt tergum reliquiſti vult reducere, nè attendas neq; reſpicias; clamat poſt te diabolus, & auribus tuis di-

verſa ſuggerit, ut te retrorſum avertat, non audias neq; reſpicias; alliciunt te antiqui vitiorum habitus & pravæ conſvetudines, noli ad quidquam horum reſpicere, quæ poſt tergum ſemel reliquiſti, noli quieſcere, noli feriari, ſic te aptum reddes cœleſti regno, quod Deus diligentibus ac fidelibus operarijs retribuit in mercedem laborum ſuorum. Toto ſtudio ſemper in opus tuum incumbe. Age quod agis, manus tuas quas ſemel aratro, ſeu Dei obſequio applicuiſti, ſtrenuè ac impigrè ad terram animæ tuæ excolendam, & multiplicandos in ea meritorum ſulcos extende, donec optata illa hora veniat, ut requieſcas à laboribus tuis. Tunc retrorſum ſecurè jam reſpiciens, videbis quàm parvus & brevis fuerit vitæ tuæ labor, cujus ineffabili mercede in æternum gaudebis.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 2. Junij.

Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.

1. Cor. 12.

MAgna eſt mortalium debilitas & infirmitas, ad operandum ea, quæ ſalutis ipſorum ſunt. Quis viribus ſuis finem æternæ beatitudinis poteſt attingere? quis in juſtitia ſinè Dei auxilio diù perſeverare? quis tentationes graviores ſuperare? quis vel minimum opus æternæ vitæ meritorium ſinè Dei gratia elicere? quis poteſt dicere Dominus Jeſus, ità ut hæc dictio ipſi ad vitam proſit æternã, niſì in Spiritu ſancto? tanta eſt intellectûs noſtri cæcitas, ut ſinè divino lumine non poſſit ea conſpicere vel dignoſcere, quæ ipſi ad æternam ſalutem ſunt conducentia; tanta voluntatis imbecillitas, ut niſì â Deo excitetur & adjuvetur, nihil Deo placitum, & ſibi utile poſſit velle ac operari. Cùm ergo debilitatis ac impotentiæ noſtræ ſimus nobis conſcij, neq; ignoremus unde nobis lumen & auxilium petendum ſit, divini numinis opem aſſiduè imploremus, & Spiritûs ſancti auxilium jugiter invocemus, ut non ſolùm intellectus noſter omnia quæ in

finem beatitudinis nobis convenientia ſunt videat, ſed etiam voluntas ad eadem agenda, ſeu perficienda convaleſcat; & ſi ad heroicos altiſſimarum virtutum actus & affectus pertingere non poſſumus, ſaltèm hoc unicum devotè poſſimus dicere: *Dominus JESUS*, & cum viva fide atq; ardenti cum amore ſalvificum hoc nomen pronuntiare. Beatus qui hoc ſalutis nomen ex corde devoto labijs ſuis dignè profert, habet in hoc ferè totum, in quo fides ipſius, ſpes & charitas occupetur. Et quamvis hæc modica dictio ſeu pronuntiatio nullius videatur eſſe laboris, maximi tamen apud Deum eſt meriti. Frequenter ergo piè pronuntia, frequenter ſi non ore, ſaltèm corde verſa dulciſſimum illud nomen Creatoris ac Salvatoris tui, & Spiritûs ſancti gratiam invoca, ut illud non tantùm cum ſalutis æternæ merito nunc pronunciare poſſis, ſed etiam cum ſanctis omnibus æternùm in Cœlis benedicere & collaudare.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 3. Junij.

Nemo poteſt venire ad me, niſì ſuerit ei datum â Patre meo.

Joann. 6.

CONſideraChriſtumDominum blandiſſimo ac dulciſſimo ſermone homines ad ſe vocantem, & ſequentibus ſe magna promittentem; pauci tamen ſunt, qui verbis ejus obediunt, & Salvatorem mundi ſequuntur. Imò nullus omnino ad ipſum veniret per fidem, multò minùs per charitatem, niſì cælitus hoc ipſi conferretur. Neq; homines Chriſtum eligunt, ſed ipſe ſibi de mundo eligit quoscunque ad vitam æternam præordinat. Nemo ad ipſum venit, niſì â cæleſti gratia ducatur, imò & trahatur. Eſt ad ipſum via difficilis & ardua, anguſta & ſpinoſa, lubrica & periculoſa, magno ſudore ac labore, magno conatu & violentiâ opus eſt illi, qui ad Chriſtum venire deſiderat. Millies homo in hac via deficeret, niſì Pater æternus ipſum adjuvaret. Veniſti jam tu ad Chriſtum per fidem, & putas te ipſum ſequi per bonam vitam. Valde arduum eſt hoc ac difficile, inter tot mundi abſtrahentis & impedientis illecebras. Si Chriſtum ſequi eſt difficile, longè difficilius eſt in gloria ſive Pa-

Digitized by Google

tria ipſum conſequi, & viæ ſuæ terminum obtinere. Beneficium hoc â Deo pauciſſimis conceditur, quod tamen eſt omnibus ſummè neceſſarium, parum enim prodeſt quantocunque tempore poſt Chriſtum ire, ſi nunquam contingat ad illum pervenire. Cùm porrò ſcias hoc Dei ſolius eſſe munus, & omne datum optimum de Cœlo nobis petendum & expectandum, Dei gratiam & clementiam jugiter invoca, ut qui te hactenus ad ſe traxit, etiam finaliter pertrahat; qui dedit ſequi, det etiam conſequi; qui fecit incipere, donet etiam perſeverare, ac felici fine aliquando conſummare. In ipſo ſolùm confide, nullam in viribus tuis habe fiduciam, aliàs ad ipſum quem te putas jam tenere, nunquam pervenies.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 4. Junij.

Neſcit homo finem ſuum.

Eccle. 9.

SCit homo ſe aliquando finem habiturum, quamvis de ipſo rariſſimè cogitet. Non enim ſemper vivet, ſed vita ipſius morte aliquando concludetur. Quando verò, aut qualem vitæ ſuæ finem ſit ſubiturus, an ſeriùs an citiùs, an prævisum an inopinatum, penitus ignorat. Multò minùs ſcire poteſt quis & qualis futurus ſit finis ipſius in altera vita, poſt latam de æterno animæ ſtatu judicij divini ſententiam. Finis ille ſinè fine, qui ſemper incipiet, dulciſſimus erit beatis in cœleſti gloria, triſtis verò & horribilis omnibus reprobis in gehenna. O ſi homines finem hunc ſuum, finíſq; mali atque infauſti pericula conſiderarent, nunquam certè in tot peccata laberentur; ideò autē in quælibet ſcelera liberrimè proruunt, quia non recordantur finis ſui, quòd aliquando ex hoc mundo ad ignotam ſæculi alterius regionem ipſis ſit migrandum; ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo improvisè comprehenduntur, ſic ipſi capiuntur in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit. Quot hominum millia in mundanis favoribus & honoribus ſpem & gaudiū

Digitized by Google

ſuum poſuerunt, repentè autem cùm id minimè cogitarent ex hoc mundo abrepti ſunt? neſciêrunt finem ſuum. Quot millia hominum, poſtquam in fallacibus mundi opibus atq; divitijs fiduciam ſuam collocâſſent, tanquam illis in perpetuum eſſent fruituri, pauperes tandem ac nudi ſubitò hinc migrare coacti ſunt? neſciêrunt finem ſuum. Quot hominum milliones, ventris & gulæ voluptatibus dediti, breves & momentaneas ſuas dulcedines amarâ & æternâ morte finierunt? omnes hi finem ſuum neſciêrunt, neque intellexerunt, ſi enim ſciviſſent, fine tam infauſto minimè præoccupati fuiſſent. Tu ſi tibi proficua ſapis, finem tuum in omnibus conſidera. Tentat te vana mundi, aut fæda carnis concupiſcentia, finem ipſius pariter ac tuum conſidera; útque bonum finem habeas, adhibe ad ejus conſecutionem bona media, nè alioquin ſpe tuâ excidas, & finem tuum infelicem cum omnibus reprobis æternùm deplores.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 5. Junij.

Neſcit homo utrùm amore an odio dignus ſit. *Eccle. 9.*

Miſerrimus eſt in hoc mundo ſtatus peccatoris. Eſt enim peccator ſecundùm animam fœdus & abominabilis, angelis odioſus, Dei inimicus, æternæ damnationis reus, & ſi hoc in ſtatu ipſum mori contigerit, infelix gehennæ mancipium. Neſcit tamen homo an non ſit in tali ſtatu. O quot ſunt in hoc mundo, qui ſe agnos eſſe reputant, in Dei autem oculis ſunt hædi; æſtimant ſe juſtos & amore dignos, interim Deo ſunt odioſi, & multis peccatorũ ſordibus inquinati. Quòd ſi etiam quis putet ſe peccata, quibus iram Dei promeruit ſufficienter defleviſſe, & congruis pœnitentiæ fructibus expiâſſe, de illis tamen ſinè metu eſſe non debet; alia enim ſunt judicia Dei, alia hominũ. Neque ullum eſt ſignum, ex quo ſtatum gratiæ ac diſgratiæ poſſimus evidenter diſcernere. Omnia æqualiter contingunt juſto & peccatori, ut homo inter ſpem & metum ſemper ambulandi anſam habeat, nec ſalutem deſperet, nec præſumptione unquam extollatur. Optimum & ſecuriſſimum eſt, ut quisque tametſi nullius culpæ ſibi conſcius, ſe ta-

Digitized by Google

men odio dignum reputet, nec unquam exiſtimet, ſe peccata, quibus iram Dei aliquandò promeruit, congruâ ſatisfactione deleviſſe. Melius eſt ut hoc falsò arbitretur, quàm contrario ſenſu fallatur. Melius eſt ut ſe odio dignum reputet, & gratiam in Dei oculis inveniat, quàm ſe judicet amore dignum, & odio dignus inveniatur; expectet lucem & erumpant tenebræ. Quamvis etiam Deo revelante didiciſſet ſe poſitum eſſe in ſtatu gratiæ, neſcit tamen quamdiu in eo ſtatu ſit perſeveraturus. Timendum ergo ſemper, & humili prece divinum auxilium nobis implorandum; hoc medio nullum datur efficacius, ad odium Dei effugiendum & amorem promerendum.

MEDITATIO

Pro die 6. Junij.

Neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quantò magìs ſæcularia? *1. Cor. 6.*

CONſidera quàm magna & horrenda futura ſit rerum atq; perſonarum mutatio in die judicij, quàm diſpar facies ſæculi præſentis & ſequentis. Qui honores & divitias in hoc mundo ſectabantur, & ſæculi hujus dominatu ac potentiâ cæteris præeminebant, parvi tunc erunt, ignobiles & contempti. E contra qui Chriſtianam humilitatem & paupertatem ſunt ſecuti, & viles atque abjecti fuerunt in hoc ſæculo, honorificati tunc erunt & exaltati, mundum univerſum, cujus futiles pompas contempſerant, ſub pedibus habentes, & Judices Regum, Principum, ac reliquorum mortalium, quin etiam Angelorum ſive dæmonum â Deo conſtituti. Videbunt ipſos tunc magna cum gloria & majeſtate fulgentes, qui vitam ipſorum inſaniam eſſe arbitrabantur. Erit enim inter Dei Sanctos & amicos, inter glorioſos ſæculi judices, ſors & principatus eorum. Hæc omnia ſi tecum vivaciter expenderis, eliges in hoc ſæculo parvus eſſe potiùs quàm ma-

Digitized by Google

magnus, pauper & contemptus quàm dives & honoratus, nullo rerum ſæcularium amore nunc implicaberis, quas omnes ſub pedibus tuis & tua ſub poteſtate aliquando habebis; Dæmonis & malorum hominum amicitiam contemnes, utì & inimicitiam; quos â te in extremo die nôſti judicandos & condemnandos; peccata ſtudiosè fugies, vitámq; tuã ſic inſtitues, ut non inter judicandos, ſed inter judicantes in illa die ſis conſtitutus, & Angelicæ dæmonum poteſtates ſub pedibus tuis tremant potiùs, quàm te ſuæ damnationis ac æterni ſupplicij habeant conſortem.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 7. Junij.

Nè verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum. *Eccli. 18.*

SI merces aliqua temporalis, mille vel plurium annorum, homini pro bonis tranſitoriæ hujus vitæ operibus â Deo promitteretur, dignum eſſet in juſtitia & pietate uſque ad mortem perſeverare: nunc verò juſtis & bene agentibus præmia æterna promittuntur, & merces quæ ipſis retribuitur nunquam tranſit. Quid ergo eſt cauſæ quòd pigri mortales manus ſuas ad bene operandum nolint extendere? quid eos vetat juſtificari,&in juſtitia perſeverare uſq; ad mortem? nihil procul dubio, nisì cæcitas & ignavia ipſorum. Magnum eſt, ſi juſtificati ex gravioribus peccatis emergant, nec ulteriùs laborant ut plures gradus gratiæ ac gloriæ ſibi promereantur. Si margaritæ multæ pretioſæ pro leviſſimo pretio venales ipſis proponerentur, non eſſent contenti unam duntaxat emiſſe, ſed quotquot poſſent flagranti ſtudio ſibi compararent. Proponuntur ipſis multi juſtitiæ ac beatitudinis æternæ gradus,levi bonorum operum pretio comparabiles, illi verò ſi vel

uni-

unicum juſtitiæ gradum ſe aſſecutos arbitrentur, ulteriora minimè curant, nec de gratiæ juſtificantis & gloriæ augmento ſunt ſoliciti, cùm tamen ùt gratiam ità gloriam majorem & majorem ſemper ſibi poſſint promereri. Nihil ergo te prohibeat ô homo, neque verearis propter modicum laborem ſingulis momentis in juſtitia creſcere, & merita meritis accumulare. Sciásq; pro certo, quòd ſi aliquis dolor in ſanctos cadere poſſet, hoc unum maximopere dolerent, quòd promerendo gratiæ atq; gloriæ augmento ferventiori ſtudio non inſudaverint. Labora ergo ferventer, magìs ſemper & magìs in Dei obſequio, habet Deus majus ſemper & majus quod tibi retribuat. Quòd ſi etiam per totam æternitatem tibi conce-de[re]tur potentia merendi, Deo nunquam deeſſet facultas merita tua quanquam infinita condignè præmiandi.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 8. Junij.

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus. *1. Tim. 6.*

OMnes in hac vita ſumus peregrini,& mundus noſtrum eſt hoſpitium. Nihil ex hoſpitio viator auferre permittitur, quod ſecum non attulit. Utitur quidem domeſticâ ejus ſupellectili, cùm tamen ipſi egrediendum eſt, omnia ſibi ad uſum conceſſa in diverſorio poſt ſe relinquit. Sic etiam homo,cùm ipſi ad alterum ſæculum ex hoc mundo eſt egrediendum, non plus aufert ſecum, quàm cùm naſceretur in mundum intulerit. Quid verò ſecùm intulit in hunc mundum? nudus egreſſus eſt de utero matris ſuæ, nudus huc intravit, nihil habens in corpore præter immunditias & ſordes, nihil in anima præter peccatum. Hinc etiam cùm ipſi hora exitûs ex hoc mundo advenerit, nudus & pauper egreditur, quin & ipſum corpus, quod ſecum attulerat, relinquit in ſepulchro. Cur ergo ſtupidi mortales mundanis hiſce rebus tanto agglutinantur amore,â quibus nolentes volentes poſt paululum ſeparari debent? ambiunt honores,divitias coacervant,

ex-

extruunt palatia, hortos conſerunt, gaudent conjugibus & prolibus, famulorum & cognatorum turbis delectantur, cùm tamen hora mortis advenerit, omnia hæc deſerere, & nudi ac pauperes cogentur hinc emigrare. Utinam rebus in hoc mundo non tanquam ſuis, ſed tanquam alienis uterentur. Utinam nihil eorum arctè diligerent, quæ ipſis poſt modicum dimittenda ſunt, non tantam profectò mortis amaritudinem, nec tam acerbum in exitu ſuo cordis dolorem ſentirent. Utinam in altero potiùs ſæculo ſibi bonorum operum ac meritorum divitias theſauriſarent, ut cùm ex hac vita nudi & pauperes abſceſſerint, inveniant in altera, quo in æternum gaudeant & vivant.

MEDITATIO
Pro die 9. Junij.

Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. *1.Cor.4.*

HEbetes & obtuſi ac penè cæci ſumus omnes mortales ad perſpicienda illa, quæ ſalutis noſtræ ſunt, & ſpiritualis tam commodi quàm detrimenti. Delicta non intelligimus, & vitium â virtute ſæpe non diſcernimus. Etiamſi nullius peccati nobis fuerimus conſcij, non proinde tamen ſumus juſtificati. Timendum nèDeus, cùm abſcondita tenebrarum illuminaverit, & conſcientiarum abyſſos in lucernis fuerit ſcrutatus, multa in lucem proferat, quæ nunc oculis noſtris incognita ſunt & occulta. Alia longè ſunt judicia Dei & alia hominum. Non qui ſe ipſum commendat & probatum judicat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Neque ille juſtus eſt, qui ſeipſum juſtificat, ſed in quo Deus nullam videt injuſtitiæ aut peccati gravioris maculam. Cui verò Deus idipſum revelavit? unde meritò in conſpectu ejus omne cor ſe humiliare, & omnes conſcientiæ mortalium debent contremiſcere. Rara vox: *nihil mihi conſcius ſum.* Utinam hanc cum veritate multi proferre poſſent. Timebat Apoſtolus, ſuæq; juſtitiæ diffidebat, quem

nul-

nullius delicti conſcientia neque reatus premebat. E contra non deſunt multi, qui, cùm Deum graviter ſæpius offendant, juſtos tamen ſe magis æſtimant, quàm peccatores; excuſant excuſationes in peccatis, vivunt quaſi de ſalute ſecuri, tanquam Deus ſecundùm judicia ipſorum illos judicare deberet. Videbunt tamen aliquando ſe plurimùm fuiſſe deceptos, cùm illis dicetur â Domino: *diſcedite â me filij iniquitatis & perditionis.* Id nè tibi contingat, pluribus te peccatis crede obſtrictum, quàm tua teſtificetur conſcientia. Ora ut ab occultis tuis munderis, humilis ſemper ac timidus incede, cùm neſcias, utrùm in oculis Dei juſtus ſis, utrùm peccator; an amore an odio, an Cœlo an gehennâ dignus. Hic eſt timor omnium ſanctorum.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 10. Junij.

Nihil opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur. *Matth. 10.*

INſinita propemodùm ſcelera quotidie ab hominibus committuntur in occulto, quæ in aperto coram alijs com̃ittere ipſos puderet; putant ſufficere, ſi flagitia illorum parietibus obtegantur, & impietas ipſorum oculos hominum effugiat. Non recogitant verò Deum omnia videntem, cujus oculis nihil eſt opertum & occultum. Et quid prodeſt, quòd homines peccata ipſorum neſciant? ſi Deus illa videt, qui nullius alterius eget teſtimonio, qui omnium ſcelerum ab hominibus commiſſorum judex ſimul eſt ac teſtis. Ipſe cunctas illorum turpitudines & obſcænitates in lucem aliquando proferet, & quæ occultè commiſerunt, toti mundo palàm faciet, quin etiam omnia cogitationum ſecreta in die judicij luce meridianâ clariùs, univerſis manifeſtabit. Si ergo, dum peccas, præſentiam hominum & aſpectum erubeſcis, erubeſce committere, quæ neceſſarium eſt ad omnium notitiam aliquando pervenire, quæq; à Deo teſte omnium ſcelerum oculatiſſimo, & cordiũ in-

Digitized by Google

inſpectore acutiſſimo, diſtrictè aliquando judicabuntur, & ſupplicijs plectentur æternis. Nihil habe in conſcientia tua, de quo coram hominibus erubeſcas. Nihil age in occulto, quod nolles venire in apertum. Quantumvìs etiam nullius omnino culpæ tibi ſis conſcius, multa nihilominus peccata in anima tua latere poſſunt, quæ oculis tuis fortaſſe ſunt abſcondita, Dei autem oculis aperta & manifeſta. Veniet tempus cùm hæc omnia tibi ponentur ante oculos, inter quæ multa erunt, quæ modò excuſas. Firmiter igitur tibi perſvade, omnia cordium occulta in lucem aliquando proferenda. Exiguum vitæ hujus tempus eſt, quo notitiam hominum fallere potes, & ſcelera tua palliare; æternum verò de illis in altera vita dolorem & opprobrium, confuſionem & ignominiam ſuſtinebis.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 11. Junij.

Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorũ. *Matth.* 18.

CReatus eſt homo ad hunc finem, ut â primo rationis uſu per omnem vitam ſuam Deo fideliter ſerviat, & quotidie in virtutibus proficiendo, ſemper melior ac devotior evadat, ſícque beatitudinis æternæ præmium conſequatur. Verùm quis eſt homo, qui hoc ſolicitè agat vel agere ſtudeat? datum eſt ipſi â Deo rationis lumen, & gratiæ internæ auxilium, ut ea quæ obligationis ſuæ ſunt, videat & exequatur. Ille autem poſt uſum rationis & adeptam voluntatis libertatem, non melior fit in dies, verùm potiùs deterior. Statim prioris vitæ puritatem ac innocentiam amittit, & conſcientiam ſuam mille criminibus commaculat. Converti ergo illum oportet ad ſtatum præcedentem, ac in ætate provectiori vitam æmulari parvulorum, talium enim duntaxat eſt Regnum Cœlorum. Sunt parvuli mites & humiles, ſinè fraude ac dolo, candidè ac ſimpliciter converſantur, & nullis conſcientiam ſuam peccatis coinquinant; hos quilibet adultus imite-

tetur. Verum quidem eſt parvulos ex libertatis defectu retinere innocentiam; cùm tamen ipſi rationis lumen ac voluntatis libertas â Deo collata ſit, non debet hís muneribus, quæ ipſi ad promerendam cœli gloriam donata ſunt, in malum ſuum abuti, iisq; deterior fieri, quibus melior evadere debebat. Quòd ſi putat ſe non poſſe parvulorum innocentiam, ac primæ vitæ puritatem attingere, poteſt tamen imitari parvulorum ſimplicitatem & humilitatem; hanc ſectetur & æmuletur, ut gratiam Dei promereatur, quam divina bonitas ſolis parvulis, hoc eſt ſimplicibus & humilibus impendit. Si parvulus fuerit in terra, magnus erit in Regno Cœlorum; ſi autem hìc magnus eſſe voluerit, Cœli portam non intrabit; quæ, cùm parva ſit & anguſta, nullum ſuperbiâ tumentem admittit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 12. Junij.

Nolite conformari huic ſæculo. *Rom. 12.*

MAgna eſt hominum in hoc mundo pravitas & malitia. Dei præcepta paſſim violantur & conculcantur, horrenda ubiq; committuntur flagitia, tanta deniq; mortalium pars propter ſcelera ſua ruit in gehennam, ut hoc ſæculũ ſive hic mundus pro ſolis ferè reprobis accipiatur, in quorum comparatione pauci reperiuntur electi ac penè nulli. Vanum ergo & mendax, nequam & ſceleratum eſt hoc ſæculum, prava & perverſa hominum generatio; pauci ambulant per viam anguſtam & ſpinoſam, quæ ad vitam ducit, ſed paſſim eligunt viam latam & ſpatioſam, quæ ducit ad perditionem, intenti præſentibus, incurij æternorum. Stultorum hujusmodi infinitus eſt numerus. Tu, ſi ſapis, noli ſequi turbam, ut facias malum, & â recto devies; nec reſpicere, quàm multi ſint, qui â via ſalutis aberrant, ſed finem illorum conſidera, & intellige in noviſſimis eorum. Vide an expediat ſalvari cum paucis, an cum pluribus ad æterna migrare ſupplicia. Si autem ſalutis viam eligis, Chriſto ejúsque electis conformari debes, & immaculatum te cuſtodire â

ſordido & perverſo hoc ſæculo. Noli per viam ſtultorum incedere, nè cum illis ad infauſtum viæ terminum pervenias. Noli mundo conformari, nè pariformem cum illo ſubeas damnationem. Ridet & exultat hic mundus, tu geme & plora; ſectatur voluptates ac delicias, tu crucis mortificationem in tuo corpore porta; vanitatibus delectatur, tu ſectare veritatem; gaudet brevibus & momentaneis, tu æternis intende; & quibus aliquando conformari appetis in cœleſti gloria, ijsdem conformare in hac vita; innocentiæ ac pietati ſtude, quæ tunc coronabitur, cùm præſens ſæculum cum ſuis amatoribus igne conſummabitur. Nec multùm cura ſi te ſibi diſſimilem mundus oderit; expedit ipſum habere hoſtem in hac vita, quàm ſocium in gehenna.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 13. Junij.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.

1. Joann. 2.

STulti ſunt omnes mundi hujus amatores, tantóque vanitatum faſcino dementati, ut neſciant quid diligant. Si enim ſcirent & conſiderarent qualia ſint mundi bona, quibus tantopere adhærent, nunquam certè dignarentur illa reſpicere, multò minùs affectare. Bona omnia hujus mundi fucata ſunt & fallacia, quæ licèt cor humanum gaudio ac dulcedine afficiant, pluribus tamen doloribus & amaritudinibus illud replent. Roſas tibi mundus oſtendit, ſub quibus tamen multæ occultantur ſpinæ; dulcia & ſvavia tibi propinat, poſt quæ tamen amaricari incipiet venter tuus; magna promittit, ſed levia dat & inania; videtur te diligere, ſed nihil niſì perniciem tuam intendit. Nec longo tempore gaudijs & voluptatibus ejus frui poteris, omnes ipſius deliciæ ſunt ad inſtar puncti, & tranſeunt in momento. Vide jam utrùm mundi bona non mala potiùs quàm bona dicenda ſint? an non enim malum eſt, quod cùm ſit futile, vanum & fucatum, privat ta-

men hominem vero ac infinito bono? an non malum eſt quod hominem temporaliter delectat, ſed æterna eidem infert ſupplicia? an non malum eſt quod parit inimicitiam DEI, cordis inquietudinem, conſcientiæ remorſum, & mille alios dolorum aculeos animo infigit? talia ſunt omnia mundi hujus bona, mendacia & fallacia, laquei & muſcipulæ, quibus capiuntur animæ ſtultorum. Noli igitur ô homo mundum & ea quæ in mundo ſunt diligere, ſed Chriſtum potiùs dilige, & bona æterna quæ tibi â Chriſto promittuntur. Cave nè mundi hujus immunditia te commaculet, vanitas decipiat, fallacia ſeducat, pravitas corrumpat.

MEDITATIO

Pro die 14. Junij.

Noli facere mala, & non te apprehendent. *Eccli. 7.*

NUllus eſt homo, qui bonum non appetat, & malum non fugiat. Malum autem, imò malorum omnium maximum, involvens omne malorum genus eſt in inferno æternùm ardere. Hoc malum pœnæ per malum culpæ incurritur. Quid ergo eſt, quòd homines, cùm pœnas inferni tantopere fugiant, adeò nihilominus in ſcelera ſint proclives, quibus iram Dei & gehennæ ſupplicia ſe nôrunt incurſuros? quàm ſtultè faceret, qui combuſtionem digiti refugeret, ignem tamen digito applicaret; ità ipſi ſtolidè faciunt, dum timent combuſtionem æternam, & tamen in dies graviter peccando, ligna in focum gehennæ comportant, quibus æternùm urantur. Ipſi omnia mala ſibi procreant per peccatum, ipſi ſe in ſupplicia tam horrenda ſpontaneè conjiciunt. Nulla eſt alia cauſa hujus dementiæ, quàm quòd mala quæ faciunt non conſiderent eſſe mala, æterni ſupplicij reatum poſt ſe trahentia, imò potiùs bona ipſis eſſe videntur; quia in ipſis percipiunt ſuam dulcedinem ac voluptatem. Sed dulcedo illa quàm fallax & quàm brevis eſt. Sicut

Digitized by Google

cut piſcis dulci eſcâ decipitur, ſic ipſi dulcedine in peccatis repertâ falluntur, neq; hamum ſubtus latentem recogitant. Videbunt paulò poſt quid guſtaverint, cùm pro breviſſimis vitæ hujus oblectationibus æterno dolore torquebuntur. Quicunque igitur malum pœnæ refugis, fuge pro poſſibili malum culpæ, quantâcunque dulcedine temporali delinitum. Utrumq; in tua eſt poteſtate. Noli facere mala peccando, nè tibi procrees æterna mala, quibus ſemel apprehenſus nunquam ampliùs liberari poſſis, ſed æternùm miſer ſis, illa ſinè fine patiendo. Meliùs eſt nunc bona facere, quæ mala hominibus videntur, quia carni & propriæ ipſorum voluntati ſunt contraria, æterna tamen bona pariunt; quàm æternis malis propter brevia & fucata bona corripi ac torqueri.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 15. Junij.

Nolite judicare ut non judicemini. *Matth. 7.*

HOrrendum eſt incidere in manus Dei viventis; tremenda ſunt ejus judicia, & terrificum valde tribunal, coram quo nullæ hominum conſcientiæ, nec ipſæ quidem juſtitiæ ſunt ſecuræ, ubi non ſolùm hædus, ſed etiam agnus contremiſcit, ubi ſi æternus Judex juſtitiæ ſuæ rigorem exercere voluerit, non juſtificabitur omnis vivens. Quàm igitur felix ac beatus! cui per divinam clementiam & miſericordiam datur evadere judicij tam horrendi ſeveritatem. Vis medium facile quo judicium hoc evadere poſſis? noli judicare & non judicaberis, noli eſſe acerbus & rigoroſus cenſor vitæ alienæ, dicta factáq; aliorum ad te minimè pertinentia non diſcute nec diſquire, illa etiam quæ malefacta videntur, benignè quantùm potes interpretare, pallia & excuſa, ſi opus non potes, ſaltèm intentionem; malitiam non exaggera, ſed fragilitatem potiùs, paſſionem vel indeliberationem prætende. Talem te denique geras oportet erga proximos tuos, qualem vis eſſe Deum erga te ipſum. Habes tu longè plura, quæ contra Deum teſte conſcientiâ tuâ

com-

Digitized by Google

commiſiſti. Si proximum acriter & ſeverè judicas & damnas, exemplum Deo præbes, quomodo & ipſe te judicare debeat & condemnare. Et quidem judicium tuum proximo nihil nocet, judicium verò Dei hominem detrudit in gehennam. Quòd ſi etiam nihil aliud mali in vita tuâ commiſiſſes, ſufficeret pro tua condemnatione unicum judicij temerarij peccatum. Fuge igitur pravam hanc alios judicandi conſvetudinem. Copioſam ipſe judicij materiam, & multos forſitan æterni ſupplicij reatus tecum ex hoc mundo ad terrificum Dei tribunal exportabis. Ità nunc te circa proximorum vitam gere, ut Deo ad judicium venienti cum fiducia dicere poſſis: verba tua Dominè vera ſunt, & promiſſa tua fidelia. Non ergo intres in judicium cum ſervo tuo. Non judicer â te Domine, quia nullum judicavi.

MEDITATIO

Pro die 16. Junij.

Noli metuere judicium mortis. *Eccli. 41.*

POſtquam primus homo inobedientiæ culpâ lapſus, innocentiæ ſtatu excidiſſet, cum tota ſua poſteritate, duram â Deo mortis accepit ſententiam. Quod juſtitiæ divinæ ſtatutum, cùm ſit inevitabile, nullus omnino noſtrûm effugere poteſt. Ferendum ergo patienter nec timendum, quod, ſive citiùs ſive ſeriùs, aliquando tamen ſubeundum eſſe prævidetur; ex neceſſitate facienda virtus, Deóq; offerendum eſt pro munere, quod ab ipſo nobis in pœnam irrogatur. Magno etiam nobis poteſt eſſe ſolatio, ac triſtitiam de fato mortis conceptam eximere, ſi cogitemus quæ ante nos fuerunt, quòd nullus omnino mortalium qui hucuſq; vixerunt, ab hac ſemel moriendi lege fuerit exemptus, omnes quoq; poſteri eandem univerſæ carnis viam poſt nos ſint ingreſſuri. Omnes omnino mortales ejusdem fati ſocios habemus. Si etiam quis perpendat quantis hæc vita malis repleta ſit, mortem non adeò pertimeſcet, quæ bono cuicunque Chriſtiano nihil aliud eſt, quàm tranſitus ad vitam, vinculorum ſolutio, ſarcinæ gravis depoſitio, patriæ poſt lon-

longam & moleſtam peregrinationem ingreſſus, ac poſt lugubrem vitæ hujus quadrageſimam lætiſſimũ Paſcha. Verum quidem eſt, quòd mors peccatorum ſit peſſima, quam impij meritò pertimeſcunt, tum quia illos à rebus híſce mundanis avellit, tum quia ipſos in æterna ſupplicia conijcit, adeóque dupliciter perimit. In tua verò ſitum eſt poteſtate ô homo, mortem ſecundam evadere, & fauſtum vel infauſtum, hilarem vel triſtem ex hoc ſæculo egreſſũ habere. Noli mundana diligere, & nullum in ſeparatione tua dolorem ſenties; fuge peccata, & ſæculi alterius ſupplicia te non contingent. Animam deniq; ſemper expeditam habe, ut cùm juſſus fueris commune mortis debitum pendere, reddas illam cum fiducia in manus benigniſſimi Creatoris ac Redemptoris tui.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 17. Junij.

Noli negligere gratiam, quæ eſt in te. *1. Tim. 4.*

GRatia Dei, quæ non tantùm in propriam, ſed etiam in proximorum utilitatem cuiq; datur, jam ſemini, jam talentis & mutuo ſolet comparari. Eſt enim ſemen juſtitiæ & gloriæ, quod in anima noſtra debet germinare ſegetem bonorum operum, & cœleſtis gloriæ fructus proferre. Eſt talentum cum quo negotiari debemus; eſt mutuum nobis datum, quod cum uſuris Deo reddere obligamur. Non debet ergo divina gratia â quoquam in vacuum recipi, ſed impendi ſolerter & applicari, ut fructum pariat & utilitatem. Cogita jam tu, quot & quantas gratias â Deo acceperis, quoties ille ſemen bonum in animam tuam ſparſit, te ad virtutem excitando, tu verò illud neglexiſti, & in anima tua ſinè fructu & utilitate ſuffocari paſſus es. Quot animi & corporis talenta tibi conceſſit, ut ea in ipſius honorem & gloriam, Eccleſiæ commodum, tuam & proximorum utilitatem impenderes, tu verò valde parum cum eis fuiſti negotiatus. Habes defacto multas â Deo gratias, media & auxilia tibi conceſſa, quibus ſi cooperari, & induſtriâ tuâ correſpondere,

ac ſic Domini tui voluntatem ferventiùs exequi velles, ingens tibi juſtitiæ & gloriæ lucrum accumulare poſſes. Tu verò de implenda Domini tui voluntate,& commodo animæ tuæ nihil es ſolicitus, nec recogitas quid Deo gratiæ ac talentorum tibi commiſſorum rationem exacturo ſis reſponſurus. Si gratiam Dei, quæ in te eſt, negligis, negligis æternam ſalutem tuam, nec aliud expectare debes, quàm ut ſervi pigri ac negligentis mercedem recipias, & ligatis manibus atque pedibus projiciaris in tenebras exteriores, in horrendam illam noctem, ubi deinceps nihil omnino lucroſum pro ſalute ac utilitate tua operari poteris, ſed negligentiæ ac pigritiæ tuæ pœnas lues, in fletu & ſtridore dentium ſempiterno.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 18. Junij.

Nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique â Deo.

1. Cor. 4.

MAgna eſt humani judicij fallibilitas, etiā cùm de rebus apertis & manifeſtis vult judicare; quantùm non â veritate aberrabit & hallucinabitur circa res abſtruſas & occultas, quæ ſoli Deo ſunt cognitæ? nihilominus valde proni ſumus ad judicandum, non tantùm facta proximorùm externa, ſed etiam intentiones ipſorum, velut ſi cæcus de coloribus judicium ferre præſumat. Multùm Deo diſplicet hæc pulveris humani arrogantia. Sibi ſoli judicium omnium reſervavit divina Majeſtas. Quid judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit, ab illo judicandus, ab illo juſtificandus vel condemnandus eſt. Expecta quoaduſq; ſupremus Judex ad judicium veniat, quo illuminante patebunt abſcondita tenebrarum, & manifeſta erunt con-

conſilia cordium. Ipſe judicabit orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate ſua. Filij autem hominum iniqui & mendaces ſunt in judiciorum ſuorum ſtateris. Multos tunc videbunt in gloria, & judices ſuos agnoſcent, quos in hoc mundo judicabant & condemnabant; recipiet tunc unusquisque â Deo ſive laudem & præmium, ſive vituperium & ſupplicium, non ſecundùm judicia hominum, ſed ſecundùm judicia Dei. Noli ergo in hac vita judicare quenquam, cùm neſcias quæ lateant in cordibus hominum. Temetipſum potiùs judica & condemna, ſat multa enim judicio & ſupplicio digna quotidie committis. Habes domi tuæ copioſam cenſuræ materiam, ut non ſit opus te in aliorum facta diſquirenda & judicanda intromittere; quos licèt peccare videas, neſcis tamen finem ipſorum, cùm facile ſit in oculis Dei honeſtare pauperem, & peccatorem in gratiam, gloriámque æternam recipere. Fortaſſe tu majoribus coram Deo peccatorum ſordibus es inquinatus. Quanquam non parvum ſit vel unicum judicij temerarij peccatum, quo proximum judicas, & judicium DEI ſuper te aggravas.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 19. Junij.

Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neq; eruent vos, quia vana ſunt. *1. Reg. 12.*

HOc unicum homini ſatagendum eſt in hac vita, ut rebus æternæ ipſius ſaluti conducentibus intendat, illa diligat, illa ſectetur, quæ ipſum ab ira æterni Judicis & periculo æternæ damnationis liberare poſſint. Divinam ante omnia miſericordiam & amicitiam bonis operibus promereri ſtudeat, ac ſolicitè caveat, nè Dei vindictam peccando incurrat, de cujus vindice manu nemo ampliùs hominem poteſt eruere. At ſtupidi & ſalutis ſuæ incurij mortales â Deo vero & unico animæ bono ſe avertunt, viam virtutis deſerunt, poſt mundum & terrenas vanitates declinant, quæ tamen ipſos nullo modo ſalvare poterunt in die furoris Domini. Brevì hæc omnia præteribunt, quibus nunc adeò delectantur, quibus corda ſua tantopere agglutinant, in quibus ſpem ſuam habent ac fiduciam, quæ pro Dijs ſuis colunt ac venerantur. Nihil hæc ipſis poſt hanc vitam opitulabuntur, neq; in extrema illa neceſſitate ipſos protegent. Circumſpicient miſeri,

Digitized by Google

cùm ad terrificum tribunal æterni judicis ventum fuerit, nihil de opibus ſuis, nihil de armis & potentia, nihil de comitatu veteri, nihil de ſatellitio & famulatu videbunt, ſed pauperes nudi & conſtricti ingemiſcent, ſe ab omnibus mundi bonis in quibus habebant fiduciam, eſſe deſertos. Agnoſcent tunc, quàm falſa illa fuerint, quàm vana & mendacia, quàm brevia & momentanea, quibus nihil aliud ſe videbunt fuiſſe mercatos, quàm æterna gehennæ tormenta. Contemnenda ergo hæc omnia in quibus non eſt ſalus, quæ homini poſt hanc vitam ad ignotam ac tenebroſam illam regionem proficiſcenti, non tantùm nihil conferunt, ſed ipſum inſuper æternæ damnationis reum faciunt. DEUS ſolus fructuosè diligitur, ille ſolus amatoribus ſuis æternùm prodeſt, ille è faucibus & periculis gehennæ ipſos eruit. Cætera omnia hominem in morte deſerunt, & ab illo pariter deſeruntur.

MEDITATIO

Pro die 20. Junij.

Noli vinci â malo, ſed vince in bono malum. *Rom. 12.*

Magna eſt hominum dementia in hoc mundo: tunc ſe fortes ac generoſos reputant, cùm puſilli ſunt animi; tunc ſe victores æſtimant, cùm maximè vincuntur. Apparet hoc in occurentibus injurijs & hoſtilitatibus; rident & explodunt illos, qui patientes ſunt injuriarum, tanquam homines abjectos & puſillanimes, cùm tamen vera generoſitas & fortitudo Chriſtiana ſit, injurias & contumelias quaſcunq; patienter ſufferre, nullam de inimicis ultionem exigere, quin etiam beneficijs ipſos cumulare. Putant ſe vincere, ſi hoſtem ſuum proſternant, ſi reddant pro malo pejus, interim ipſi ab hoſte interiori, hoc eſt, animi mala paſſione graviùs & periculoſiùs vincuntur & proſternuntur, patientiæ merito & coronâ privantur, gratiâ DEI ſpoliantur, & â dæmone captivantur. Quæ damna longè graviora ſunt, quàm quæcunque hominum injuriæ. Sic etiam vel maximè ipſos vincit hoſtis exterior, dum eos tot hoſtibus internis & inviſibilibus prædam facit. Aperi oculos mentis tuæ, quicunque malum pro malo inimicis tuis hactenus red-

Digitized by Google

reddidiſti. Quotieſcunq; deinceps malignus quispiam adversùm te conſiſtet, noli ab illo vinci, ut per ipſius malignitatem in peccata iræ ac impatientiæ, aliáq; damna hinc emergentia prolabaris. Vince tu potiùs malum, non quidem in malo, ut injuriam in ipſum auctiorem regeras, ſed in bono, ut plus amoris ac beneficij eidem rependas, quàm ille tibi injuriæ ac contumeliæ intulerit. Tolera, ſile, imperturbato animo perſiſte, placa, mitiga, benefac; DEUM imitare, qui vincit in bono malos, imò in optimo peſſimos, cujus longanimis patientia & beneficentia tuam quotidie malitiam vincit. Si autem ſecùs facere, & malum in malo vincere volueris, noli â DEO aliud expectare, quàm ut etiam tibi malum pœnæ pro malo culpæ in centuplum aliquando reddatur.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 21. Junij.

Non contriſtabit juſtum quicquid ei acciderit. *Proverb. 12.*

MAgna in hoc mundo triſtitiæ ac mœroris cauſa nobis undique ingeritur, multæ homini ſuſtinendæ ſunt in hac vita miſeriæ & afflictiones, multa ipſum interiùs anxiant, multa deforis occurrentia perturbant, ut pro miraculo ſit habendum, ſi tot inter adverſitatum turbines & procellas mente immobilis poſſit conſiſtere, & cordis tranquillitatem conſervare. Gratia hæc ſoli juſto eſt conceſſa, quem nihil adverſi contriſtat vel conturbat, ſtat enim in Deo ſuo fundatus & firmatus, in hoc ſolo ſpem ſuam habet ac fiduciam, nullum aliud in hoc mundo bonum quærit, nihil etiam ſibi malum ac damnoſum eſſe reputat, præter id ſolum, quod ipſum â Deo poteſt avellere. Spolietur omnibus fortunæ bonis, omnia vitæ hujus neceſſaria ipſi auferantur, nullam æſtimat jacturam, modò Deum ſuum retineat; prematur doloribus, ſupplicijs torqueatur, occidatur, in omnibus adverſitatum fluctibus quietus & immobilis perſiſtit, Deum habens pro anchora, in quo ſpes ipſius eſt & conſolatio. Scit quòd ſanctiſſima ipſius voluntas hæc omnia diſponat, cui

proinde ſe obedientiſſimè conformat, & gratanter ſuſcipit calicem cujuscunq; paſſionis de manu Domini; ſcit etiam quantum in hoc mundo tolerantiæ ſit præmium, hinc adverſa quæq; patienter ſuſtinet vitæ perennis gratiâ, imò adverſitates & afflictiones pro ſpeciali Dei beneficio reputat; ſcit ſe non ſemper gravandum eſſe doloribus, ſed finem lacrymoſæ hujus vitæ, & cœleſtis præmij tempus brevì adfuturum. Vis & tu ſemper in hoc mundo cum juſtis gaudere, & nullâ in adverſis affici triſtitiâ, vive vitâ juſtorum. Nulla te contriſtabit adverſitas, ſi nulla tui dominata fuerit iniquitas. Si verò per injuſtitiam te â Deo averteris, nec temporalem, nec æternam triſtitiam atque dolorem effugies.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 22. Junij.

Non defrauderis â die bono, & particula boni doni non te prætereat. *Eccli. 14.*

DIes annorum noſtrorum quamvis mali & pleni doloribus atq; laboribus videantur, ſi præſentia ſpectemus, quæ nobis in hoc mundo toleranda ſunt, revera tamen ſunt boni nobis, utiles & lucroſi, ac pro magno Dei dono reputandi, ſi conſideremus æterna præmia, quæ dum vivimus â Deo poſſumus promereri. Singulis non tantùm horis, ſed etiam quadrantibus, imò minutis atq; momentis opus aliquod æternæ vitæ meritorium, vel pium aliquem bonæ voluntatis affectum poſſumus elicere, merita nobis innumera coacervare, & cœleſtis gloriæ mercedem in immenſum augere. Omnes greſſus noſtri, omnes actus & cogitatus, quos divinæ Majeſtati offerimus, minimi quicunq; labores, quos in ejus obſequio ſubimus, accuratè numerantur, nec quicquam ex his ſinè cœleſtis gloriæ præmio innumeratum tranſibit. O homo ſi ſcires quantam in Cœlis gloriam unicâ oratione Dominicâ, vel Angelicâ ſalutatione, uno quocunq; breviſſimo devotionis affectu promereri poſſis, non ità piger

piger ac tepidus perſiſteres, ſed meritorum concertationi unicè ſtuderes; nihil aliud faceres, nihil aliud cogitares. Nunc verò te negligente ac dormiente lucroſum tempus elabitur, ſpe vitæ longioris te decipit, & gratiæ gloriæque augmento defraudat. Crede quòd paucitas dierum tuorum citiùs finietur, quàm tu putas; dolebis tunc, quòd tam remiſſus ac negligens in vita fueris, nec ampliùs temporis inaniter elapſi damnum per totam æternitatem poteris resarcire. Attende igitur, nè ulla diei particula ſinè fructu boni operis tibi elabatur. Quod ſi non facis, donum Dei, tempus videlicet pro bene operando tibi conceſſum non æſtimas. Cogita: quid beati facerent? quid damnati? ſi ad hanc vitam ex altera daretur regreſſus? nihil neglige, cujus neglecti æternùm te pœniteat.

MEDITATIO

Pro die 23. Janū.

Non diligamus verbo neq; lingvâ, ſed opere & veritate. *1. Joan. 3.*

COgita qualiter erga hominem affectus eſſes, qui tibi ſuavia loqueretur, qui ſe profiteretur amicum & amatorem tuum, interiùs verò cor â te averſum gereret. Judicares haud dubiè nullo ipſum amore, ſed odio potiùs dignum, & ſimulatam hanc dilectionem deteſtareris. Frequens tamen eſt hoc malum inter mortales erga ſe invicem, nec mirum, quia non penetrant cordium abſcondita, & illa duntaxat vident, quæ oculis patent, adeóq; fictis amicitijs & amoribus facilè decipi poſſunt. Hoc verò eſt mirandum, quòd homines frequenter ipſum etiam Deum exiſtiment ſe poſſe fallere, judicéntq; ad amicitiam Dei lucrandam verbalem dilectionem ſufficere. Deum ſe amare foris profitentur, illum ore laudant & prædicant, ſed corde blaſphemant, neque recogitant, quòd Deo nihil ſit abſconditum, qui mentium arcana rimatur, & cor ſibi â nobis, non linguam offerri deſiderat, nec oris verba, ſed animi affectionem penſat. Recogita quoties & tu Deum tuum verbo laudaveris, téque ipſius ama-

amatorem fueris profeſſus, corde interim aliud loquente, & contrarium teſtante conſcientiâ. Quoties virtutem ore prædicâſti, & vitia loquendo carpſiſti? cùm tamen mens tua fuerit addicta vitijs, & vacua virtutibus. Nôſti pulchra & pia de timore Dei & amore proferre verba, quæ tamen omnia vana ſunt & frivola, niſi vertantur in opera. Non eſt hæc vera pietas & dilectio, ſed falſa & hypocritica. Homines quidem hoc modo fallere potes, DEUM verò nequaquam, qui te non juxta linguam, ſed juxta conſcientiam tuam judicabit, nec tam bona verba, quàm pia opera coronabit. Ut ergo tibi dilectio Dei ad ſalutem proficiat, dilige ipſum non linguâ tantùm, ſed etiam vitâ. Probatio veræ dilectionis exhibitio eſt operis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 24. Junij.

Non dixeris per Deum abeſt. *Eccli. 15.*

COnſidera ô homo, quot & quanta bona huc uſq; facere potueris, quàm multa virtutum opera exercere, quàm copioſa gloriæ cœleſtis merita tibi accumulare, quàm ſublimem ſanctitatis & perfectionis gradum attingere, quantùm bonæ vitæ exemplo alijs prodeſſe. Perpende quantum etiam nunc facere poſſis. Si enim gratiæ, quam tibi â Deo habes collatam, cooperari velles, plures & majores ab ipſo gratias acciperes, quibus æternæ gloriæ merita in immenſum augere, & altum valde in Cœlis gloriæ thronum promereri poſſes. Nè dixeris per Deum abeſt; Deus enim ſufficientiſſima tibi ſubminiſtrat vitæ melioris auxilia & adminicula, tu verò illis hactenus uti noluiſti; plurimas tibi gratias internè, quin etiam externè contulit, tu verò illas in vacuum recepiſti & contempſiſti; in cœno vitiorum jacentem ſæpius eripere voluit, tu manum illi dare noluiſti; ad bonum te frequenter extimulavit, tu eidem protervè recalcitrâſti. Quicquid boni habes, per Deum tibi adeſt, quicquid verò virtutis & boni operis abeſt, non per Deum, ſed per

per teipſum abeſt. Tuæ hoc ſocordiæ ac negligentiæ, non Deo imputa. Noli deinceps divinæ gratiæ ſubſidia tibi conceſſa vilipendere, ſed ſtrenuè ijsdem cooperare. Deus tam enixè ſalutem tuam deſiderat &promovet,noli tu illam ſtertendo prodigere. Ridebit alioquin in tuo interitu dicens: quid ampliùs pro ſalute tna debui facere & non feci? videbis tunc quàm facilè cum divina gratia Regnum Cœlorum promereri potueris. Videbis & iraſceris,nulli quidem magìs, quàm tibi ipſi, tuámq; dementiam cum irreparabili animæ jactura agnoſces ac deplorabis, æterno gehennæ ſupplicio juſtè plectendam.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 25. Junij.

Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. *1.Cor.15.*

MUlta quidem bona opera facit homo, & per bonum liberi arbitrij uſum ſalvatur. Ut verò bonum aliquod opus eliciat, & libero ſuo arbitrio bene utatur, divinam gratiam prærequirit, ſinè qua nihil omnino poteſt efficere Deo gratum & vitæ æternæ meritorium. Unde in ſe ipſo parum poteſt gloriari, ſed ſi gloriari vult, debet in Domino gloriari; niſì enim Deus mentem ipſius ad bonum excitaret, illum in bene operando adjuvaret, â vitijs ad viam ſalutis retraheret, in ſtatu juſtitiæ firmaret, atque ad ſcopum æternæ beatitudinis dirigeret, nec bonum faceret, nec malum evitaret, adeóque nec finem ſuum attingeret. Quid commodi uſibus humanis adferre poteſt ſecuris ſinè homine ſecante? vel ſerra ſinè aliquo ipſam trahente? nihil omnino. Sic nec ipſe homo boni quicquam poteſt facere ſinè Deo, qui principalis eſt cauſa cujuscunque boni operis, homo verò ipſe nonniſì inſtrumentum, quod ſinè Deo nihil poſſet, ſed immotum & inutile jaceret. Nec tamen Deus ſolus, nec ſolus homo boni operis eſt cauſa. Nihilo-

Digitized by Google

minus quicquid homo boni poteſt, quicquid facit, Deo tanquam principali cauſæ attribuendum eſt, omnia noſtra merita illius ſunt munera. Quamobrem â nobis jugiter pro cœleſtis gratiæ ſubſidio exorandus eſt, ut nos torpentes ad bonum excitet ac permoveat, & nobiſcum in bono collaboret. Non debet tamen noſtra voluntas freta gratiæ divinæ beneficio pigra & otioſa feriari; ſed ſedulò ac ferventer eidem cooperari. Non enim eſt inanime inſtrumentum, ſed vivum, quod boni operis effectum cum Deo vitaliter ac liberè operatur. Nec Deus quenquam ſalvat niſi volentem, conſentientem & cooperantem. Quicquid tamen boni operis cum divina gratia elicueris, totum illud erit non hominis volentis & operantis, ſed miſerentis Dei.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 26. Junij.

Non eſt in inferno accuſatio vitæ. *Eccli. 41.*

MIrum aliquibus videtur, quòd Deus Judex æquiſſimus peccata hominum breviſſimo commiſſa tempore æternis plectat incendijs. Citò culpa committitur, ſed ſi poſt ejus perpetrationem homo ſinè pœnitentia moriatur, æternùm pro eadem luere cogitur, nec unquam, licèt in graviſſimis gehennæ poſitus tormentis, pro illa ſatìs patietur. Non debet tamen id mirum videri, peccati cujuſcunque mortalis contra infinitam Dei Majeſtatem commiſſi malitiam conſideranti, utì & peſſimam reproborum peccati ſupplicia luentium voluntatem, quæ in malo ità eſt obſtinata, ut de peccatis contra Deum commiſſis minimè doleat, nec vitam ſuam præteritam accuſet. Quin imò peccata omnia æternùm continuare vellet ſi poſſet, Dei ter Optimi Maximi juſtitiam in tormentis blaſphemat, mallétque Deum non eſſe, quo vindicante videt tam malè ſibi eſſe. Nullus ergo in inferno confitetur Domino, manet in peccatis ſuis obdurata mens reproborum, nunquam deſinit prava & perverſa ipſorum voluntas, qui unicus eſt titio incendij

gehennalis. Quamvis etiam reprobi vitam ſuam præteritam in inferno accuſare vellent, de peccatis dolere,& ſupplicia ſua Majeſtati Divinæ in ſatisfactionem offerre, non acceptaretur tamen â Deo hæc ipſorum accuſatio & ſatisfactio, etiamſi mille ignearum lacrymarum oceanos ex oculis ſuis profunderent, nunquam tamen Deum ad miſericordiam flecterent,aut gehennæ tormenta vel minimùm ſibi mitigarent. Nullum enim datur ampliùs poſt hanc vitam tempus veniæ aut remiſſionis. Accuſa ergo nunc potiùs ô homo vitam tuam, ora ſupremum judicem cum gemitibus & lacrymis quamdiu exorari poteſt, quin imò tuus non tantùm accuſator, ſed etiam judex eſto, te ipſum judica & condemna, pœnas offenſi Numinis â temetipſo exige, per pœnitentiam acriter plecte,quicquid contra Deum commiſiſti, conare illi ſatisfacere pro injurijs Majeſtati ejus infinitæ illatis. Non judicabit neque puniet Deus bis in idipſum; ſi humilis ac pœnitens modò fueris tui accuſator, coram ſupremo illo Tribunali excuſationem invenies.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 27. Junij.

Non ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Cor. 9.

REprobantur â Dominis mortalibus ſervi ex neceſſitate ſola coactè ſervientes, perdit apud homines gratiam quodcunque munus vel obſequium cum triſtitia vel tædio ipſis impenſum. Etiam Deus noſtra munera & obſequia ſibi præſtari vult & offerri, non ex triſtitia aut ex neceſſitate, ſed animo hilari, prono ac libenti, vult ut ſerviamus ipſi in lætitia, hilarem datorem diligit, munera verò & ſervitia quæcunque triſti pigróque animo ſibi oblata & exhibita, nullo benevolentiæ oculo reſpicere dignatur. Verum quidem eſt, nos ad ſerviendum illi magnâ eſſe adſtrictos neceſſitate; nisì enim ipſi ſerviamus, æterna nobis comminatur incendia. Servilis tamen & abjecti eſt animi, qui ex tali neceſſitate ipſi ſervit, non ſerviturus nisì gehennæ pœnis adigeretur. Coactus ejusmodi ſervus nihil favoris aut mercedis promeretur, maximè ſi cum tædio atque acedia opus ſuum perficiat; quin imò Divinam Majeſtatem tali munere & obſequio potiùs

Digitized by Google

offendit atque inhonorat. Cogita jam tu, quàm pigrum hactenus ac tepidum Deo ſervitium præſtiteris. Examina intentiones tuas, an non frequentiùs ex ſolo gehennæ metu â peccato abſtinueris, & ſi aliquando bona quædam opera te putas egiſſe, an non magìs ex timore judicis fuerint extorta, quàm ex amore benevolentiſſimi Numinis profecta. Nisì te Deus comminationibus ſuis tanquam flagris ad ſervitium ſuum impelleret, nunquam illi ſervires. Quin etiam gehennæ ſupplicia parum curas, adeò namque torpidè ac negligenter ipſi ſervis, ut ſis illa vix evaſurus. Servi deinceps Domino tuo in lætitia, ſpontaneè ac libenter, alacriter & hilariter, non tepidè, coactè ac morosè. In omni dato hilarem fac vultum tuum. Si fueris hilaris dator, eris aliquando etiam hilaris acceptor. Nihil tibi ſit adeò contrarium, arduum & laborioſum, quod non ex amore Dei ac Domini tui libentiſſimè agas aut perferas.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 28. Junij.

Non eſt Regnum Dei eſca & potus. *Rom. 14*

O Si homines ſcirent quantùm ſpirituales deliciæ ſuâ dulcedine ſuperent delicias corporales, neutiquam ſe tantopere corporeis voluptatibus immergerent, per quas ſpiritualibus & æternis privantur. Si omnes totius mundi carnales delicias in unum coacervaveris, nihil omnino ſunt in comparatione unius ſpiritualis voluptatis, quæ in Cœlo â Beatis percipitur. Non eſt quidem in illo Cœleſti Regno eſca & potus, nec ibi dantur ullæ carnales deliciæ, quibus mundani & obſcœni homines delectantur; harum tamen omnium dulcedinem infinities ſuperat viſio & fruitio ſummi boni, quam ſibi anima per juſtitiam promeretur, atque in pace & gaudio æternùm ſecura poſſidet. Non credunt hæc tamen neque intelligunt homines carnales terreſtrium voluptatum cœno infixi, quin imò contenti eſſent, ſi ſordidis mundi hujus immundi delicijs æternùm perfrui ipſis concederetur, ſpe omni cœleſtium ademptâ. Incipit jam in hac vita Regnum Dei, & beatitudo Sanctorum, qui licèt mundanis hominibus miſeri & contempti videantur, cœleſtes ta-

Digitized by Google

tamen delicias animo ſuo jam prægustant. Non diſtenduntur quidem cibis & potibus, neque carnaliũ voluptatum dulcedine fruuntur, ſed in his Regnum Dei & beatitudo Sanctorum non conſiſtit. Beatitudo hujus vitæ, ſi ulla eſt dabilis, conſiſtit in juſtitia, per quam homo ſe immaculatum conſervat ab hoc ſæculo; in pace, quam obtinet pravis animi paſſionibus devictis; & in gaudio ſpirituali bonæ conſcientiæ, quo fruitur in Spiritu ſancto. Hæc tria nec in futuro ſæculo unquam excidunt. Qui hæc poſſidet, regnat in Deo & Deus in illo. Omnia cætera vana ſunt & corruptibilia. Nos incorruptibilibus potiùs delectemur & æternis, nè ſi animas noſtras terreſtrium rerum fæce inquinaverimus, nihil aliud inde metamus, nisì corruptionem & interitum ſempiternum. Exultet potiùs non tantùm cor, ſed etiam caro noſtra in Deum vivum, ut in eo æternùm lætetur: Fruetur ſuis tunc quoq; delicijs, non quidem ſordidis & obſcœnis, tantis tamen, quantæ in nullum mortale cor unquam aſcenderunt.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 29. Junij.

Non habemus hîc manentem Civitatem, ſed futuram inquirimus. *Hebr. 13.*

OMnes in hac mortali vita ſumus viatores & peregrini, omnes advenæ ac hoſpites ſuper terram, qui ad hoc venimus in hanc mundanam regionem, ut per felicem ejus tranſitum perveniamus ad cœleſtem patriam, in qua tanquam in ultimo viæ noſtræ termino æternùm conquieſcamus. Nullam hîc habemus manentem civitatem, omnia mundi hujus oppida & urbes nihil ſunt aliud, quàm viatorum tabernacula, quæ hodie ſunt, cras diſſipantur. Nihil in hoc mundo ſtabile, nihil permanens. Et quamvis mundana hæc civitas permaneret, nos tamen in ea diu manere non poſſumus, ſed illam vix ingreſſi poſt paululum relinquere cogimur. Non diu in hac regione peregrinatio noſtra durat, breviſſimo temporis ſpatio itinerantes, vel patriam noſtram attingimus, vel quod eſt miſerandum, æternâ ſalute ſpoliamur, & per mundi devia in gehennæ præcipitia devolvimur. His tamen viæ periculis ſe illi duntaxat exponunt, qui â recto tramite deflectunt, qui falſis viæ hujus delicijs at-

atque cupedijs viatores in devia ſeducentibus illecti, patriæ ſuæ, ad quam illis jugiter properandum eſt, obliviſcuntur, hoſtiúmq; latrocinantium prædam ſe ipſi faciunt. Reminiſcendum nobis eſt frequenter ad quid in hunc mundum venerimus, quis viæ noſtræ ſit finis, nè alioquin finem noſtrum nullo unquam tempore aſſequamur, & â ſcopo noſtræ peregrinationis æternùm excidamus. Hic verò unicus eſt noſter finis, pervenire ad patriam ſtabilem ac permanentem, cujus nullus eſt finis. Contemnenda eſt labilis hæc mundi civitas, hæc manſio tranſitoria, illa verò, quæ ſurſum eſt, jugiter inquirenda, ad illam nobis viâ breviſſimâ & optimâ tendendum, ſpernenda quæcunque mundi hujus oblectamenta, tanquam itineris impedimenta. Si ſic alacres & expediti ſupernam illam civitatem inquiſiêrimus, feliciter aliquando ipſam ingrediemur.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 30. Junij.

Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum. Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cœlorum. *Matth. 7.*

NOn eſt tam leve ac facile quàm putant homines, ſalvari hominem, & intrare in Regnum Cœlorum. Multi Deum credunt, hoc tamen non ſatìs eſt, nam etiam dæmones credunt, imò & contremiſcunt, inutilis tamen eſt fides ac timor ipſorum. Dicunt multi: Domine, Domine Creator ac Redemptor meus, preces multiplicant, manus ad Cœlum extollunt, pectora pulſant, nec tamen hoc ſatìs eſt. Profitentur etiam ſe Deum amare, vitámque ſectari Evangelicam, virtutes deprædicant, peccata vituperijs inſectantur, hoc tamen ad ſalutem æternam nondum ſufficit. Venient aliquando non pauci dicentes: *Domine, Domine*, qui etiam in Domini ſui nomine ſigna fecerunt ac dæmonibus imperârunt, quibus tamen dicetur â Domino:

non

non novi vos. Diſcedite â me, qui operamini iniquitatem. Quid ergo præterea requiritur ad introitum Regni Cœlorum, ultra cognitionem fidémq; Domini? neceſſarium eſt, ut illum homo tanquam Dominum colat, ejúſque voluntatem in omnibus implere ſtudeat. In hoc totum officium boni ſervi, & Chriſtiani hominis univerſa perfectio conſiſtit. Si eſt Dominus, obediatur ei; præſtaret neſcire Dominum, quàm ejus Majeſtatem agnoſcere, nec tamen illam revereri,& obſequi mandatis illius. Servus ejusmodi plagis vapulabit multis, quíque Domini ſui præcipientis vocem audire noluit, ſentiet manum vindicantis,& gehennæ tormentis alligatus æternùm clamabit: *Domine, Domine*, nec tamen â Domino ſuo unquam exaudietur, ſed reddetur ipſi: *ſerve.ſerve.* Si ego Dominus, ubi fuit timor & honor meus? nónne oportebat te Domini tui facere voluntatem? quia eam faciendo implere noluiſti, nunc ſinè fine patiendo imple, ac ſtipendia recipe, quæ pigro & infideli ſervitio tuo promeruiſti,â cœleſti Regno, in quo ſervi mei obedientes mecum lætabuntur, æternùm excluſus.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 1. Julij.

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom. 8.*

MUltæ quidem, & magnæ videntur eſſe paſſiones hujus temporis, quas homo per vitam ſuam in hoc mundo ſuſtinere debet. Affligit illum dolor, fatigat labor, curæ ſolicitant, timores inquietant, cruciat fames, torquet ſitis, premunt vigiliæ, moleſtat frigus, calor arefacit, morbi divexant, perſecutiones angunt, injuriæ perturbant, caro ſuggeſtionibus tentat, anima ipſa pravis inclinationibus oppugnat. Hæc tamen omnia, & quæcunque alia in hoc mundo anſam & materiam ipſi præbent laboris ac patientiæ, nihil æſtimanda ſunt, ſi comparentur ad futuram gloriam, quæ licèt breviſſimo duraret tempore, dignum tamen eſſet illius intuitu acerbiſſima quæcunque longiſſimi temporis ferre ſupplicia. Nunc verò quàm longa eſt illa cœleſtis vitæ gloria, è contra mortalis hujus vitæ paſſiones, quàm parvæ ſunt & quàm breves; ad veſperum demoratur fletus, ad matutinum illico ſuccedit lætitia, nullo ampliùs claudenda veſpere. Dat no-

Digitized by Google

nobis Deus potum de lacrymis in brevi menſura, de gloria verò & lætitia refundit inexhauſtum torrentem. Quid ergo eſt veſaniæ, quòd filij hominum vitæ hujus paſſiones tantopere fugiant & perhorreſcant? nulla eſt alia cauſa, quàm quòd cœleſtis illa gloria in ipſis nondum ſit revelata. O ſi vel modicè per unicum momentum illam deguſtâſſent, acerbiſſima & duriſſima quæque ipſius intuitu perpeti nunquam detrectarent. Fide nunc ſolâ illam tenemus, cùm verò fuerit in nobis manifeſtata, tunc primò agnoſcemus quantum de illa pondus momentaneo ac levi tribulationis pretio fuerimus lucrati: tunc videbimus omnes vitæ hujus paſſiones tanquam nubes matutinas velociter tranſiiſſe, ac dolebimus nos in hac vita non plures ſuſtinuiſſe labores ac dolores, pro tantæ mercedis augmento.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 2. Julij.

Non tardes converti ad Dominum,& nè differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. *Eccli. 5.*

SI daretur inter homines ſervus aliquis, qui mortalem ſuum Dominum graviter offendiſſet, & ab eo ad gratiam blandè invitatus, accepto veniæ promiſſo, eidem tamen reconciliari tardaret, & gratiæ ac veniæ ſibi oblatæ acceptationem de die in diem perfrictâ fronte differret, an non diceres ejusmodi ſervum omni ſe gratiâ indignum reddere, ac promereri, ut juxta menſuram ſuæ pervicaciæ ſinè ulla miſeratione puniatur? longè adhuc intolerabilior eſt mortalium vitæ ſuæ correctionem de die in diem procraſtinantium pravitas & pervicacia. Invitat illos ad ſuam gratiam cœleſtis Dominus graviſſimè ab ipſis antea offenſus, miſericordiæ ac veniæ, imò & munificentiæ ſuæ promiſſis ipſos allicit, quin etiam ſtimulis interioribus compungit,ut reſipiſcant, ſéque â mortis æternæ laqueis evolvant; aperit illis clementiæ ſinum, offert vultum paternæ benignitatis, â quo ſe turpiter averterunt, imò quem ſceleribus

bus

Digitized by Google

bus ſuis colaphizârunt; illi verò Dei gratiam protervè ſpernunt, veniæ petitionem & reconciliationem cum Divina Majeſtate procraſtinant, ac evidentiſſimo damnationis æternæ periculo ſalutem ſuam exponunt, vitæ converſionem differentes in futura & fortaſſe nunquam futura tempora, quæ cœleſtis Pater in ſua non ipſorum poſuit poteſtate. Cogita an non & tu ipſorum numero comprehendaris, an non plurimis â Deo gratijs invitatus ſeriam vitæ emendationem hucuſque diſtuleris, quam licèt fortaſſe crebriùs tibi propoſueris, vacua tamen & inania fuerunt propoſita nullo correctionis fructu ſubſequente. Multò minùs bonorum operum exercitio te impendis, ſed quicquid boni facere potes, in futurum differs, nec recogitas vitæ tuæ brevitatem ac fragilitatem. Quod vis facere fac citò, dum tempus eſt gratiæ; ad miſericordiæ divinæ ſinum recurre, deteſtare mala, bona operare, alioquin tibi ſubitò, cùm minimè putaveris, adveniet tempus iræ ac vindictæ, quo te cum cæteris gratiæ ſuæ contemptoribus Divina Majeſtas in æternum diſperdet.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 3. Julij.

Non te juſtifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipſe eſt.

Eccli. 7.

IN humanis quidem judicijs locum habet reorum excuſatio, qui ſi malefacta negando, & argumenta ſive teſtimonia contra ſe allegata refutando ſe juſtificent, liberi dimittuntur, quamvis fortaſſe interiùs ſibi de reatu ſint conſcij. Non fit taliter in divino judicio, æternus namq; Judex intima cordium quorumcunque perſpicit, certiſſiméque videt ac dijudicat, quis reus ſit, quis innocens, neque ullis ad ferendam ſententiam accuſatoribus indiget vel teſtibus, ſed ipſe ſimul eſt Judex, actor, ac teſtis. Unde ſtultum eſt, ſi homo ſibi malè conſcius coram illo ſe velit juſtificare; ſemetipſum fallit, non Deum, qui omnes ipſius culpas, etiam ſolo corde admiſſas acutiſſimè perſpicit, ipſúmque licèt nullius peccati conſcius ſibi fuerit, ſéq; juſtum atque ab omni culpæ nœvo immunem judicaverit, peccatorem tamen multis iniquitatum ſordibus maculatum eſſe comprobabit. Cùm ergo Deus intima cordium noſtrorum penetret, neque ullum velamen obtutibus ejus poſſit opponi, imò quamplurima videat intrà nos

delicta latere, quæ ipſi non videmus, neque intelligimus, conſultius eſt omnino ſe ante ipſius conſpectum accuſare potiùs, quàm excuſare, confiteri magìs culpam & deprecari, ſicque remiſſionis gratiam obtinere, quàm turpitudini ſuæ inutilia prætexere perizomata, Deum tamen in nullo latere, mendacij ac falſitatis ab illo apertè coargui, & ſeverius ſubire judicium. Etiamſi nullius culpæ reatum nos incurriſſe meminerimus, nullam tamen juſtitiæ noſtræ fiduciam exinde concipiamus, quamdiu neſcimus quid Deus in nobis latere videat. Peccatores potiùs, imò peccatorum maximos nos eſſe agnoſcamus; nam coram illo ſupremo tribunali gratiam invenit ac veniã humilis confeſſio, è contra graviſſimè ibi plectuntur mortalium ſcelera culpabiliter neglecta vel palliata, quæ tamen nullo prætextu excuſari poterunt vel celari.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 4. Julij.

Non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei. *Rom. 9.*

NIhil prodeſt ad juſtitiam & Regni cœleſtis gloriam obtinendam bona quæcunq; hominum voluntas & induſtria, ſinè divina gratia & miſericordia. Voluit Eſau paternam benedictionem, voluit & inſuper cucurrit, ut venationis prædâ patri oblatâ illam promereretur, nihilominus ſpe ſuâ fruſtratus eſt, & Jacob natu minor illam eſt conſecutus, cui illa per ſpecialem Dei gratiam deſtinabatur. Ità etiamſi pronam tibi videaris ad bonum voluntatem habere, viréſque ad bene operandum ſufficientes, ſi tamen Dei miſericordia te non adjuverit, in vanum laborabis, nihil ad æternam ſalutem conducibile præſtabis, multò minùs æternam beatitudinem obtinebis. Non ſalvat quidem Deus niſì benevolentes, & viam mandatorum ejus currentes, hi tamen ipſi ſalutem ſuam acceptam reddere debent non ſuæ juſtitiæ, ſed Dei gratiæ ac miſericordiæ, per quam ipſum bene velle ac bene operari acceperunt; quam etiam Deus non omnibus præſtat; ſed illis duntaxat, quibus illam præſtare complacuit ſanctiſſimæ ipſius voluntati. Cujus enim vult miſere-

Digitized by Google

ſeretur, & quem vult indurat, negando auxilia efficacia, ſinè quibus ad Regnum cœleſte non pervenitur. Solâ nihilominus malâ ſua voluntate perit quicunque perit, & ſolâ Dei miſericordiâ ſalvatur quicunque ſalvatur, quam meritò in æternum poterit decantare, utpote per quam Cœli & præmium, & pretium accepit. Miſericordiam ergo Dei & clementiam ſemper implora quicquid boni unquam feciſti, vel etiam deinceps facturus es, divinæ pietati ac bonitati attribue; â Deo pendet ſalus tua, â cujus facie ſi fueris projectus, in æternum eris perditus. Quin etiam pridem jam in inferno arderes, nisi ille tui miſertus, te â mortis æternæ periculis eruiſſet. Ipſum humiliter ſupplicitérque roga, ut ſuam â te miſericordiam non removeat, tuíq; miſereatur in finem.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 5. Julij.

Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Joann. 15.*

COnſidera totam humani generis maſſam originalis peccati labe infectam, & morti æternæ obnoxiam, quæ non aliud promeruit, quàm ut poſt miſeræ hujus vitæ labores atque dolores traheretur cum deſertoribus Angelis ad ultimum & horrendum illud ſinè fine ſupplicium. Ex hac perditionis maſſa Deus electos ſuos liberat, non ſuis tamen meritis, ſed ſolo Divinæ voluntatis clementiſſimo beneplacito liberantur quicunque liberantur. Nullus in hac mortis fæce comprehenſus ſe ipſum vel in minimo juvare poteſt, nullus ad Deum prior manus exporrigit ut ab illo è perditionis luto extrahatur, ſed Deus clementiſſimus ſimúlq; juſtiſſimus prior ſibi quosdam eligit, quos periculo æternæ mortis ereptos ad vitam & ſortem filiorum Dei transfert; cæteros verò in perditionis maſſa hærentes relinquit, qui tamen nihil habebunt, quo Divinam juſtitiam incuſare poſſint. E contra electi maximam habebunt cauſam collaudandi & magnificandi miſericordias DEI per totam æternitatem. Videbunt enim ſe ſolâ & unicâ Dei clementiâ & boni-

Digitized by Google

nitate ex tot hominum millionibus ſalvatos; videbunt omnia in omnibus fuiſſe paria, eandem hominis naturam, eandem originis labem, ſe tamen in vaſa gloriæ miſericorditer aſſumptos, alijs in vaſa contumeliæ inferno deputatis, occultiſſimo conſilio ac judicio Sapientiæ Divinæ, ut juxta Dei propoſitum electio maneat, & non glorietur in conſpectu ejus omnis caro. Nullus ergo Deum prior eligit, & ipſum eligendo ſe facit electum, ſed eligitur ut Deum eligat, & eligendo atque colendo ipſum ſalvetur. Licet autem Deo, cùm ſupremus omnium ſit Dominus, quod vult facere, in unum juſtitiam, in alterum exercere miſericordiam; quam ut tu conſequaris, humilia te ſub abyſſalibus Dei judicijs, & ſalutem tuam ipſius miſericordiæ fiducialiter committe.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 6. Julij.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, ut ſciam quid deſit mihi. *Pſal. 38.*

MUlta ſunt homini Chriſtiano nè dicam Religioſo neceſſaria ad ſalutem conſequendam, de quibus vitæ præſentis tempore ſibi providere debet. Mens rerum cœleſtium notitiâ & contemplatione debet inſtrui, voluntas perfici virtutibus, conſcientia mundari, merita coacervari, vitæ rationes Deo reddendæ in promptu haberi, anima diſponi ac præparari, ut immaculata inveniatur & digna in conſpectum Dei admitti, nihílq; reperiatur in ea, quod oculos Divinæ Majeſtatis offendat. Hoc verò totum provideri ac fieri debet ante mortem. Cui nil prædictorum defuerit, Cœlum ſinè impedimento introibit; cui verò aliquid deeſſe contigerit, cœleſtis introitûs obicem patietur. Conſidera nunc, quid tibi ad vitam æternam & gloriam cœleſtem neceſſarium deſit. Roga Deum ut notum faciat tibi finem tuum, & quantum de vitæ tuæ ſpatio ſuperſit, quatenus maturè tibi ad exitum ne-

neceſſaria comparare, & finem tuum diſpoſitione congruâ prævenire poſſis. Quòd ſi hoc tibi revelare noluerit, age quod tunc ageres, ſi finis & obitûs tui horam tibi revelatam haberes, quæ multùm ampliùs abeſſe non poteſt. Brevis eſt vita, & valde multa homini neceſſaria, quibus in æternum vivat, quorum defectum in altero ſæculo nunquam ultra poterit ſupplere. Quòd ſi nihil tibi in ordine ad vitam æternam deeſſe putas, multùm falleris; plurima enim deſunt illi, qui nil ſibi deeſſe judicat. Ora Deum ut mentis tuæ oculos illuſtret, vitam & converſationem tuam expende, conſcientiæ maculas perquire, multa profectò invenies tibi bona deeſſe, mala verò adeſſe quamplurima, ac valde parum hactenus te illorum, quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, præſtitiſſe cognoſces. Alacriùs deinceps & vigilantiùs ſalutis tuæ negotio te impende, alioquin dolebis æternùm tibi deeſſe, pro quo comparando nullus tibi debuerat labor deeſſe.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 7. Julij.

Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem judicij reſervare cruciandos. 2. *Pet.* 2.

DIverſæ ſunt in hoc mundo ſortes, electorum & reproborum. Electi ordinariè vitam ducunt ærumnis & miſerijs plenam, multas ab hominibus propter juſtitiam perſecutiones ſuſtinent, quin etiam â Deo in ſignum dilectionis varijs tentationibus & afflictionibus exercentur, nec niſì per magnas tribulationes introire poſſunt in Regnum Cœlorum; multis tunſionibus & preſſuris expoliti, cœleſtis Jeruſalem ædificio tandem aptantur; poſtquam illos Deus in camino afflictionis tanquam aurum & argentum ſufficienter examinavit, ac reddidit dignos ſe, educit ipſos in refrigerium, eripit de omni miſeria & tentatione, brevémq; illorum patientiam æternâ in Cœlis mercede coronat. E contra reprobis in hoc mundo ad votum ſuccedunt omnia, opibus abundant, gloriâ fulgent ac potentiâ, bonis ac delicioſis fruuntur diebus. Noli tamen illos beatos dicere, ac ſortem filiorum Dei reprobare, ſed intellige in noviſſimis amborum. Juſtis & electis pro miſeria temporali æterna in Cœlis merces

Digitized by Google

præparatur, impij autem in hoc ſæculo felices & gaudentes, ſervantur in diem judicij ac perditionis. Modò tanquam vituli in lætis ac ſpatioſis mundi hujus paſcuis vanè ac petulanter exultant, ſed poſt modicum trahentur ad macellum; imò nihil eſt vita ipſorum niſì jucundum & amænum; ſed breve iter ad mortem, & mortem quidem ſempiternam. Cogita jam quid expediat, an cum reprobis temporaliter eſſe felicem, æternis verò deputari ſupplicijs; an verò cum Dei electis mala pro bonis hîc recipere, ſed poſt brevem tolerantiam, cœleſtis Regni gloriam hæreditare. Certum eſt quòd mundi hujus lætitiam ſequantur æterna lamenta, & brevem vitæ hujus triſtitiam gaudium excipiat ſempiternum. Roga Deum, ut te pro peccatis tuis arguat & flagellet in hac vita, nè in furore ſuo corripiat in altera vita; hîc urat, hîc ſecet, hîc nihil tibi parcat, ut in æternum parcat.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 8. Julij.

Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. *Job. 1. 21.*

PAupertas & miſeria humana in ipſo ſtatim ſe prodit hominis exortu, nudus enim & inops de ſuæ Matris utero in hunc mundum prodit, & cùm hora exitûs advenerit, nudus pariter & inops revertitur in matrem omnium. Quomodo venit, ſic revertitur, nihil ſecum attulit, nihil pariter ſecum aufert de univerſo labore ſuo, quo laboravit ſuper terram. Cur ergo tantopere appetit hæc bona terreſtria, ſuámque in ijs fiduciam ponit? quæ tamen nolens volens brevì dimittere cogitur. Ambit culmina dignitatum, theſaurizat ſibi aurum & argentum, cultúsq; corporis pretioſos, tanquam plurimis hîc annis eſſet victurus, cùm ecce miſer poſt puſillum temporis, omnes honores ac potentatus alijs reſignare cogitur, omnes divitias in hoc mundo relinquere, & ſepulchrum pauper atque nudus introire, in quo tandem ipſis quoq; carnibus oſſa nudantur. Quòd ſi corpus ipſius poſt mortem veſtitu honoretur, hoc totum gratiæ debet ipſorum, qui ab ipſo congregata ſibi uſurpant, non diu tamen ijsdem

dem fruituri, ſed omnibus relictis eandem carnis viam poſt paululum ingreſſuri. Et hæc quidem quoad corpus inevitabilis eſt mortalium ſors. Anima verò quàm pauper, quàm nuda, quàm trepida ſiſtitur ante tribunal Chriſti, omni veſtitu atque ornatu vacua, nisì quem ſibi bene operando in vita comparavit. Quid igitur tibi faciendum, nè in altera vita videant nuditatem & confuſionem tuam? terreſtria quæq; bona contemne, quæ tecum auferre non potes, ſpiritualibus bonorum operum theſauris curam impende, animam virtutibus adornare ſtude, quæ ſi talibus ornamentis amicta fuerit, etiam corpus in die reſurrectionis ejuſdem amiculo glorioſè veſtietur.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 9. Julij.

Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. *Eccli.* 2.

SCrutare ſacras paginas tam veteris quàm novi teſtamenti, ſæcularium quoq; geſtorum hiſtorias pervolve, reſpice omnes mundi nationes, interoga num aliquis in Deo verè ſperans fuerit aliquando confuſus, & nunquam id contigiſſe deprehendes, ſed omnes, quotquot in Domino fiduciam ſuam collocârunt in extremis etiam quibuscunq; periculis conſtituti, auxiliarem ejus manum ſenſiſſe, & quantùm in miſericordia Dei ſperaverunt, tantùm ab illa fuiſſe adjutos invenies; è contra quotquot in ſeipſis habuerunt fiduciam, vel in alia quacunq; mundi creatura unquam ſperaverunt, ſpe ſuâ fuiſſe deceptos & confuſos. Omne humanum ſeu mundanum auxilium eſt fragilis anchora, quæ in tempore neceſſitatis de periculo non liberat; eſt baculus infirmus, qui hominem non ſuſtentat; eſt arundo cuſpidata, quæ manum ipſi innitentem perforat. Nulla creatura ſibi ipſi eſt ſufficiens, quantò minùs alteri? ſolus Deus habet veram & quidem infinitam potentiam quemcunq; adjuvandi â nullo penitus dependentem, cui ſubeſt poſſe quicquid voluerit. In Deo igitur ſolo

con-

confide, ad illum in quibuscunque neceſſitatibus & periculis recurre. Si ab hoc fueris adjutus, quamvis omni mundano auxilio fueris deſtitutus, & ab omnibus creaturis impugnatus, nequaquam periclitaberis. Nulla verò ſalus tibi eſt reliqua, etſi omnes te creaturæ adjuvare voluerint, ſi ab hoc unico fueris deſertus. Ille opem ſuam & ſubſidium omnibus ipſum fiducialiter invocantibus promittit. Si nondum in ipſo confidis, non credis infinitam ejus ſapientiam, quòd ſciat; potentiam, quòd poſſit; benignitatem ac miſericordiam, quòd velit te adjuvare. Unum â te petit, ut in eo fiduciam tuam ponas; hanc ſi non habes, de te, rebúsque tuis actum eſt.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 10. Julij.

Numerus dierum hominum ut multum centum anni, quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die ævi. *Eccli. 10.*

PErpende quàm parva ſit aquæ gutta reſpectu oceani, quàm exiguus arenæ calculus reſpectu totius arenæ, quæ jacet in littore maris. Ambo hæc tantæ magnitudinis reſpectu pro nihilo computantur. Similiter vita hominis in hoc mundo, etiamſi ad centum annos producatur, brevis eſt & parva, imò pro nihilo computanda reſpectu ævi interminati, ſeu longiſſimæ illius æternitatis; quin & milleni annorum milliones in comparatione tantæ longitudinis portio valde ſunt exigua. Quanta ergo mortalium eſt ſtupiditas atque dementia, quòd breviſſimi temporis, rerúmque ſummè fugacium ſolicitudinem gerant, nullam verò curam habeant æternorum? pro modica & momentanea hujus mundi gloria prodigunt gloriam infinitam, inhiant opibus poſt paululum tranſituris, æternas verò divitias contemnunt; ſectantur voluptates horarias, & cor-

corda ſua paſcunt hujus mundi gaudijs atq; delicijs, quæ tamen omnia reſpectu ævi, ſeu venturi ſæculi ſunt ad inſtar puncti; ducunt in bonis paucos vitæ hujus dies, non recogitantes alterius vitæ ſupplicia nullo unquam fine terminanda; volunt hîc per breviſſimum tempus bene habere, licèt illis æternùm malè ſit. Cùm verò ex hac vita migraverint, tunc primò gaudij mundani brevitatem agnoſcent, & vanitatis arguent omnia tam citò præterita, ſtultitiam ſuam nimiùm ſerò deplorantes. Stabit namq; immobilis æternitas, & nunquam mutabile Dei fatum, ut cœleſtis patriæ gaudijs privati, ſempiterna gehennæ tormenta ſuſtineant. Tu, ſi ſapis, breve mundi gaudium contemne, nè propter illud æternam incurras miſeriam. Elige breves vitæ hujus paſſiones, quibus æterna felicitas comparatur.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 11. Julij.

Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevì? *Job 10.*

IMaginare tibi arenam in aliqua clepſydra die noctúque defluentem, aut hydriam jugiter ſtillantem; tamdiu fluunt uſque dum effluant. Sic & vita noſtra nihil eſt aliud nisì fluxus, ſive curſus ad mortem; cùm enim ſit finita, neceſſarium eſt, ut habeat aliquando terminum, & cùm ſit parva, terminus ille longiùs abeſſe non poteſt. Certùm eſt, quòd paucitas dierum tuorum finietur brevì, quando verò id futurum ſit, neſcis. Tam diu filum trahitur, uſq; dum ſubitò extrahatur vel abrumpatur. Citiùs quàm putas erit tibi migrandum ex hoc ſæculo, & quidem fortaſſis hodie, fortaſſe hac horâ; Age quod ageres, ſi determinatam tuæ mortis horam ſcires. Noli te periculo exponere, nè te imparatum mors inveniat. Placa & propitia tibi Divinam Majeſtatem, plange paululùm dolorem tuum, imò plange multùm, defle peccata tua contra Deum commiſſa, age de illis pœnitentiam, priusquam ex hoc ſæculo diſcedas nunquam ultra reverſurus, nè alioquin devenias ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ ac tenebrarum. Non permitte fini-

ri paucitatem dierum tuorum, quin priùs totum egeris, propter quod agendum ſtatutos vitæ tuæ dies à Deo accepiſti. Modicum hoc tempus, quod tibi Divina benignitas & miſericordia conceſſit, bonis impende operibus; nullum ampliùs poſt hoc habebis. Quòd ſi paucitatem dierum tuorum bene impenderis, & bona faciendo, & mala patiendo, retribuetur tibi non paucitas, ſed multitudo dierum bonorum in altera vita, nullo unquam fine terminanda. Sin autem dies tuos pauculos vitiosè inſumpſeris, malos dies & quidem æterni temporis in altera vita ſuſtinebis.



MEDITATIO

Pro die 12. Julij.

O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! *Rom. 11.*

MAgna & incomprehenſibilia ſunt Dei opera, maximè illa, quæ tangunt hominum electionem & reprobationem. Quid cauſæ, quòd Deus unum ex duobus ab eodem utero progenitis aſſumat, alterum relinquat? unũ ad Baptiſmum perducat, alterum ſinè Baptiſmo ex hac vita decedere permittat? unum ex duobus adultis gratiâ ſuâ trahat, non alterum? unum perducat ad vitam, & faciat ex illo vas in honorem, alium permittat ire vias ſuas, & fieri vas in contumeliam? unum in peccatis exiſtentem ex hoc ſæculo abripiat, alteri gratiam converſionis ante mortem concedat? Hujus tam diverſæ ordinationis ratio in cauſas naturales referri non poteſt, cùm omnes ab ejus nutu ac voluntate dependeant; neque in præviſa ulla merita, cùm ſinè gratia ipſius nullum ſit meritum, quam tamen non æqualiter omnibus diſtribuit. Ad hæc â nullo reſponderi poteſt. Quis enim cognovit ſenſum Domi-

mini? aut quis Conſiliarius ejus fuit? Deus & Dominus noſter eſt, licet ipſi quod vult facere. Noſtrûm non eſt judicia ipſius diſquirere, ſed ſub illis pavere & cùm horrore contremiſcere; illa revereri, non ſcrutari. Inexhauſtæ ſunt divitiæ ſapientiæ & ſcientiæ Dei, horribilis altitudo & profunditas judiciorum ejus, quam nemo attinget vel comprehendet; viæ inſcrutabiles divinæ providentiæ, quas nemo perveſtigabit. Hoc pro certo habemus, quòd juſtiſſimè diſponat omnia, licèt non omnibus parem exhibeat miſericordiam & clementiam. Cogita quàm copiosè illam tibi præ tot millionibus hominum jam exhibuerit, in Baptiſmo, in Chriſtiana educatione, in vocatione tua, & alijs gratijs propemodum infinitis. Quin adhuc hodie tibi æternam offert beatitudinẽ, quam tu tamen de manu ipſius recuſas accipere. Si taliter feciſſet multis reprobis, Deo longè gratiores quàm tu, & ſalutis ſuæ ſtudioſiores extitiſſent. Sed ſi non vis agnoſcere, neque reſpicere Dei miſericordiam, ſenties brevì tantò graviorem & ſeveriorem ipſius juſtitiam & vindictam.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 13. Julÿ.

Obſecro vos, tanquam advenas & peregrinos, abſtinere vos â carnalibus deſiderijs, quæ militant adversùs animam. *1. Petri. 2.*

VIdiſti aliquando advenas & peregrinos, hi tametſi videant in ſuo itinere agros & vineas, domos & urbes, nihil tamen eorum deſiderant, quia ſciunt ſe apud illa diu manere non poſſe; ſuam potiùs civitatem cogitant, ad quam etiam ſpretis omnibus viarum impedimentis omni cum celeritate contendunt, de nullo ſoliciti, præterquam de his, quæ ad proſequendum iter videntur neceſſaria. Etiam tu mortalis homo, ubicunque fueris in hoc mundo, etiam in domo & patria tua es advena & peregrinus. Vita tua via eſt, is donec tranſeas, ſicut omnes patres tui. Nihil eorum quæcunq; in hac peregrina regione vides, ad te pertinet, nihil tecum auferre potes, quin etiam anima tua nonniſi hoſpes & inquilina eſt tui corporis, quod in hoc mundo aliquando relinquere nolens volens cogetur. Vide ut hanc ſaltèm ſalvam & incolumem hinc efferas. Multa contra illam militant in hoc ſæculo, ejúsque

ſaluti inſidiantur. In propria domo bella ſuſtinet, multis inimicorum jaculis impetitur; hæc jacula ſunt carnalia quæcunq;ac mundana deſideria,his vincitur & proſternitur, & tamen, quod maximè lacrymandum, ijsdem ipſis mortiferis deſiderijs miſera delectatur. Si ergo ſalutis tuæ amans es, ſi animæ tuæ incolumitati ſtudes, abſtine te ab omnibus carnalibus deſiderijs, quæ animam periculosè impugnant; alijs etiam quarumcunque terrenarum rerum concupiſcentijs fortiter reſiſte, nihil ex hoc mundo prætérquam ad ſublevandas viæ ſeu vitæ neceſſitates appete, ſpiritualium rerum deſiderijs animam in altum ſubleva, ut libera ſit â mundi carníſq; jaculis, & fæda hæc atq; obſcœna ſinè peccati labe prætervolet, ſinémq; ſuum viâ potiùs cæleſti quàm terreſtri, glorioſa, victrix & viatrix tandem aſſequatur.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 14. Julij.

Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum.

Eccli. 23.

LUcidus eſt Sol hujus mundi oculus, & lumine ſuo noctem fugat. Sunt tamen quamplurima radijs ipſius impervia & abſcondita. Sicut non eſt ubique, ità nec ubique videt aut illuminat, nec ultra ſuperficiem corpora multùm penetrat. Oculi verò ſcientiæ ac ſapientiæ divinæ, centuplò, imò infinities quolibet Sole ſunt lucidiores, ubique circumſpicientes, omnia videntes, profundum abyſſi penetrantes, & in abſconditas quaſcunq; partes hominum corda intuentes atque rimantes. Nec videt omnia Deus otioſè ut Sol, ſed quaſcunque hominum actiones & cogitationes, ſive bonas, ſive malas conſpicit, ſignat in theſauris ſapientiæ ſuæ, & recondit apud ſe uſque ad determinatum judicij tempus. Cùm igitur ſuper te habeas tam vigilem & acutum inſpectorem, ſeverum pariter malarum quaruncunque actionum & affectionum vindicem, noli committere, quod oculos tantæ Majeſta-

tis offendat. Cautè in conſpectu ipſius ambula, obſervat enim atque dinumerat omnes greſſus tuos. Ora ipſum ut oculos quoque tuos illuminet, quatenus vias tuas ipſe circumſpicere ac videre poſſis, & in illis omnia diſcernere ac removere offendicula, nè unquam peccati lapſu corruas; greſſus quoque tuos gratiæ cœleſtis auxilio dirigat & confortet, ut nunquam de ſemita virtutis moveantur veſtigia tua: Quod ſi per ipſius gratiam, & ſedulam tui arbitrij cooperationem fueris conſecutus, gratiſſimum in te ſpectaculum Deo exhibebis. Sicut enim viæ hominum impuræ, pravæ ac perverſæ ſanctiſſimos atq; mundiſſimos ejus oculos offendunt, ità rectæ, puræ ac ſanctæ aſpectum ipſius lætificant. Non ſolùm autem vias conſpicit, ſed etiam terminum viarum tuarum proſpicit. Si bonæ fuerint viæ tuæ, felicem, ſi malæ, infelicem illarum terminum habebis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 15. Julij.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum. *1. Cor. 2.*

COnſidera omnes mundi hujus pulchritudines, omnes oculorum delectationes, cunctas veris amœnitates atque delicias, ſuaviſſimos concentus & harmonias, dulciſſimos ſapores, gratiſſimos odores, tandem quæcunque ſenſuum oblectamenta, & ex his quæ animus novit, ſurgat ad incognita, quæ non novit, conſideret æternæ vitæ delicias, reſpectu quarum nihil ſunt omnia mortalis hujus vitæ gaudia, nihil totius mundi dulcedines ac voluptates; imò nihil unquam tale in cor hominis ullius aſcendit, nec ſibi ullus mortalium animus imaginari poteſt, quanta ſint illa præmia, quæ ſuis electis divina bonitas in Cœlo præparavit. Ineffabilis omnino eſt illa gloria, incomprehenſibilis iſta beatitudo. Ibi pleniſſima deliciarum ubertas, ibi affluentiſſimus voluptatum torrens, ibi gaudiorum Oceanus; ibi dulcedo & jucunditas, pax & ſecuritas ſempiterna, ibi omnia bona, ibi gaudia & oblecta-

lectamenta infinita. Ad magna verò præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores. Non præparavit hæc Deus hominibus pigris, mollibus & otioſis, non illis qui mundo ſerviunt, qui ſæculi vanitatibus adhærent, qui carnalia ſequuntur deſideria, qui terreſtrium rerum delicijs paſcuntur, ſed his tantùm qui diligunt illum, & amore ipſius omnia mundi gaudia, omnes præſentis ſæculi dulcedines & voluptatts contemnunt. Si ergo vis ad beatam illam regionem aliquando pervenire, ſurſum cor eleva, vana & mundana omnia contemne, Deum ſolum dilige, illo unico frui expete, quo ſi potitus fueris, omnia in ipſo bona invenies, & quicquid eſt veri gaudij ac voluptatis, quicquid amabile, quicquid deſiderabile, in ipſo pleniſſimè obtinebis.

MEDITATIO
Pro die 16. Julij.

Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis. *Jacobi 1.*

VAriæ ſunt hominum tentationes in hac vita. Tentat illos mundus, ut ſuis vanitatibus ſeducat; tentat illos dæmon, ut pravis ſuggeſtionibus in peccatum pertrahat; tentat illos etiam Deus per varias tribulationes, ut virtutem illorum examinet atque perficiat. Triſtantur homines mundani, ſi eos adverſitatibus premi contingat; horrent labores & certamina; ſi cum carne aut diabolo pugnandum, puſillo ſtatim fiunt animo, & hoſti potiùs animam ſubjicere, quàm pugnæ moleſtiam ſubire malunt. Lætos tantùm & quietos hujus vitæ dies appetunt, & hic omnis ipſorum eſt dolor, ſi jucunditas ipſorum per quamcunq; adverſitatem interturbetur. Nec mirum, tota enim ſpes, totúmque gaudium ipſorum eſt in hoc mundo. Nos verò, quorum beatitudo non in terra, ſed in Cœlo eſt, non dolere, imò potiùs gaudere debemus, ſi nos contingat in varias incidere tentationes, adverſitates ac tribulationes. Concupiſcant lætos, molles ac

ac delicioſos vitæ hujus dies illi, qui nihil habent, quod poſt hanc vitam ſperent. Noſtra lætitia debet eſſe, triſtia potiùs & adverſa ſuſtinere in hoc ſæculo, ut nobis æterna gaudia & præmia lucremur pro futuro. Hoc debet eſſe unicum, & omne hîc noſtrum gaudium. Quoties ergo dæmon, caro vel mundus pravis concupiſcentijs animum tentaverit, quoties tribulationum procellæ contra nos inſurrexerint, non concidamus animo, ſed gaudeamus occaſionem nobis offerri, quâ virtutem noſtram perficere, ac præmia vitæ alterius nobis accumulare poſſimus. Ad hoc vivimus, ut tentationum victorijs gloriam cœleſtem nobis promereamur. Præliemur ergo prælium Domini cum lætitia; non patietur ille nos tentationibus ſuperari, ſi noſtram in illo fiduciam poſuerimus; ſed tribuet nobis cnm tentatione largiſſimum gratiæ ſimul & gloriæ proventum.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 17. Julij.

Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Chriſti. *Coloſſ. 3.*

SI homines debitè perpenderent, quanta in Cœlis minimo cujuscunque virtutis actui retribuatur merces, longè ardentiùs atque ſtudioſiùs bonis operibus ſe impenderent, maximè cùm opus quodcunque indifferens per devotam intentionem bonum fieri poſſit, & gloriæ cœleſtis augmentum ipſis promereri, ſi ex motivo cujuscunque virtutis in nomine Domini noſtri JESU Chriſti eliciatur. Cogita nunc, quantum cœleſtis gloriæ per unam horam, quantum per unam diem tibi promerendo accumulare poſſis, ſi omnia verba, omnia opera, omnésq; cogitatus tuos in Deum referas, Deóque Patri offeras in nomine Unigeniti ejus Filij, & in unione meritorum JESU Chriſti. Sive igitur ſcribas, ſive legas, ſive aliud quidcunq; operis facias, minimum etiam quemlibet, ſive pedis, ſive manûs, aut lingvæ motum, per piam mentis affectionem dignifica. Quòd ſi hoc tibi ad ſingulos actus, ſermones & cogitatus videtur difficile, aliquoties ſaltèm per diem,

Digitized by Google

diem, vel in diei principio pro totius diei actionibus intentionem forma. Omnia tua opera, verba & cogitata, ex amore Dei & Chriſti, ſi non actualiter, ſaltèm virtualiter durante procedant. Hic omnium interiorum & exteriorum operationum tuarum debet eſſe principium, hic finis; in quem referre, & propter quem illa debes elicere. Nihil ergo ex operibus & affectionibus tuis mundus, nihil caro vel dæmon ſibi vendicet; nihil etiam ex his otioſè pereat, ſed conare quantum humana fragilitas permittit, ut quicquid facis, loqueris vel cogitas, totum Chriſtus habeat. Dedica omnia opera tua Chriſto Regi, totum quod es, quod potes, quod habes, illi ſerviat, ad majorem ipſius gloriam. Sic tibi quoq; ſerviet ad gloriæ tuæ ac beatitudinis augmentum.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 18. Julij.

Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.

Eccli. 2.

SUmus omnes in manu Domini, ſicut metallum aliquod in manu artificis, de quo ſibi, quotquot libuerit, vaſa facit in honorem. Multum uri & excoqui debet aurum, priusquam ad menſam Regis veniat; ità electis Dei multa in hoc mundo ſuſtinenda ſunt, priusquam Cœlo digni, ac ſurſum receptibiles approbentur, Divinæque Majeſtati ab Angelis præſentari mereantur. Multi tentationum ac tribulationum ignes in hac vita homini applicantur, donec omnes peccatorum ſcoriæ in ipſo ſint excoctæ. Suſtine igitur humiliter ac patienter quicquid tibi â Domino applicitum fuerit, tametſi moleſtum ſit ac dolorificum. Omnia Deus in bonum tuum diſponit, vult ad purum excoquere ſcoriam tuam in tribulationis & humiliationis camino, ut nihil in te reperiatur impurum, & cœleſti Regiâ indignum. Tribulatio & anguſtia tua valde parvo durat tempore; facit te Dominus tranſire per modicum

ignem,

Digitized by Google

ignem, ſed brevì educet te in refrigerium. Cogita ignes vitæ alterius, cogita gehennæ incendia, perpende vel ſolas purgatorij flammas; præſtat ut te potiùs in hac vita manus Domini urat & malleet, quàm in futura. Ut verò tibi hæc Domini probatio ad ſalutem proficiat, debes in examinis camino, ſicut aurum, conſtans perſiſtere, & non ſicut vile metallum aut palea fumigare; hoc eſt, non debes contra Deum conqueri, non murmurare, ſed læto & alacri, invicto & patienti animo perdurare. Mundani homines vile ſunt metallum, nec in miſerijs ſubſiſtunt. Quomodo ergo poterunt in gehennæ flammis ſubſiſtere? quomodo poterunt habitare cum ardoribus ſempiternis? elige tu hîc uri modico & brevi probationis igne, ut ignem æternæ ultionis evadas.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 19. Julij.

Omnes homines terra & cinis. *Eccli. 17.*

COnſidera tot milliones hominum, qui ante te in hoc mundo fuerunt, tot ſæculi Principes, tot potentiſſimos Duces & Monarchas, tot Viros robore inclytos, tot juvenes ætatis ſpecie florentes, quid ex his omnibus in mundo remanſit? nil niſì terra & cinis. Inſpice cœmeteria & ſepulchra, quid ibi de corporibus defunctorum videbis, quàm cinerem & oſſa, in terram cinerémque ſuum pariter reſolvenda? ubi eſt robur & agilitas corporum? ubi genarum purpura? ubi carnis decor & pulchritudo? dignoſce ſi potes divitem â paupere, nobilem ab ignobili, pulchrum â deformi; omnes hominum ætates & conditiones mors æquat, & in communem materiam, de qua conſtabant, cunctos reſolvit. Quid ergo ſuperbit terra & cinis? imò terrâ & cinere vilius ac fœtidius ſterquilinium? quid contra Cœlum inſurgit? quid contra Deum peccat & recalcitrat? forſitan exinde ſuperbit, quòd animam habeat rationalem, quæ ſpiritualis & incorruptibilis eſt ſubſtantia. Sed neq; propterea ipſi ſuperbiendum eſt, cùm etiam ſecundùm hanc terrâ & cinere vilior

ſit atq; ſordidior. Nulla cloaca tot tantíſq; ſcatet ſordibus & abominationibus, quantis referta eſt anima peccatoris. Noli te ab hac mortalium & fragilium hominum ſorte putare alienum, ſed generis tui,& ſubſtantiæ tuæ vilitatem agnoſce, ac ſupercilium ambitionis deprime. Magna quidem erga te Dei bonitas eſt ac miſeratio, quòd terram & cinerem pro Cœlo fecerit; ut tamen Cœlo potiaris, noli te attollere, ſed deprimere. Si volueris ſuperbire, grandis erit & ſtulta valde præſumptio tua, quam Deus facilè comprimet, terram inaniter tumentem in gehennæ abyſſum detrudendo, vanúmque cinerem in rogos infernales diſpergendo. Quòd ſi hunc finem es habiturus,præſtaret millies te cinerem terrámq; inanimem fuiſſe, quàm animatum vixiſſe.

MEDITATIO

Pro die 20. Julij.

Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unusquisq; propria corporis prout geſſit, ſive bonum ſive malum.

2. Cor. 5.

EST hæc mortalium vita ſementis tempus, quo quicquid homo ſeminaverit, idem in futuro ſæculo metet, ſive bonum ſive malum. Totum hoc aliquando manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ubi homo, qui delicta ſua modò non intelligit, & multas adhibet excuſationes in peccatis, meridiano Sole clariùs videbit omnia, quæcunque geſſit in mortali corpore, & referet ſive frumenti cœleſtis manipulos, ſive faſciculos ſpinarum æternæ maledictionis. Cogita ſæpius, quàm tremendum ſit futurum illud Tribunal, quàm horrendum ſit incidere in manus DEI judicantis, & incertam ſub tam diſtricto Judice præſtolari ſententiam, ubi totũ, quicquid modò latet, omnibus apparebit, ubi de unoquoque dicetur: *ecce homo & opera ejus*, ubi nulla hominum conſcientia erit ſecura, ubi ipſæ hominum juſtitiæ judicabuntur, ubi agnus trepidabit, & colum-

Digitized by Google

næ Cœli contremiſcent. Hæc ſit unica ſolicitudo tua per omne tempus vitæ hujus mortalis, ut in illa die, cùm â ſupremo Judice præmia vel ſupplicia ſingulis decernente fueris judicatus, bonum & non malum referas. Vis bonum referre, fac bonum; vis malum effugere, fuge malum ſive peccatum. Attende tibi vigilanter in omnibus cogitationibus, verbis & actionibus tuis, non enim poterit aliud judicare Judex æternus, quàm quod merebuntur opera tua. Eſto nunc tuus ipſe judex, ſtatue te ipſum ante tribunal mentis tuæ, dele per pœnitentiam quicquid mali commiſiſti, nè cùm te manifeſtari oportuerit ante horrificum illud tribunal, aliquid in te fiat manifeſtum, quod velles abſconſum & opertum; nè ſi fuerit in te reperta iniquitas, invoces fruſtra cum impijs montes & colles, ut ſuper te cadendo confuſionem tuam toti mundo manifeſtam contegant, téq; ab ira Dei & Agni abſcondant.

MEDITATIO

Pro die 21. Julij.

Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. 2. *Reg.* 14.

STa ſuper flumen aliquod & conſidera ejus aquas decurrentes;aliæ &aliæ novæ ſemper affluunt, his iterum ſuccedunt aliæ brevì pariter tranſituræ, & ſic novarum ſemper aquarum affluxu & defluxu continuus fluminum curſus peragitur. Sic & humanum genus in hoc mundo; fluit perpetuò ac defluit, tranſit atque dilabitur in terram, novis ſemper hominibus de terra naſcentibus. Generatio una præterit, alia verò advenit, morientibus ſuccedunt alij pariter morituri. Pauci ex omnibus, qui nunc vivunt,evoluto annorum centenario manebunt ſuperſtites, morimur omnes,& ſenſim ac ſucceſſivè dilabimur in terram, ubi conſtituta eſt domus omni viventi. Noviſti multos ejusdem tecum ætatis & conditionis homines, qui ſicut tu in hoc mundo vixerunt, ſed paulò poſt tranſiêrunt, citò dilapſi ſunt, ità ut vix memoria illorum ſit ſuperſtes. Idem tibi accidet, erit de te pariter aliquando verum dicere: fuit, vixit, tranſivit, evanuit; imò tota hæc genera-

Digitized by Google

tio inſtar rapidi torrentis citò præteribit. Et quidem aquæ hujus mundi defluunt in mare, ex quo iterum per ſubterraneos canales huc illuc derivatæ, ſive in hac, ſive in alia mundi plaga fluere incipiunt; homo verò ad vitam non ampliùs revertitur, ſed dormit ſomnum ſuum in terræ pulvere, donec â Deo inde ſuſcitetur. Revertetur quidem tunc ex terra, in quam dilapſus fuerat, imò ſi bona fecit, etiam in Cœlum extolletur; ſi tamen hanc vitam impiè tranſegerit, denuò relabetur in terram, & quidem in abſtruſiſſimam & profundiſſimam ejus abyſſum, nunquam per omnem æternitatem ampliùs inde reverſurus. Sic nobis in hoc mundo vivendum eſt, ut finitâ mortali vitâ, anima & caro noſtra ſpem habere poſſit ad vitam immortalem.

MEDITATIO

Pro die 22. Julij.

Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto JESU, perſecutionem patientur; mali autem homines & ſeductores proficient in pejus. *2. Tim. 3.*

HOſtis Dei eſt mundus, unde non mirum, quòd odio perſequatur omnes, qui Deo ſerviunt & piè vivunt. Notum eſt â prima mundi origine, quòd boni â malis & mundanis hominibus plurima patiantur, atque ab illis innumeras perſecutiones ſuſtineant, Deo ità permittente, ut hoc modo patientia juſtorum exerceatur; hæc eſt enim hora & poteſtas tenebrarum. Quòd ſi nulla iniquorum odia ſuſtines, neque ullas pateris in hoc mundo perſecutiones, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Mali è contra & perverſi homines, bonorum perſecutores ac ſeductores, gaudent ſæculi bonis, & fortunæ favoribus, in dies magìs magíſque opibus, potentiâ, & dominatione ſuper juſtos proficiunt, non proficiunt tamen in melius, ſed in pejus, quod patebit in noviſſimis eorum; proficiunt temporaliter, ut miſeri ſint æternaliter; quantò illos conſpicis feliciores, tantò æſtima infeliciores. Gaude tu, ſi multa

in hoc mundo dura & adverſa propter juſtitiam ſuſtines, gaude pro nomine JESU quascunq; pati contumelias & malorum perſecutiones, tali enim pretio emitur Regnum Cœlorum. Non diu pravorum hominum inſolentiæ durabunt; quos modò vides ſuperbè gloriantes, juſti ſimplicitatem deridentes, ejúsque patientiam injurioſis actionibus exercentes, poſt paululum tranſiiſſe videbis, gehennæ mancipijs adnumeratos. Vireant modò & floreant, citò gloria ipſorum marceſcet; odio atque injurijs te perſequantur, magìs exinde placebis Chriſto tuo; illi ſuperbiâ ſuâ ſemper in pejus, tu verò ſemper in melius patientiâ tuâ proficies.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 23. Julij.

Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.

1. Cor. 15.

MOrtalis eſt omnium hominum conditio, & communis naturæ lex, ut quicquid de terra ſuam habet originem, in terram revertatur. Omnes moriemur, & in terræ pulvere ſopiti jacebimus, ſurrecturi tamen aliquando Deo nos reſuſcitante, & animas corporibus ſuis reuniente. Interim caro noſtra requieſcet in ſpe, uſque in illum diem, quo corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem; tunc immutati & glorificati videbimus cum lætitia in carne noſtra Deum Salvatorem noſtrum. Non omnes tamen hoc modo immutabimur, nec eadem erit omnium reſurrectio. Reſurgent quidem impij in judicio, non tamen ad vitam, ſed ad mortem; immutabuntur etiam, quia corpora ipſorum reanimata miſeras & horrendas induent ſpecies; recipient infelices duplicia tunc de manu Domini, ac duplici contritione conterentur, quoad animas ſimul & corpora æternis addicti gehennæ ſupplicijs ac tormentis. Horum caro in hoc mundo terræ pulveri commixta

Digitized by Google

non requieſcit in ſpe, ſed in metu ac tremore, pavens Deo judicanti occurrere, ac perhorreſcens æternum illud infelicis animæ conſortium; mallet nunquam omnino reſurgere, quàm ad perenne ſupplicium de terra revocari. O quanta tunc erit diſparitas ac metamorphoſis inter corpora Electorum ac reproborum! Corpora Sanctorum, quæ in hac vita durè fuerunt habita, emaciata, exhauſta, & mortificata, omni Sole clariùs tunc fulgebunt; è contra reproborum corpora molliter in hoc mundo tractata, ſplendidè ac voluptuosè nutrita, ignibus horrendis candebunt & ſcintillabunt. Hæc meditare ô homo. Si optas ad vitam æternam aliquando reſurgere, ſurge nunc de peccatis tuis. Vis tunc immutari, mores nunc tuos immuta. Poſt hanc vitam tempus de peccato reſurgendi non erit ampliùs. Sententia, quam vitæ tuæ conformem in judicio particulari accipies, non immutabitur ampliùs in æternum.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 24. Julij.

Omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti. *Rom. 14.*

OMnes nos in valle Joſaphat ante Tribunal ſupremi Judicis aliquando ſtare ac judicari oportet. Ibi judicans ſedebit ille quondam contemptus fabri filius; ibi tremende fulminabit, qui olim jacens in præſepio vagijt; ibi feret in reprobos horrendam æternæ damnationis ſententiam, qui ab hominibus in hac vita morti fuit adjudicatus; ibi tanquam Leo rugiet, omnémque ſuum in peccatores furorem effundet, qui olim tanquam agnus innocens portatus ad victimam, os ſuum non aperuit, mortémq; crucis acerbiſſimam ab hominibus patientiſſimè ſuſtinuit. Conſidera horrendum illud Tribunal, coram quo univerſæ mundi gentes, omnésq; homines, qui â mundi principio vixerunt, congregabuntur. Nulla erit ibi ſtatuum atque conditionum hujus ſæculi diſtinctio; ibi glorioſiſſimi quondam Reges, ibi Duces ac Tyranni potentiſſimi nudo latere palpitabunt; ibi non ſolùm reprobi trepidabunt, ſed etiam juſti horrore concutientur. Quicquid verò coram illo Tribunali judicabitur, hoc jam ante in particulari judicio erit ju-

di-

dicatum, quod anima ſuſtinet, quamprimùm ex hoc mortali corpore fuerit egreſſa; ſtatim enim ante tribunal Chriſti cogitur apparere, ut illo judicante recipiat, quod in hac vita bene vel malè operando promeruit, ſive præmium, ſive ſupplicium. Imaginare tibi frequenter, quàm triſte ſit ac horrendum animæ pauperculæ, ſoluto carnis conſortio migrare ad tremendum illud Tribunal, & Chriſto judicandam præſentari. Et quidem cùm neſcias, quâ horâ ante illud tribunal apparere debeas, quod tamen aliquando ſeriùs aut citiùs fieri oportet, maturè te præpara, ut vocatus & citatus coram illo ſubſiſtere poſſis.

MEDITATIO

Pro die 25. Julij.

Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.

Matth. 12.

HOrrenda ſunt judicia Dei, non ſolùm ſuper impios, ſed etiam ſuper juſtos; non enim mortalia ſolùm peccata examinat, ſed etiam leviores hominum culpas acriter judicat & plectit, ſinè quibus tamen hæc mortalium vita ſinè ſpecialiſſimo gratiæ divinæ adjutorio nunquam tranſigitur. De verbo quolibet otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicij, nec ſolùm de illo rationem reddent, ſed etiam de illo pœnas dabunt, luentes in purgatorio, uſque dum reddiderint ultimum quadrantem. Inde ſatìs colligitur, quàm horrendum ſit incidere in manus Dei judicantis, non enim ſolam Babylonem, ſed etiam Jeruſalem ſibi dilectam ſcrutatur in lucernis, nihil parcens aut diſſimulans, nec ipſis quidem filijs, quorum veniales culpas horrendis Purgatorij flammis expiat, ut eos ad introitum Cœleſtis Aulæ diſponat, in quam nihil intfoibit vel modicè coinquinatum. Non reco-

cogitant hæc mortales, neque conſiderant pœnarum Purgatorij acerbitatem, quarum ſe tamen vel per unicum veniale peccatum reos faciunt. Horrendum eſt vel unicâ horâ, nè dicam pluribus annis, ardere poſt hanc vitam in Purgatorio, ipſi nihilominus abſque ullo timoris fræno liberrimè peccant, & dum parva contemnunt, in majora etiam peccata ſenſim prolabuntur; dum Purgatorium non curant evadere, decidunt in gehennam. Quoties enim accidit, ut quod ipſi leve putant, Deus pro gravi peccato judicet? & licèt innumera venialia non adæquent unum mortale, diſponunt tamen ſenſim ad illud, nec contemnenda inferunt animæ detrimenta. Cavendum ergo nobis eſt pro poſſibili â peccatis venialibus, nè propter illa in Purgatorium aliquando incidamus. Quantamcunque illud evadendi diligentiam adhibuerimus, vix tamen ejus pœnas effugiemus. Si verò nec venialium culpas, nec pœnas eorum in Purgatorio luendas curaverimus, pro certo ipſa gehennæ incendia non evademus.

MEDI-

MEDITATIO.

Pro die 26. Julij.

Omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. *Philip. 3.*

VIdentur quidem mundi hujus bona magna eſſe ac pretioſa, pulchra & delectabilia, revera tamen parva ſunt ac vilia, cœnoſa, fœda, & abominabilia, ſordibus atque ſtercoribus comparanda. Videntur eſſe vera bona, non ſunt tamen niſi vana, falſa & fucata, noxia & pernicioſa. Ipſis nihilominus tantopere inhiant ſtupidi mortales, appetunt ſæculi præſentis honores, negligunt verò gloriam æternam; mundi opes concupiſcunt, & cœleſtes divitias contemnunt; fugacibus vitæ hujus voluptatibus inhiant, & amittunt infinitum veræ beatitudinis atq; jucunditatis torrentem; mundum amplectuntur, & perdunt Chriſtum; cùm tamen hic unicus eſſe debeat noſter in hac vita labor & conatus, ut Chriſtum in altera vita conſequamur. Omnia, quantumcunque bona nobis videantur & commoda, reputare tamen debemus damna & detrimenta, quæ nos â Chriſto ſeparant, & ſempiternâ ejusdem fruitione privant. In Chriſto habebimus omnia deſiderabilia. Si autem Chriſtum per-

di-

diderimus, etiamſi omnia cætera bona nos poſſidere contingeret, inexplicabile nobis eſſet damnum ac detrimentum. Nunc verò ſi hæc omnia bona præ Chriſto diligimus, neq; Chriſtum neq; illa poſſidebimus, deſerent enim nos aliquando, vel ſaltèm à nobis ex hac vita migrantibus deſerentur. Nec tantùm æternis bonis, & Chriſto bonorum omnium fonte amatores ſuos privant, ſed etiam æternis ſupplicijs eoſdem addicunt. Hæc lucra mundani homines ex mundi bonis referunt. Utinam lucra ſua in Cœlo, non in hoc mundo quærerent. Tu, ſi ſapis, mundana contemne, Chriſtum & Cœlum recogita, & facilè tibi ſordebunt hæc omnia. Lucrum tuum & ſpes unica tua ſit Chriſtus. Hoc unicum tibi reputa detrimentum, ſi Chriſtum perdas.

MEDITATIO

Pro die 27. Julij.

Omnia poſſum in eo, qui me confortat. *Philip. 4.*

MAgna eſt hominis ad bene operandum imbecillitas, magna infirmitas atq; debilitas ad ſuperandas hoſtium impugnationes. Ille tamen, qui ex ſe nihil poteſt, cum Dei adjutorio multùm poteſt, non tantùm quoſcunque hoſtes vincere, ſed etiam Cœlo violentiam inferre. Deus eſt, qui ei robur ac fortitudinem ſubminiſtrat, ſi modò proprijs viribus diffiſus ſuam in eo fiduciam ponat. Si autem Deus pro ipſo ſtat, quis contra ipſum poterit prævalere? omnia ipſi poſſibilia ſunt, quem adjuvat Deus, cui nihil eſt impoſſibile. Si autem omnia poteſt cum divino adjutorio, neceſſarium eſt, ut ſtrenuè multa operetur, quamvis nunquam ſit facturus omnia, quæ poteſt facere. Conſidera jam tu, quàm frequenter torporem tuum, acediam & negligentiam tuam excuſaveris per humanam fragilitatem & imbecillitatem, quæ quidem in ſe parum poteſt, ſed â Deo adjuta quibuscunque difficultatibus prævalet, cunctíſque hoſtibus eſt formidini ac terrori. Dei verò adjutorium præſtò eſt omnibus cum fiducia ipſum invocantibus. Pete igitur inſtan-

Digitized by Google

ter â Deo robur & fortitudinem, ipſe te roborabit ac confortabit, ut nemo tibi ſalutem eripere, aut contra te prævalere poſſit. Si cecideris, tibi adſcribe; ſi viceris, Deo attribue. Perpende imbecillitatem tuam, quàm parum ſinè Deo poſſis; & è contra fortitudinem tuam, quàm multùm cum divina gratia poſſis; illam, ut viribus naturæ diffiſus divinum auxilium ſemper invoces; hanc, ut divino fretus auxilio, ad pugnandum ac laborandum pro Deo & ſalute tua, robur tuum ſtrenuè impendas, ſemper memor, quòd non coronabitur qui multa facere potuit, ſed qui multa fecit; imò tantò graviùs condemnabitur, quantò plura præſtare potuit, ſi nihil vel parum operis virtuoſi præſtitit.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 28. Julij.

Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc eſt enim lex & Prophetæ.

Matth. 7.

SÆpiſſime nobis in ſcripturis divinis Charitas, ſeu amor proximorum inculcatur, qui non tantùm interiùs in animo teneri, ſed etiam forìs apparere debet. Hæc autem eſt optima & breviſſima Charitatis exteriùs conteſtandæ regula, ut quæ â proximis fieri nobis volumus, eadem ipſis faciamus. Qui hoc facit, legem univerſam implevit, plenitudo enim legis eſt vera proximi dilectio. Hanc tamen regulam pauci obſervant. Volunt quidem ab alijs bona percipere, diligi appetunt & honorari, benefacta ſua laudari, malefacta excuſari, aliorum verò facta in ſiniſtram partem traducentes vituperant, ipſorum honorem imminuunt, & pro amore quem ipſis debent, odia in cordibus fovent & rancores, pro beneficijs injurias rependunt. Omnes coram Deo ſumus æquales, ejusdem humanæ conditionis, omnes ad invicem proximi, unde alijs non debemus inferre deteriora, quàm nobis inferri velimus.

mus. Si nolumus ex nobis ipſis diſcere, quid offi-cij & obſequij proximis exhibendum ſit, diſcere ſaltèm debemus â Chriſto, quam charitatem ipſis exhibere debeamus. Dedit ille pro fratribus & proximis ſuis vitam ſuam. Gratulamur nobis, quòd ille pro ſalute noſtra ſangvinem fuderit, nos verò pro ſalute proximorum, ſive corporali ſive ſpirituali, nihil aut parum ſoliciti, multò minùs ſangvinem pro ipſis fundere ſumus parati. Si nobis verè bona volumus, ſi æterna gehennæ tormenta nolumus incurrere, charitatem & beneficentiam proximis noſtris, accepto ex nobiſmet ipſis exemplo, impendere ſtudeamus. Secùs faciendo nosmet ipſos odimus, & quæ nobis minimè fieri volumus, quæque proximis mala intulimus, in centuplum per totam æternitatem infligente diabolo in gehenna recipiemus.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 29. Julij.

Omnia quæ de terra ſunt, in terram convertentur. *Eccli. 40.*

QVælibet res in id neceſſariò reſolvitur, ex quo fuit compoſita, ut glacies in aquam, fimus in terram. Omnes mundi arbores ac herbæ, cuncta regionum animantia, cùm de terra prodiêrint, in terram aliquando convertuntur. Nec homo ab hac vili ſorte rerum terreſtrium exemptus eſt, ſed qui primitus de limo fuit creatus, in limum denuo poſt mortem revertitur. Quot ſunt glebæ in tumulis ac cœmeterijs, quæ olim vivida & formoſa caro fuerunt, nunc verò ſunt terra informis ac putida. Hoc eſt metallum, ex quo fuſi & compacti ſumus. Habemus tamen præter hoc terreſtre, mortale ac corruptibile corpus, rationalis vitæ ſpiraculum, animam ſpiritualem nobis â Deo inſpiratam, quæ nos cæteris mundi corporibus facit præcellere, ipsísq; Angelis reddit paulò minùs inferiores. Hic ſpiritus in ſordido ac terreſtri corpore vitam vivere debet cœleſtem, puram & incoinquinatam, ut poſt reſolutionem carnis in terram, ipſe deinceps in Cœlis æternùm vivat. Beatus ille homo, qui licèt terra ſit & caro, ſpiritu tamen ſuo quæque terrena &

carnalia tranſcendit, illúmq; cœleſtium rerum contemplatione ac deſiderio paſcit, nec patitur ipſum â ſordido carnis commercio fœdari & contaminari; talis enim non tantùm ſecundùm ſpiritum cœleſti beatitudine aliquando gaudebit, ſed etiam corpus ipſius terreſtre, ſi eidem ſpiritui nunc debitè ſubjectum fuerit, ſpirituale aliquando evadet ac cœleſte. Illi verò, quorum ſpiritus carnali hujus corporis contagio inficiuntur & corrumpuntur, ità ut non tantùm carnis deſideria ſequantur, ſed etiam penitus caro fiant, non tantùm quoad carnem in terram ſinè ſpe beatæ reſurrectionis convertentur, ſed etiam quoad ſpiritus terreſtrium rerum fæce imbutos detrudentur in inferiora terræ, nunquam inde ampliùs per omnem æternitatem egreſſuri.

MEDITATIO

Pro die 30. July.

Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt univerſa ſub Cœlo. *Eccle. 3.*

NIhil eſt in hoc mundo perpetuum, omnibus rebus definita ſunt certa temporum atque durationum ſpatia, quibus evolutis deficiunt, & in pulverem ſuum revertuntur. Conſidera tot hominum generationes à mundo condito; ubi tot mundi Principes, Reges & Imperatores? ubi tot potentiſſimi Duces & Heroës? ubi tot Urbes ſplendidiſſimæ? tot Reſpublicæ florentiſſimæ? ubi tot potentiſſima Regna & Imperia? ubi Aſſyriorum, Perſarum & Græcorum Monarchiæ? ubi tanta gloria & potentia? ubi faſtus atq; jactantia? ubi tot victoriæ ac triumphi? ubi ſplendor? ubi divitiæ? Habuerunt hæc omnia ſuum tempus, ac definitum modicæ durationis ſpatium, quo viguerunt ac floruerunt, eo autem elapſo inſtar ſcenæ clauſa ſunt omnia, rebus hominibúsque alijs in hoc mundi Theatrum prodeuntibus, illis quoque puſillum poſt ſpatium tranſituris. Omnia, quæ ſub Cœlo ſunt, mutationi, omnia morti ſunt obnoxia, & vix orta ſtatim ad interitum

Digitized by Google

tendunt. Expende tecum, quantillo tempore hæc præſentis ſæculi generatio durabit, conſidera, quis ſtatus hominum, quibus cohabitas, aut quæ rerum in domo tuo facies poſt viginti aut triginta annos ſit futura. Fortaſſe tu primus durationis tuæ tempus concludes, neſcis enim, quantum vitæ ſpatium Divina Majeſtas tibi præfiniêrit, quo expleto non poteris ampliùs in mundo ſubſiſtere, ſed nolens volens aliò tranſibis. Hanc rerum omnium caducam & momentaneam ſortem frequenter meditare, omnia ſub Cœlo contemne, illa ſolùm appete, quæ nullis temporum ſpatijs clauduntur, ſed quæ permanent in æternum.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 31. Julij.

Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, nè aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.

Tobiæ 4.

NIhil in hac mortali vita magìs horrere, fugere ac cavere debemus quàm peccatum, nec inter omnes hominum in hoc mundo miſerias & calamitates ulla major eſt peccato; hoc enim hominem Deo reddit abominabilem & mortis æternæ reum. Omnes cæteræ miſeriæ morte finiuntur, lethalis verò peccati reatus non tantùm in hac vita, ſed etiam in altera hominem facit miſerum, ipſúmque ad æterna gehennæ incendia perducit. In multis tamen peccatorum periculis nos miſeri homunciones per ſingula momenta ſumus conſtituti, tot internis paſſionibus, tot externis occaſionibus, tot hoſtium pravis ſuggeſtionibus, tentationibus & impugnationibus ſubjecti. Quapropter magnam ſemper debemus adhibere ſolicitudinem, ut peccati laqueos ab ipſis ſtructos evadamus, neq; culpæ gravioris jaculo unquam confodiamur, aut in hac lubri-

Digitized by Google

ca & fragili vita lethaliter aliquando corruamus. Unicum mortalis peccati vulnus, unus lethifer caſus ſufficit ad nos æternùm perdendos. Scimus in peccato decedentibus gehennam eſſe præparatam, niſi pœnitentiâ illud aboleant; an verò tempus pœnitentiæ poſt lapſum ſimus habituri, neſcimus. Quàm multi enim ſunt, qui ſtatim ùt peccârunt è vivis abrepti, locum ac tempus pœnitentiæ non invenerunt. Cavendum ergo potiùs eſt peccatum omni cane pejùs & angve. Ut verò illud fugiamus; Deum omnibus diebus, imò ſingulis momentis vitæ noſtræ, ante mentis oculos habere debemus, ſeveriſſimum illum peccatorum judicem ac vindicem, omnia nunc videntem, & nihil in altera vita diſſimulantem vel impune relinquentem. Omnia potiùs vitæ mala, ipſámq; mortem millies ſubire ſimus parati, quàm in conſpectu ipſius alicui peccato conſentire, & animas noſtras æternùm perdere.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 1. Auguſti.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exſcindetur, & in ignem mittetur. *Matth. 7.*

PErpende tecum quid mereatur arbor, quæ in terram bonam & electam plantata, debitè culta & rigata, nullum fert fructum, aut ſi quem profert, non profert niſì malum. Ejuſmodi arbor haud dubiè terram inutiliter occupat, digna exſcindi & in ignem mitti. Tu homo es talis arbor. Deus te in hac mundi regione plantavit, optimâ bene fructificandi commoditate donavit, gratiarum ſuarum imbre ſæpius rigavit, & radijs benevolentiæ ſuæ fovit, ut fructum ei gratum proferres. Tu verò folijs tantùm inanibus gloriaris, ſpeciem pulchræ arboris quidem geris, fructum verò non profers niſì peſſimum, & inutiliter locum in hoc mundo tibi conceſſum occupas. Quid ultra tibi facere potuit Divina Bonitas & non fecit? quid aliud habes expectandum, quàm ut Deus te ſuccidat ex hoc mundo, & in ignem gehennæ mittat. Ibi fructum ſterilitatis & malitiæ tuæ recipies, qui bonum in hac vita fructum facere noluiſti. Et quidem jam ſecuris ad vitæ

vitæ tuæ radicem eſt poſita, de uno mortis ictu eſt agendum, & exciſus cades in ignem æternum. Maturè igitur, priusquam mors feriat, reſipiſce, Deum ora, ut te in hac vita tantiſper ſufferat, quoad meliores & copioſiores illi proferas bonorum operum fructus. Emendationem illi ſeriam promitte; meliùs longè tibi eſt modicum nunc oneris & laboris ſuſtinere in proferendis bonorum operum fructibus, quàm æternùm crepitare in gehennalibus flammis. Et quidem ſi fructus bonos tuleris, tibi ipſi illos tuliſti. Ex his enim tibi gloria immarceſſibilis progerminabit. Virebis cum his æternùm, ex hac mundi regione in paradiſum ſupernæ voluptatis â Deo transplantatus.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 2. Auguſti.

Omnis caro ut fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni, exaruit fœnum & flos ejus decidit.

1. Petri. 1.

PUlchra ſunt pratorum gramina, elegantes herbarum floſculi, quamdiu virent ac florent, quamprimùm verò meſſoris falce ſucciduntur, marceſſit illorum ſpecies, palleſcit color, & vigor flacceſcit; manè virebant ac florebant gratioſa illorum germina, paulò poſt ſucciſa marceſcunt, veſpere indurata in fœnum exareſcunt, cras mittuntur in clibanum, & fiunt cinis. Similis eſt fœno caro noſtra, & omnis gloria ejus, quâ ſe in vita extollit, ſicut flos fœni. Quamdiu durat carnis flos? perit in momento. Nemo tam ſanus corpore, quin brevì poſſit eſſe langvidus & infirmus, ex rubicundo pallidus, ex vivido mortuus & exanguis. Verè fœnum eſt caro noſtra; plena ſunt ſimili fœno cœmeteria, in quibus utriusq; ſexûs, omníſque conditionis ac ætatis hominum corpora requieſcunt. Fuerunt olim ſani ac vegeti, formoſi ac rubicundi, quid de illorum forma & pulchritudine remanſit? exaruit fœnum,

num, decidit omnis flos, decor antiquus perijt, nihil modò ſunt aliud, quàm eſca vermium, fœtor & horror, pulvis & cinis, plurimi etiam ex illis facti ſunt pabulum clibani infernalis. Adeò tamen æſtimant labilem hanc carnis gloriam ſtupidi mortales, adeò illam diligunt ac depereunt, ut præ amore carnis corruptibilis animarum ſuarum obliviſcantur. Non corporum, ſed animarum forma & ſalus curanda & æſtimanda eſt, quam morbus non atterit, neq; mors corrumpit. Cùm ſcias ô homo, tibi quoque, licèt virenti adhuc & florenti, mortis falcem imminere, ſic vivere ſatage, ut caro tua poſtquam ſucciſa fuerit, non mittatur in gehennæ clibanum; ſed aliquando de terra refloreat in vitam æternam.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 3. Auguſti.

Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Luc. 14.*

QUicunque vult eſſe in aliqua arte Diſcipulus, ſéque Magiſterio alterius ſubjicere, neceſſarium eſt, ut Magiſtrum ſequi, ejúsque opera ſtudeat imitari; Exemplum namq; Magiſtri debet eſſe inſtructio Diſcipuli. Venit Chriſtus in mundum, ut homines Magiſterio & exemplo ſuo virtutem vitæq; perfectionem, ac viam in Cœlum doceret; renuntiavit ille omnibus ſæculi bonis, ità ut non haberet ubi caput ſuum reclinaret. Si quis ipſum vult ſequi, ejúsque ſe diſcipulum profiteri, debet exemplo ipſius omnia terrena hæc bona contemnere atque abjicere, nihil in hoc mundo proprium dicere, & omnibus quæ poſſidet renuntiare, maximè cùm omnes terrenæ poſſeſſiones nihil ſint aliud, quàm remoræ ac impedimenta, ſpinæ ac laquei ad Cœlum tendentibus. Et quàm facilè eſt omnibus his mundi rebus, tam vanis ac fugacibus renuntiare, quæ magno primùm ſtudio ac labore conquiruntur, magnâ deinde cum anxietate ac ſolicitudine poſſiden-

dentur, magno cum animi dolore diverſis fortunæ caſibus amittuntur, & quia ad alterum ſæculum non poſſunt auferri, ſaltèm in morte â decedentibus ex hoc mundo dimittuntur. Meliùs eſt illas maturè nunc dimittere, cunctíſq; illarum cupiditatibus renuntiare, nudum Chriſtum in paupertate ac nuditate ſequi, vilium atque terreſtrium contemptu, quæ omnia brevia ſunt ac tranſitoria, æterna vitæ alterius bona promereri, & Chriſto Duce atque Magiſtro, calcatis omnibus mundanis viæ noſtræ impedimentis, Cœleſte Regnum aliquando introire.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 4. Auguſti.

Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. *Hebr. 12.*

IN omnibus rebus finem reſpicere oportet, nec tam conſiderare præſentia, quàm futura inde conſequentia. Cujuscunq; rei ſtudium, cujuscunque artis ſeu facultatis diſciplina, homini eam diſcenti non parvam initio cauſat laboris moleſtiam ac difficultatem; cùm verò in ea ſenſim magìs & magìs fuerit exercitatus, videtur ipſi non tantùm facilis, ſed etiam dulcis ac jucunda. Sic etiam ſe res habet cum Chriſtianæ vitæ morúmque diſciplina; videtur hæc naturæ noſtræ per peccatum debilitatæ ac depravatæ valde difficilis ac laborioſa, propriæ carnis ac voluntatis appetitui contraria; videtur ejus ſtudium triſte ac moroſum, mœroris non gaudij, miſeriæ non felicitatis, contemplantibus ea tantùm, quæ ſunt præſentia. Noli tamen ô homo hâc Diſciplinæ Chriſtianæ moleſtiâ ac difficultate ab ejus exercitio deterre-

ri; quamvis initio tædioſa videatur ac difficilis, poſtquam tamen in illa modicùm fueris exercitatus, non ſolùm facilis, verùm etiam jucunda tibi videbitur. Amara eſt Virtutis ac perfectionis Chriſtianæ radix, fructus tamen parit dulciſſimos, qui ſunt tranquillitas, pax & gaudium conſcientiæ in præſenti ſæculo, & corona juſtitiæ, ſive cœleſtis gloriæ præmium in futuro. Quamobrem alacriter ac ſtrenuè te in palæſtra virtutis,&Chriſtianæ perfectionis exerce,omne animi tædium atque faſtidium excute. Melius eſt,ut parvo tempore in virtutis ſtudio deſudes, & paulò poſt edas de fructibus illius; melius eſt,ut modicum laborem atque mœrorem nunc ſuſtineas, & in fine ſolatium atque præmium ſinè fine recipias, quàm te nunc otio & ignaviæ tradas, pro deſidia verò tua æternùm deinde in gehenna luas & lugeas.

MEDITATIO

Pro die 5. Auguſti.

Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

1. Cor. 9.

PUgiles & Athletæ, qui olim in agone ſive ſtadio decertabant, & pugnis atque lacertis contendebant, ab omnibus ſibi cavebant, quæ mentem illorum aliò abſtrahere, vel corpus debilitare potuiſſent, ut tantò certiorem de ſuo Antagoniſta victoriam conſequerentur. Abſtinebant â carnalibus quibuscunque voluptatibus, quæ corpus humanum enervant, abſtinebant â menſalibus delicijs, cibis ac potibus delicatis, quæ carnem pariter molliunt ac effœminant, duríſque tam cibis, quàm laboribus corpora ſua roborabant ac firmabant. Abſtinebant ſe præterea â quibuscunq; rebus & occupationibus, in hoc unum ſemper intenti, quomodo Antagoniſtam ſuum vincerent, & in victoriæ præmium coronam, & hanc quidem non magni adeò momenti, ſed pineam, vel aliam ejusmodi vilem ac corruptibilem reportarent. Omnes homi-

mines in hoc mundo pugiles &athletæ ſumus,ad hoc venimus in vitæ hujus ſtadium, ut aſſiduè luctemur & pugnemus cum mundo, carne ac diabolo. Proponitur nobis in victoriæ præmium, non vilis aliqua & corruptibilis, ſed omni auro gemmíſq; pretioſior, æterna & incorruptibilis illa corona Cœleſtis gloriæ. Omnibus ergo viribus & modis conandum, ut eam obtineamus. Quem in finem nos pariter tanquam ſtrenui & exercitati palæſtritæ, ab omnibus mundi rebus ac vanitatibus, tanquam captioſis hoſtium laqueis abſtinere debemus, gulæ voluptatibus renuntiare, omnes carnis commoditates, ac delectationes, quæ ſpiritum enervant, præſcindere, animum ſpiritualibus armis præcingere, omnia quæ nobis impedimento eſſe poſſunt, excutere, lacertos ad pugnandum ſemper paratos & expeditos habere, ut victores hoſtium noſtrorum redditi, percipiamus â Deo incorruptibilem æternæ gloriæ coronam, & non â diabolo carnis & mundi vanitatibus illaqueati & proſtrati, eidem æternùm ſervire cogamur.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 6. Auguſti.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut Matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. *Matth. 19.*

AMant homines lucra & commoda, libenter multa pro paucis accipiunt. Clamat Divina Bonitas & Veritas, quòd omnis, qui reliquerit propter nomen ipſius bona temporalia in hoc ſæculo, centuplum ſit recepturus in futuro. Pauci tamen ſunt, qui audiant Salvatorem, & ſimplum pro centuplo velint relinquere. Et quid ſunt domus, quid agri, quid tota mundi hujus ſubſtantia? Omnia vana ſunt ac tranſitoria, & mille caſibus fortunæ ſubjecta. Quid ſunt Pater & Mater? quid fratres & ſorores? quid cognati & domeſtici, quàm inimici hominis? expedit hæc omnia relinquere, ac pro illis à Deo meliora in centuplum, imò in infinitum recipere, neq; his deinceps per mortem privari, ſed vitam æternam ſimul poſſidere. Lætantur mundani homines in ſuis bonis ac poſſeſſionibus, brevis tamen ac momentanea ipſorum eſt lætitia. Etiamſi millies plura poſ-

Digitized by Google

ſiderent, nihili æſtimanda eſſent omnia, quia illis longo tempore frui non conceditur. Vita mortalium citò tranſit, unde non poteſt eſſe longa rerum mundanarum poſſeſſio; hodie dives multa poſſidet, cras totum è manibus cogitur dimittere, & pauper atque nudus ex hoc ſæculo migrare. Qui autem propter Deum hæc vana deſerit, æternâ cœleſtium bonorum poſſeſſione gaudebit. Utinam hæc mortales bene perpenderent, utinam cœleſtia terreſtribus, æterna temporalibus præferrent, & creaturis omnibus amore DEI renuntiarent; gauderent aliquando in altera vita ſe omnia in hoc mundo reliquiſſe, propter illum qui eſt ſuper omnia, & viderent ſe infinitè proficuam & lucroſam feciſſe commutationem.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 7. Auguſti.

O mors! quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis. *Eccli. 41.*

AMara eſt mortis memoria homini mundano, ſano, felici ac opulento, cui ad votum omnia ſuccedunt, qui ſubſtantijs ſuis cum animi pace, lætitiâ & jucunditate fruitur, in vitæ hujus delicijs, luxu ac pompâ, dum recordatur ſe omnia in morte relicturum, & vacuis manibus hinc diſceſſurum. Si eſt illi amara mortis memoria, multò amarior erit ipſa mors. Cogita illum in lecto ſuo jacere moribundum, hinc dilectam conjugem, inde proles aſtantes, quibus ſe novit brevì valedicturum. Occurrunt ei divitiarum theſauri, quos in arcis habet reconditos, veniunt in mentem domus & prædia inſtructa copioſis gregibus & armentis, promptuaria frumento, vino & oleo plena, & omnis generis bona repoſita in annos plurimos, in quibus adhuc diutius lætari poterat, jucundari ac epulari. O! quàm illibenter dimittit omnia. Interim animam reluctantem violentè ſeparat amara mors. Quàm doloroſa eſt extrema illa diviſio! non enim tantùm ani-

Digitized by Google

mam ſeparat â corpore, ſed ab omnibus mundi bonis, cogítq; hominem tot quodammodo ſubire mortes, quot mundanis rebus per amorem & cupiditatem adhærebat. Migrat ergo hinc ad ignotam illam regionem, nihílque ſecum aufert de univerſo labore ſuo, quo laboravit ſub Sole. Magna cum triſtitia & amaritudine diſceſſit ex hoc ſæculo, adhuc pejora & triſtiora invenit in futuro; nullam ibi pacem habebit, non dico in ſubſtantijs ſuis, quæ omnes evanuerunt, ſed in gehennæ tormentis, quibus ſinè ulla requie cruciabitur die ac nocte. Dulcis è contra eſt mors, ejúsq; memoria homini mundana omnia contemnenti, & cœleſtia ſuſpiranti. Neceſſariò tibi ô homo aliquando moriendum eſt; ſic vive, ut moriaris non lacrymabiliter, ſed delectabiliter. Noli rebus mundanis cor affigere, & in ſeparatione tua dolorem non ſenties; mors tibi erit omni vitâ gratior, & felix tranſitus ad vitam immortalem.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 8. Auguſti.

Opera illorum ſequuntur illos. *Apocal. 14.*

UNa & æqualis eſt conditio mortalium, ut cùm ultima vitæ ipſorum hora venerit, omnibus relictis ſoli ac nudi ex hoc ſæculo diſcedere cogantur. Eſtò quis pluribus hìc annis glorioſè vixerit, maximos auri & pecuniarum theſauros ſibi comparaverit, copioſo famulorum ſatellitio ſtipatus inceſſerit, multis gaviſus fuerit amicorum, filiorum atque nepotum turbis, quamplurimos denique habuerit in hoc mundo ſibi faventes & ſervientes, in morte tamen omnia deſerit, & ab omnibus deſeritur, ſolus abire cogitur ad ignotam ac tenebroſam illam regionem; nullus ipſum ſequitur vel comitatur, niſi opera ipſius, quæ geſſit in hac vita, hæc vadunt, ſéque cum illo ſiſtunt ante Chriſti tribunal, ibi ſecundùm illa judicatur, & ex ipſis aut juſtificatur aut condemnatur. At fatui mortales parum iſta recogitant, nec multum curant de comparandis bonorum operum meritis, quibus comitati fidenter & ſecurè ex hoc ſæculo migrare poſſint. Si ad remotam aliquam regionem in hoc mundo pergere debeant, ſunt de fideli comitatu ſoliciti, parum verò cu-

rant remotiſſimum & periculoſiſſimum illud iter æternitatis; peſſimos ſibi ad illud quotidie comites & pediſſequos malè operando conducunt, qui ante Chriſti tribunal ipſos accuſabunt, reos gehennæ facient, tradéntque tortoribus infernalibus æternùm cruciandos. Utinam bonis operibus magìs ſtuderent, hi namq; ſunt boni ac fideles comites, qui pro nobis apud Deum in altera vita intercedunt, Judicis iram mitigant, & beatam homini manſionem in altero ſæculo procurant. Simus ergo in hac vita ſoliciti, ut dignum quid nobiſcum perferamus ante ſupremum Judicem, quo illum nobis placabilem atq; propitium reddere poſſimus.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 9. Auguſti.

Operamini opus veſtrum ante tempus. *Eccli. 51.*

AGricolæ, Vinitores & alijMercenarij, qui diverſos in hoc mundo labores exercent, opus ſuum de die plerumq; perficiunt, ante tenebroſam noctem, quæ non labori, ſed quieti eſt deputata. Injunctum eſt â Deo nobis omnibus, ut ſalutem noſtram in hoc mundo ſtrenuè operemur. Hoc eſt opus noſtrum, hic unicus ac principalis labor, hic finis, ob quem in hanc mundi regionem venimus. Ad hunc verò laborem ſolum præſentis vitæ tempus nobis eſt conceſſum, quod diei comparatur, quia in eo nobis lucet Sol divinæ gratiæ, adéſtque nobis ad bene ac meritoriè operandum optima commoditas & facultas. Venit nox quando nemo poteſt operari, tempus nimirum vitæ alterius, ubi nemo ampliùs meritoriè quicquam operatur, ſed hoc recipit, quod in hac vita mortali operatus eſt, ſive bonum ſive malum; & vel in æternitatis beatæ Sabbatho requieſcit â laboribus ſuis, vel pœnas deſidiæ ſuæ luit, ligatíſque manibus ac pedibus projicitur in tenebras æternæ noctis, nec ultrà in æternum videbit lumen, nec manus ſuas ad bene operandum,

ve-

vel pedes ad ambulandum poterit extendere, ſed ſicut ceciderit, ità jacebit, & neglectum vitæ hujus tempus amarè deplorabit, quo modicè laborando, æternam ſibi requiem & infinitam cœleſtis gloriæ mercedem lucrari potuiſſet. Idem quoque nos omnes nunc poſſumus, poſt paululum verò non poterimus. Ergo dum tempus habemus operemur bonum, poſt hanc vitam tempus non erit ampliùs. Et quidem jam adveſperaſcit, jam tenebroſa mortis nox ingruit, brevì nobis divinæ gratiæ Sol occidet, ac vitæ noſtræ clepſydra finietur. Tantò ferventiùs operi noſtro inſiſtamus, quantò minùs temporis nobis ſupereſt. Parum adhuc Cœlo dignum fecimus. Timendum valde, nè cùm Deus vitæ rationes â nobis exegerit, non niſì gehennæ ſupplicia pro noſtri operis ſtipendio reportemus.

MEDITATIO
Pro die 10. Auguſti.

Oportet ſemper orare, & non deficere. *Lucæ 18.*

MIſeri valde ſumus homunciones, multis ſubjecti neceſſitatibus & calamitatibus. In hujus vitæ rebus nos juvare non poſſumus, multò minùs ſufficientes ſumus ex nobis ad operandam animæ ſalutem,& gloriam cœleſtem obtinendam. Alienum ergo auxilium nobis eſt neceſſarium. Quis autem nos adjuvabit? nullus alius niſi Deus; Ille ſolus ſcit,& poteſt nos adjuvare. Vult autem ut in neceſſitatibus noſtris ad ipſum per orationem fiducialiter recurramus, & ſicut ſemper indigemus ejus gratiâ & miſericordiâ, ità illam ſemper imploremus. Non deficiet ipſius erga nos clementia & beneficentia, ſi noſtra erga ipſum devotio & confidentia non defecerit. Ad illum ergo ſemper levare debemus oculos, expectantes auxilium ab alto, innumeris hoſtium tam viſibilium, quàm inviſibilium inſultibus & oppugnationibus expoſiti, atq; in millenis vitæ non ſolùm temporalis, verùm etiam æternæ periculis conſtituti. Navigamus proceloſum vitæ hujus pelagus in navi valde lacera, per lubricum valde tramitem incedimus, inter tot hoſti-

les

les laqueos & inſidias, inter tot foveas & præcipitia, inter tot ſalutis diſcrimina â dextris & â ſiniſtris, ut niſì DEUS nos adjuverit, de ſalute noſtra penitus actum ſit. Ac proinde per ſingula pene momenta mille urgentes cauſas habemus, Deum precandi & jugiter clamandi: Domine ſalva nos, perimus. Hoc aſſiduè faciamus, & ſi nolumus pro ſalute noſtra laborando, & cum tot hoſtibus pugnando deficere, non deficiamus in orando. In Cœlo ſit omnis ſpes noſtra, inde nobis auxilium aſſiduè petendum. Non deſeret Deus in ejus miſericordia confidentes, neque confundet nos ab expectatione noſtra.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 11. Auguſti.

Patientes eſtote fratres uſque ad Adventum Domini. *Jacob. 5.*

Multas in hoc mundo tribulationes & adverſitates patiuntur Electi, non diu tamen durat afflictio & patientia ipſorum. Cùm venerit ipſorum Dominus, & vinculis hujus mortalitatis exutos ſecum ad vitam immortalem in Regnum ſuum cœleſte traduxerit, tunc videbunt, quàm breves ac modicæ fuerint vitæ hujus paſſiones. Omnes hæ celeriter unâ vice diffugient in Domini adventu. Ille poſt tempeſtatem ac nubila Electis ſuis ſerenitatem ac tranquillitatem adducet, nullo deinceps luctu turbandam vel obnubilandam. Adventu ergo Domini nos conſolari oportet, ac per ſingula momenta ſuſpirare, ut adveniat Regnum ipſius, útq; nos ex captivitate vitæ hujus mortalis ereptos, ſecum faciat in cœleſti gloria æternùm conregnare. Interim verò patientiam in hoc mundo tenere debemus, imò ſemper hoc à Domino poſtulare, ut quamdiu peregrinamur ab ipſo, nos potiùs mala vitæ præſentis tolerare, quàm gaudijs & felicitate mundi hujus frui concedat. Qui modò gaudent, trepidabunt in Domini Adventu; qui verò plo-

plorant in abſentia Sponſi, gaudebunt in ejus præſentia, & cùm Dilectum ſuum ſemel tenuerint, nunquam illum ampliùs dimittent, ſed ipſo in ſempiternum fruentur. Et quidem propè eſt, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Si modicam adhuc moram fecerit, expecta eum, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Quantò nunc major & longior eſt tua patientia, tantò erit auctior tua in ejus adventu lætitia. Tantùm quodcunq; tibi adverſum evenerit ſuſtine, ac noli jucundos vitæ hujus dies mundanis invidere, qui poſt hanc vitam graviſſima patientur ſupplicia, nec ullius Redemptoris adventu ſe poterunt conſolari.

MEDITATIO

Pro die 12. Auguſti.

Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.

Oſee 13.

QVidquid homo boni habet, tam quoad naturalia, quàm ſupernaturalia, quicquid poteſt, in materia præſertim æternæ ſalutis, totum eſt â Deo, nihil habet ex ſemetipſo. E contra omne malum, præſertim ſpirituale, omnis animæ ruina & perditio ex ipſo eſt. Si peccando cadit, ſuâ infirmitate, vel etiam pravo libertatis uſu proſternitur; ſtat verò non propriâ virtute, ſed adjutorio divino ſuſtentatus. Si ab hoſtibus vulneratur, id per naturalem ipſius impotentiam & improvidentiam contingit, victor autem evadit non ſuis viribus, ſed cœleſti roboratus auxilio, Deíque clypeo protectus. Ruit ad inferos ſuâ culpâ, Dei autem gratiâ & miſericordiâ ſalvatur. Quicquid boni facit, loquitur aut cogitat, Dei donum eſt; quicquid è contra mali, ſive interiùs ſive exteriùs operatur, non Deo eſt attribuendum, ſed perverſæ ipſius hominis voluntati. Nemo igitur in Deum ruinæ ſuæ culpam vel cauſam referat. Non vult ſuprema ejus bonitas perditionem cujusquam, ſed potiùs hominis cu-

Digitized by Google

cujusq; ſalutem anhelat, offert illi ſufficientia media & auxilia, quibus hoſtes ſuos debellare, inferni pericula evadere, ac Cœlum promereri poſſit. Homo autem omnia hæc Dei auxilia in vacuum recipit, non ſalutem, ſed perditionem ſuam operatur, & per ſupremam malitiam occidit ipſe animam ſuam, nec proinde ulli æternùm magìs iraſcetur, quàm ſibi ipſi. Quisquis ergo gloriatur, in Domino glorietur; huic omnia ſua bona, ſibi verò omne malum attribuat; auxilium Dei ſemper humili cum fiducia imploret, & hoc unicè caveat, nè ſeipſum contra Dei voluntatem æterna ipſi bona faventem finaliter perdat.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 13. Auguſti.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.
Actor. 14.

QVicunque ad Cœlum vult pervenire, neceſſarium eſt, ut multas in hoc mundo adverſitates ſuſtineat, & per viam Crucis, ac quotidianæ mortificationis incedat. Si aliâ faciliori viâ poſſet quis ad Cœlum pertingere, Chriſtus Dominus Matrem ſuam dilectiſſimam, Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos, alióſq; ſibi chariſſimos & amiciſſimos per hanc viam nón duxiſſet, qui omnes magnas in hoc mundo anguſtias, preſſuras atque dolores ſuſtinuerunt. Noli ergo tibi unquam imaginari, te aliâ viâ ad Cœlum pervenire poſſe, quàm illâ, quam tot Sancti, qui modò in Cœlis cum Chriſto regnant, in mortali hac vita calcârunt, & per quam ipſe Dei Filius inceſſit, nam & ipſum dura pati oportuit, atq; ità demum intrare in gloriam ſuam. Noli ergo contriſtari, vel animo concidere, quoties tibi â Deo immiſſæ fuerint tribulationes, quin potiùs eas libenter atque gratanter ſuſcipe, & pro divinæ bonitatis, miſericordiæ ac prædeſtinationis ſigno reputa. Si non vis in hoc mundo pati ac tribulari,

lari, non vis inter Dei Electos computari. Si non vis ambulare per viam Sanctæ Crucis, non vis pervenire ad ſcopum æternæ ſalutis. Si vis in hac vita frui gaudijs atque delicijs, vitæ alterius dulcedinem nunquam deguſtabis. Nullus enim poteſt hìc gaudere cum mundo, & ibi æternùm lætari cum Chriſto. Sed neceſſarium, ut vel hìc temporaliter, vel ibi æternaliter malè habeat. Elige quod vis. Si ſapis, facilè contemnes omnia mundi gaudia, quæ hominem perducunt ad æterna lamenta. Et gaudebis in omni tribulatione, quòd dignus ſis in ſorte filiorum Dei computari, quos Pater ille amantiſſimus in hac vita caſtigat & flagellat, in altera verò pro patientiæ ipſorum merito remunerat & coronat.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 14. Auguſti.

Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. *Matth. 7.*

MAgna eſt conſolatio cuicunque indigenti, ſi promiſſum ſibi habeat ſubſidium & auxilium, modò illud petat. Omnes nos homines miſeri ſumus & pauperes, divino auxilio in omnibus,& ubique indigentes; paratam ſe offert Divina Bonitas ad ſubveniendum & auxiliandum nobis, & largienda gratiæ ſuæ munera, ſi modò nos ipſi hæc quærere,& â Domino fiducialiter petere velimus. Et quid facilius eſt in neceſſitate conſtituto, quàm alienum implorare auxilium? Qui recuſat illud petere aut quærere, non eſt dignus invenire. Nec tantùm petere,ſed etiam inſtanter pulſare oportet fores divinæ miſericordiæ. Etiamſi forſitan multæ hominibus gratiæ ad ſalutem neceſſariæ deſint, nunquam tamen deeſt gratia illas â Deo poſtulandi, & humili prece obtinendi. Imò non vult Deus ullum nobis conferre auxilium,niſì per orationem; hæc eſt canalis quidam, per quem omnes divinæ gratiæ ad nos derivantur. Si quis parum hacte-

Digitized by Google

nus â Deo beneficij accepit, parum petiit, unde nec meruit obtinere, & ſibi ipſi, non Deo debet hoc imputare. Tanta enim eſt DEI bonitas & miſericordia, ut etiam ipſe hominem præveniat, & incitet ad petendum, quin & ultroneè media ad ſalutem utilia ſuggerat, ut nec opus ſit multùm ea quærere; cor ipſius gratiæ ſuæ digito interiùs pulſet, ut divinæ miſericordiæ fores ſibi petat aperiri. Quòd ſi petere, quærere ac pulſare negligit, Dei bonitatem & miſericordiam, nec non animæ ſuæ ſalutem protervè contemnit.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 15. Auguſti.

Pietas ad omnia utilis eſt.

1. Tim. 4.

SI ad nihil aliud valeret pietas erga Deum, ſeu vitæ ſanctitas & animi devotio, quàm ut homini divinam gratiam in præſenti, & gloriam in futuro ſæculo promereretur, omni modo ac ſtudio nobis eſſet ſectanda. Non eſt verò tantùm utilis ad bona ſupernaturalia, verùm etiam naturalia â Deo conſequenda, non tantùm ad ſpiritualia & æterna, ſed etiam ad corporalia, ſeu temporalia quæcunque beneficia cœlitus obtinenda, habens promiſſionem non tantùm futuræ, ſed etiam præſentis vitæ ac felicitatis. Conſidera pium aliquem hominem, & videbis, quòd habeat tranquillam mentem, animi pacem, gaudium conſcientiæ, integritatem famæ, puritatem corporis, ſecuritatem in periculis, adjutorium in tentationibus, ſolamen in adverſis, jucunditatem in vita, lætitiam & fiduciam in morte, ab hominibus venerationem, â Deo gratiam & benedictionem, â quo ipſi Regnum Cœlorum in altera vita paratur, & vitæ præſentis ſubſidia liberaliter adjiciuntur. Quicquid vult pius homo, quicquid ſibi utile deſiderat, totum â Deo per pietatem conſequitur, longè meliùs

Digitized by Google

ùs ac certiùs, quàm ſi humano labore atq; induſtriâ illud conſequi niteretur. Stude igitur pietati & quicquid tibi eſſe poteſt utile, per illam obtinebis. Exaudit enim Deus non tantùm precem, verùmetiam juſtitiam noſtram, & pios homines in mille dulcedinum benedictionibus ſolet prævenire. Econtra fuge omnem impietatem, quæ ad nihil utilis eſt, ſed omnibus noxia ſemper & pernicioſa. Noli attendere, quòd tibi ſuavis videatur & commoda, non eſt hæc tua utilitas, ſed animæ tuæ perditio. In altera vita pleniùs videbitur, quid pius ex ſua pietate, quid impius ex impietate ſua lucri ſeu commodi ſit conſecutus.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 16. Auguſti.

Plenitudo legis eſt dilectio. *Rom. 13.*

MUlta ſunt præcepta nobis data, quæ omnia in memoria retinere difficile tibi fortaſſe videbitur. Vis breviſſimam omnium præceptorum ſummam, & legis univerſæ compendium? habe hoc unicum præceptum in memoria & corde tuo, ut Deum diligas; qui enim hunc diligit, legem univerſam implevit. Si Deum verè dilexeris, omnem ipſius offenſam cavebis, & nihil voluntariè committes, quod noveris Dilecto tuo quomodolibet diſplicere; nullum in te mundi ſeu vanitatis amor locum inveniet, nihil erit adeò pulchrum & delectabile, quod non libenter Dei amore contemnas; nihil tam durum & aſperum, quod non ex eodem Dei amore patientiſſimè, imò & gaudentiſſimè ſufferas; toto corde ipſi ſervies, & tuam voluntatem ipſius voluntati in omnibus conformare ſtudebis; totum tibi diſplicebit, quicquid ages in hoc ſæculo, præ dulcedine Dilecti tui; fient tibi lacrymæ tuæ panes die ac nocte, quamdiu dicetur tibi: ubi eſt Deus tuus; perfectionis denique culmen attinges, & cui hìc unitus fueris per amorem, eidem in altera vita copula-

laberis per beatam viſionem ac fruitionem. Ah! quid eſt, quòd homines tam parum diligunt infinitam Dei bonitatem? cùm tamen in ejus dilectione ſita ſit plenitudo legis, plenitudo meriti, plenitudo gratiæ, plenitudo perfectionis & ſanctitatis, imò & plenitudo ipſius beatitudinis. Propone te in amore Dei frequentiùs ac ferventiùs deinceps exercere. Si dilectionem Dei habueris, hæc tibi ad æternæ vitæ meritum copiosè ſufficiet, & quicquid eâ dictante feceris, tibi proderit ad æternæ vitæ meritum. Sinè illa verò quicquid habueris, nihil tibi ad ſalutem & gloriam conducere poterit.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 17. Auguſti.

Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum.

Matth. 3.

CLauſum fuit olim Regnum Cœlorum, hodie verò ad ipſum liber patet introitus; & quamvis videatur eſſe â nobis procul elongatum, magìs tamen & magìs nobis ſemper appropinquat, ſicut magìs & magìs appropiat extrema vitæ noſtræ hora, quæ cùm advenerit, unico paſſu & momento ex hac mortali vita in Cœleſte Regnum ingredi poterimus. Interim per ſingula momenta ſimus illi propiores; clamat ad nos magno affectu Mater noſtra Cœleſtis Jeruſalem, crebróq; ſono nos hortatur, & dicit: venite filij mei dilectiſſimi, priusquam oſtium Paradiſi claudatur, unusquisque veſtrûm citò properet, ut introiens in æternum cum Domino regnet. Præparate vosmetipſos, ut videatis immortalem Sponſum, & poſſideatis Regna Cœlorum. Cùm Regnum Cœlorum nobis præparatum adveniat, eſt omnino congruum nos etiam ad illud præparari. Hæc autem præparatio in eo potiſſimùm conſiſtit, ut peccata noſtra per debitam

tam dignámque pœnitentiam abluamus, nósq; mundemus ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, ſícq; dignos reddamus Cœleſti Regno, in quod nihil immundum, & coinquinatum introibit; nè alioquin Regnum pro nobis ſit paratum, ſed qui regnare debuerant non inveniantur digni. Sicut Regnum Cælorum, ità etiam ſervitus & captivitas inferorum appropinquat. Qui noluerit regnare cum Chriſto, ſerviet in æternum diabolo. Et quidem prope eſt utriusq; tempus. Si non vis de peccatis pœnitere, ut Regnum cœleſte introeas, age pœnitentiam, ut gehennæ calamitatem evadas, alioquin te ſalutis neglectæ in æternum pœnitebit.

MEDITATIO

Pro die 18. Auguſti.

Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. *Aggæi. 1.*

IMprudens & incautus eſt viator, qui aliò mente abſtractus, viæ ſuæ terminum non recogitat, nec advertit, an rectum teneat iter, an deviet, & quò tandem itinerando ſit perventurus; multò minùs tollit pedum ſuorum offendicula, aut vitare ſtudet pericula & occaſiones ruinarum. Omnes in hoc mundo ſumus viatores, ad cœleſtem patriam tendentes; non debemus alijs quibuscunq; negotijs vel affectibus occupare corda noſtra, ſenſus & cogitationes noſtras, ſed eſſe jugiter intenti & attenti ſuper vias noſtras, illas omni momento conſiderare, quales ſint, & quò ducant, omnia quoque removere offendicula, & pericula caſuum pro poſſibili vitare, ut ſalvi & incolumes ad terminum noſtrum perveniamus. Pauci tamen hoc faciunt in peregrinatione ſua, ſed oculos ſuos & corda ſua mundi vanitatibus ac nugis paſcunt & oblectant, nihil curantes quò pergant, vel quò tandem perveniant. Si oculos ſuos debitè aperirent, viderent viam, per quam vadunt, non eſſe viam vitæ, ſed mortis, & rectà ducere ad inferos. Ipſi verò parum curant vel recogitant, ut

viæ

Digitized by Google

viæ terminum, ità & peregrinationis ſuæ pericula. In lubrico incedunt, inter mille præcipitia, non attendunt ſibi tamen, nè corruant; ambulant inter infinitos propemodum laqueos & inſidias hoſtium, nihilominus tanquam ſecuri omnino eſſent, mentibus & cordibus ſuis aliò ſunt abſtracti. Brevì tamen miſeri videbunt, cùm ad terminum viæ ſuæ pervenerint, quàm devia & ſtulta fuerit via ipſorum. Non dabitur verò ampliùs facultas viam mutandi, ſeu repetendi, ſed in termino, ad quem ſemel pervenerint, in æternum infelices permanebunt.

MEDITATIO

Pro die 19. Auguſti.

Poſt concupiſcentias tuas non eas, & â voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

Eccli. 18.

INter omnes hominis hoſtes, nullus eſt major & pernicioſior homini, quàm ipſe homo; niſì enim ipſe velit, nullus ipſi nocere poteſt. Ipſe vult ſuam perditionem, ipſe ſuum concupiſcit interitum. Voluntas propria & concupiſcentia ipſum perdit, & facit ex ipſo gaudium inimicis ipſius. Si ergo ſalutis tuæ amans es ô homo, noli unquam ſequi pravas animæ tuæ concupiſcentias, & propriæ voluntatis appetitus, avertere ab illis, eíſq; reſiſte. Concupiſcit anima tua mundi vanitates & carnis voluptates, noli eidem concedere vel præſtare quod concupiſcit, ſed fræno prudentiæ ac ſtimulo mortificationis illam ab ejusmodi rebus procul retrahe; Eſt enim ſicut equus cœco naturæ impetu currens in interitum, cujus niſì prohibeas cupiditatem, unà cum ipſo peribis. Si vult concupiſcere, ſalubria tibi & ſibi,

Digitized by Google

bi, non pernicioſa cupiat; Deum ſequatur Ductorem, juſſis ejus obtemperet, & juſtificationes ejus concupiſcat in omni tempore. Quod ſi fecerit, æternam tibi ſalutem adferet, pariet tibi gaudium & lætitiam, luctum verò ac triſtitiam inimicis tuis. Vide igitur quid agas. Si nunc oderis animam tuam, & pravos ejus appetitus mortificando, illam ad modicum contriſtaveris, lætificabit & ſalvabit te; ſi autem illam blandè tractaveris, eíque fueris vanè lenocinatus, æternùm te contriſtabit. Ridebunt tunc inimici tui, & gaudebunt, te, quem nolentem ipſi perdere nunquam potuiſſent, propriæ voluntatis & concupiſcentiæ ductu ruiſſe in interitum.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 20. Auguſti.

Præterit figura hujus mundi. *1. Cor. 7.*

VIdiſti aliquando produci actiones theatrales, ſpectâſti Reges, Duces ac milites, & perſonarum omnis generis inductiones, Aularum ſplendores, Principum ſatellitia, pretioſos veſtium apparatus, mutationes perſonarum, ſcenarum elegantias & varietates, quarum unaquælibet exiguo durat tempore, mox alia ſubſequitur brevì ſimiliter tranſitura, donec univerſa finiatur actio. Non aliter in hoc mundo res agitur. Quid aliud eſt mundus, quàm grande theatrum? quid aliud figura mundi, quàm tragica quædam actio? in qua quot ſunt hominum generationes, tot ſcenæ diverſæ producuntur. Vides jam hos Duces & Principes, hos Reges & Monarchas, divites, glorioſos & potentes; vides diverſos hominum ſtatus, & univerſum hunc ſæculi apparatum; non diu hæc figura manebit, ſed brevì præteribit; poſt parvum tempus claudentur omnia, novis ſemper ſcenis ſuccedentibus, donec veniat ultima illa & horribilis extremi judicij ſcena, per quam univerſa hæc mundi actio lugubri

Digitized by Google

ſine concludetur. Ubi tunc erit figura hujus mundi? ubi Regna & imperia? ubi honores? ubi pompæ? ubi divitiarum ſplendores? ubi gaudia & voluptates ſæculi? nihil ex his remanebit, novam mundus iſte figuram induet, ac duæ ſolummodo deinceps ſcenæ in perpetuum agentur, una reproborum in gehenna flentium & ſtridentium, altera Beatorum in Cœlo gaudentium. Noli ergo vanam & tranſitoriam hujus mundi figuram & pulchritudinem diligere, dimitte omnes ſæculi hujus vanitates, quæ nihil ſunt aliud, quàm inanes pompæ ac nugæ theatricæ. In puncto claudentur hæc omnia. Finem ultimum cogita, qui nunquam præteribit. Et ſic vive, ut vitæ tuæ ſcenam bono fine concludas.

MEDITATIO

Pro die 21. Auguſti.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. *Pſal. 115.*

NEceſſarium eſt illud eſſe pretioſum, quo res pretioſa comparatur. Quid pretioſius, quid majus, quid æſtimabilius Regno cœleſti? hoc tamen ſuâ morte Sancti lucrantur. Valde igitur pretioſa eſt mors Sanctorum in conſpectu Domini, qui eandem ſuſcipit pro pretio Regni cœleſtis, eíque infinitos gloriæ cœleſtis theſauros rependit. Hoc autem pretium morti vita bona conciliat, hæc eſt, quæ mortem Sanctorum reddit pretioſam; iſta viciſſim merita ipſorum optato fine ac cœleſtis gloriæ præmio coronat. Eodem mortis pretio redimuntur â ſanctis hominibus calamitates & moleſtiæ hujus vitæ præſentis, quibus proinde mori magnum eſt lucrum, quia moriendo ex hac valle lacrymarum & calamitatis migrant ad regionem æterni gaudij ac felicitatis. His mors nihil eſt aliud, quàm introitus ad vitam. Vis & tu aliquando â Deo conſequi Regnum Cœlorum, hoc ab ip-

Digitized by Google

ſo facilè obtinebis, ſi eidem mortem bonam & ſanctam in pretium obtuleris; hæc autem bona & ſancta non erit, nisi vita bona & ſancta præceſſerit. Qualis enim vita, talis mors. Stude igitur bene & ſanctè vivere, ac bonorum operum merita tibi coacervare, & uſque in finem DEO fidelis perſeverare. Hoc ſi feceris, erit pariter mors tua in conſpectu Domini pretioſa, ac retribuet tibi pro illa pretioſiſſimam æternæ gloriæ coronam.



Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 22. Auguſti.

Prope eſt dies Domini.

Joëlis. 1.

Conſidera diem extremi judicij, ultimam illam & horribilem mundi ſcenam, cùm omnia concutientur elementa, omne cor trepidabit, columnæ Cœli contremiſcent, & pavebit omnis militia Cœlorum, cùm Dominus advenerit diſcernere populum ſuum, & reprobos ab Electis ſegregatos detrudere cum animabus & corporibus in ignem æternum. Quantus erit in illa die mortalium tremor & horror? maximè illorum, qui modò illum diem parum recogitant, qui tamen prope eſt. Multò adhuc propior eſt dies Adventûs Domini particularis, quo veniet animam tuam dividere â corpore, quo illam ad ſuum citabit tribunal, & omnia ejus opera ſeveriſſimâ judicij ſui ſtaterâ ponderabit, æternáque illi decernet vel præmia vel ſupplicia. Hunc tamen diem ô homo tam parum recogitas; ſcis quòd illum evadere non poſſis, ſed quòd neceſſariò debeas aliquando migrare de hoc ſæculo, ut reddas Deo vitæ tuæ rationem, & tamen ità vivis, ac ſi nec

mors eſſet, nec judicium, nec Cœli præmium, nec gehennæ tormentum. O qualis hæc dementia! clamant ſcripturæ: prope eſt dies Domini; clamat ipſe Dominus & Judex: ecce venio; nihil tamen curant mortales diem & adventum Domini ſui, & quantò ille fit propinquior, tantò negligentia & malitia ipſorum fit protractior. Cùm ergo repentè venerit, corripiet imparatos; quales invenerit, tales judicabit, & judicatos toti mundo in extremi judicij die manifeſtabit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 23. Auguſti.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. *Gen. 3.*

VIlis eſt terra, vilior eſt pulvis, exilis ac minutus, aridus & ſterilis, qui ubique calcatur, qui omnia inficit, & modico auræ motu repentè difflatur, ut neſciatur quò venerit. Quid eſt aliud homo, quàm pulvis? veſtitus es pelle & carnibus, oſſibus ac nervis compactus, nihil ſunt hæc aliud, quàm pulvis; ſanus tibi videris ac robuſtus, vultu rubes, nec niſì vitam ſpiras, nihil tamen es niſì pulvis. Audiviſti aliquando de pomis terræ Sodomorum, quòd foris quidem pulcherrima videantur, cùm verò modicùm fuerint compreſſa, fatiſcant in merum & vagum pulverem. Ità & tu, quamvis pulcher & vividus foris appareas, nihil tamen es aliud, quàm pulvis umbratili velatus ſpecie. Quicunque te laudant, ſuſpiciunt aut venerantur, pulverem æſtimant & honorant. Si non credis te eſſe pulverem, docebis hoc alios poſt mortem, quam non potes effugere. Sicut modico vento pulvis difflatur, ità & tu morbo aut caſu quopiam tibi ſuperveniente, repentè abripieris ex hoc mundo,

nec de te quicquam remanebit, niſì pulvis, ante pulverem nudata pellibus oſſa, ante hæc cadaver turpius ac fœtidius quocunque ſterquilinio. Vilem hanc corporis tui materiam frequenter recogita. Si pulvis es, humum & humilia pete. Videns te Deus humiliatum colliget, ac ſublimabit de terræ pulvere in gloriam; ſi autem voluerit pulvis præſumptuosè alta petere, diſperdet illum Deus ſpiritu oris ſui, ut ſe recolligere non poſſit in æternum.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 24. Auguſti.

Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.

Matth. 17.

OMnes ſumus in hoc mundo viatores, & per viam hujus vitæ ad patriam noſtram pertingere, ac Cœli portam aliquando ingredi ſperamus. Diverſæ ſunt tamen viæ hominum. Vadunt plurimi per viam latam & ſpatioſam, pulchram ac delicioſam, neſciunt tamen quò vadant. Cùm ad extrema vitæ ſuæ pervenerint, ac terminum ejus infelicem attigerint, tunc primò videbunt ſe ſtultè ac infeliciter ambulâſſe. Via enim, quæ ducit ad vitam & felicitatem æternam, non eſt lata, ſed anguſta. Multùm oportet in ea premi & anguſtiari hominem. Inſuper moleſta eſt, aſpera & ſpinoſa, quam ob cauſam tam pauci per illam vadunt, ſed viam eligunt latiorem, cujus tanta eſt latitudo, ut potior mundi pars per eam decurrat ad latè patentes gehennæ portas & fauces inferi. La-

Digitized by Google

ta & ampla eſt inferni janua; è contra Cœli porta eſt valde anguſta, & pauci ſunt, qui eam inveniunt, quia pauci per vias ad illam ducentes incedunt. Si ergo vis ad vitam aliquando ingredi, debes viam eò ducentem tenere, & in hoc mundo multùm eſſe preſſus & anguſtiatus, conſtrictus & afflictus; magno etiam uti conatu ac violentiâ, ut per viæ ac portæ illius anguſtiam ad patriam cœleſtem penetrare poſſis. Noli multùm attendere qualis ſit via, ſed quò ducat. Viæ anguſtæ, arctæ & aſperæ ducunt ad auguſtiſſima Cœli Palatia, per vias verò amplas ac delicioſas ad gehennæ carcerem pervenitur.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 25. Auguſti.

Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Matth. 25.*

IMaginare tibi, ſi Chriſtum in carne viſibilem, nudum & egentem ad te venire contingeret, quanta illi obſequia & charitatis atque miſericordiæ officia exhiberes. Procul dubio intimi amoris affectu illi miniſtrares, quicquid haberes & quicquid poſſes boni eidem præſtares, ut ejus gratiam & gloriam in charitatis tuæ remunerationem promereri poſſes. Quod Chriſto in carne apparenti & converſanti, afflicto & egenti faceres, hoc fac minimo cuivis proximo, tuâ ope indigenti; quicquid illi beneficentiæ præſtiteris, totum ſibi præſtitum Chriſtus reputabit, qui quidem in ſemetipſo non indiget miſericordiâ tuâ, regnat enim glorioſus in Cœlis, indiget verò tuâ charitate ac beneficentia in membris ſuis, Confratribus & proximis tuis, in quibus multipliciter anxiatur & infirmatur, fame, ſiti, nuditate, aliiſque doloribus & ærumnis conficitur; quibus quidem ipſemet de Cœlo ſubvenire poſſet, non vult autem, nè tibi occaſionem tollat per opera miſeri-

cor-

Digitized by Google

cordiæ Cœlum promerendi. Quotieſcunq; igitur videris aliquem è proximis tuis quâcunque preſſum neceſſitate, illi alacriter ſubveni. Gaude quòd occaſionem habeas Chriſtum in ipſo fovendi & conſolandi. Tu verò contrarium facis, & Chriſtum in proximis tuis egentem & anguſtiatum non tantùm non adjuvas, ſed magìs affligis & contriſtas. Nunquid legiſti? quòd Chriſtus Dominus in extremo judicij die ſola ferè miſericordiæ opera in electis ſuis collaudabit, & ſolum miſericordiæ neglectum impijs exprobrabit. Miſericordes in illo die miſericordiam â Domino conſequentur, immiſericordes verò judicium ſinè miſericordia ſuſtinebunt.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 26. Auguſti.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. *Pſal. 30.*

Videtur hic mundus magnas & varias habere dulcedines, quibus homines mundani oblectantur. Dulcis eſt honor ambitioſis, libidinoſis voluptas, avaris divitiarum poſſeſſio. Omnes tamen hæ terrenæ dulcedines reſpectu cœleſtium ſunt tanquam ſtilla reſpectu Oceani, nec vocandæ ſunt dulcedines, ſed potiùs amaritudines. Uva delectationis omnis mundanæ, quam filij hominum tantopere concupiſcunt, non eſt uva mellis, ſed fellis, & botri omnium terreſtrium voluptatum botri amariſſimi. Vera dulcedo non in terra, ſed in Cœlo eſt quærenda, ubi Divina Majeſtas, quæ eſt omnium deliciarum, omnis jucunditatis ac felicitatis pelagus inexhauſtum, Sanctos ſuos copioſiſſimo voluptatum Cœleſtium torrente potat. Abſcondita eſt â ſenſibus mortalium illa magna & multiplex dulcedo, infinita illa ubertas deliciarum domûs Dei, nec â nobis nisì fide ſolâ percipitur. Nullus eam novit, nisì qui accipit. Magnitudinem ejus quis

quis enarrabit? non capit illam cor mortalium, non guſtabit eam homo & vivet. Ut autem homini poſt hanc vitam illâ frui concedatur, debet in hac vita omnes mundi ſuavitates ac dulcedines faſtidire. Sic aliquando cœleſtis illa dulcedo, quæ modò latet abſcondita, etiam in ipſo revelabitur, eâdémque cum omnibus Dei Electis copiosè perfundetur; & cùm ſemel os ſuum ad dulcedinis illius inexhauſtæ fontem appoſuerit, æternùm illâ potabitur ſinè fine felix. O ſi homines dulcedinis illius multitudinem & magnitudinem conſiderarent, nullam profectò in hac vita dulcedinem quærerent, nullam refugerent amaritudinem.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 27. Auguſti.

Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. *Eccli. 3.*

QVi Turrim vel aliam quamcunque ſtructuram ædificat, quò majus futurum eſt ædificium, eò profundiùs jacit fundamentum, alioquin quantò altiùs ſtructuram erigit, tantò propinquiorem ruinæ facit. Sublimantur etiam homines in hoc mundo ad culmina dignitatum, niſi tamen profundo humilitatis fundamento fuerint ſolidati, facilè â ſuperbiæ vento ad ima deturbantur. Quantò ergo majores & altiores foris apparent, tantò debent eſſe demiſſiores & humiliores interiùs, imò & exteriùs in omnibus dictis & factis ſuis, nihil ſibi arrogare, nihil præſumere, ſe miſeriores & infeliciores alijs reputare, utpote quorum ùt gradus altior, ità ſtatus eſt periculoſior, lapſus facilior, obligatio major, culpa gravior, ſeverius judicium, excuſatio difficilior, & pœna horribilior. Filij autem hominum quò magis fuerint honorificati & exaltati, eò altiùs per ſuperbiam inflantur, & evaneſcunt in cogitationibus ſuis. Et quia ſuper arena vanæ gloriæ ſtru-

Digitized by Google

ſtructuram poſuerunt, citò univerſum corruit ædifi-
cium, quod nullùm habuit humilitatis fundamentũ.
Miſerè tandem collabuntur, tantòque fit ruina ipſo-
rumgravior,quantò fuit gradus ſublimior. Humilita-
te ſolâ præſervari â caſu potuiſſent,quæ quidem om-
nibus ad gratiam & clementiam Dei promerendam
eſt neceſſaria, magìs tamen illis, qui aliquâ honoris
eminentiâ inter homines excellunt. Nam in gravio-
ri ſalutis periculo verſantur,& niſì DivinaClementia
ipſis ſuccurrat, quantò potentiores fuerunt in hoc
ſæculo, tantò potentiùs in altero tormenta ſuſtine-
bunt. Hæc meditare. Si ſapis, magnus eſſe nun-
quam appetes; ſi verò magnus es, animum per hu-
militatem deprime, per hanc ſolam te cuſto-
dire ac præſervare potes â periculo casûs
& perditionis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 28. Auguſti.

Quantùm glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *Apocal. 18.*

SEctantur homines in hoc mundo delicias & vanam gloriam, ſuperbiæ vacant & luxuriæ, voluptatibus & vanâ ſui nominis æſtimatione paſcuntur, permittit illos Deus ad modicum exultare, luxuriari ac deliciari in mundi hujus prato, tanquam juvencos macello deſtinatos, brevì autem finem accipiet libido, ſuperbia ac petulantia ipſorum; quantò magìs glorificati, jucundati ac deliciati fuerint in hac vita, tantò magìs humiliabuntur, lugebunt ac torquebuntur in altera vita. Noli autem putare, quòd ſicut parva, brevis ac momentanea fuit gloria & voluptas, ità etiam brevì tranſitura ſint ipſorum ſupplicia & lamenta; citò quidem gloria & jucunditas illorum vana & modica finem accipiet, nunquam verò tranſibit luctus & cruciatus ipſorum, & infinities major erit, quàm fuerit vitæ prioris gaudium & oblectatio. Modicum valde mellis in hoc mundo guſtârunt, quod ipſorum viſcera æternùm

ſaciet amaricari. Noli ergo vitæ hujus delicias concupiſcere, noli gloriam hujus mundi æſtimare. Si gloriam vis appetere, non brevem, ſed æternam appete; ſi delicias quæris, noli quærere tranſeuntes, ſed æternùm permanentes. Humilia te potiùs, & mortifica in hoc ſæculo. Quantò enim te magìs humiliaveris hìc & mortificaveris, tantò majòrem gloriam, voluptatem & jucunditatem percipies in futurò. Et quidem humilitas tua & mortificatio exilis brevi durabit tempore, gloria verò & beatitudo erit immenſa & ineffabilis, nec ullo unquam fine concludetur.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 29. Auguſti.

Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur â tinea. *Job. 13.*

RES putredinis contagio ſemel infecta ſenſim magìs & magìs abſumitur, uſque dum tota ſit conſumpta. Similiter veſtimentum, quod â tineis comeditur, ſenſim magìs & magìs perforatur, uſque dum totum ſit deſtructum & annihilatum. Sic etiam fit cum homine, qui etiam dum vivit putreſcit, & fœtidis atque corruptis ſemper ſtagnat humoribus; quem calor nativus tamdiu abſumit, uſque dum conſumat; in cujus vivente ſubſtantia vermes tamdiu paſcuntur, uſque dum illis plenè in eſcam cedat, & ſic rationalis illa creatura fiat cadaver putidum & abominabile, ac tandem in pulverem ſuum revertatur. Noli ergo carnis humanæ gloriam magnipendere. Sit hodie pulchra & formoſa, nihil eſt aliud, quàm putredo roſeo colore obducta, quæ cras poteſt eſſe fœtida & cadaveroſa. Vides hodie divitem aliquem ac potentem, qui etiam faciat ſub pedibus ſuis terram tremere, no-

li ejus potentiam magni æſtimare, gloria ejus ſtercus eſt, brevì comedet ipſum tinea, & operimentum ejus erunt vermes. Hæc mortalium ſors eſt inevitabilis, ſint magni, ſint parvi, ſint pauperes, ſint opulenti, omnes hac viâ revertuntur in terram ſuam. Utinam ità ſuam vitam in hoc mundo inſtituerent, ut ſaltèm ſpiritum ſervarent integrum ab omni carnalis fæculentiæ contagio illæſum, & veſtimentum gratiæ incorruptum, uſque in illum diem, quo corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc aſſumet immortalitatem.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 30. Auguſti.

Quaſi â facie colubri fuge peccata. *Eccli. 21.*

TIment homines â facie colubri, & fugiunt viſum procul ſerpentem, eò quòd in ipſo virus mortiferum lateat, eóſque ſuo morſu perimere poſſit; non timent verò peccatum, imò illud voluntariè committunt, quod tamen eſt longè perniciosius. Nullus coluber ità noxium habet virus; ſi enim morſu hominem feriat, ſolum corpus perimit, & hominem ex hac vita mortali ſenſim eripit; peccatum verò animam occidit in inſtanti, & quidem, quantum in ipſo eſt, æternaliter. Quisquis igitur ſalutis tuæ amans es, horre ac fuge peccatum, in cujus mille periculis, quamdiu vivis, es conſtitutus; per ſingula enim momenta peſtilentiſſimus hic coluber tuo inſidiatur calcaneo. Si modò illæſus evadas ab hoc colubro, ſalvus eris in æternum. Si autem ab illo feriaris, metuendum eſt, nè â plaga ſecundùm corpus & animam intereas. Deus enim, qui nos â facie hujus colubri fugere admonuit, medicinam quidem contra morſum ipſius inſtituit, ejus tamen poſt morſum obtinendæ gratiam nulli promiſit.

ſit. Quot ſunt hominum milliones, qui â ſerpente hoc demorſi, priusquam pœnitentiæ remedium ſibi adhiberent, vel adhibere poſſent, ſubitò è vivis abrepti miſere periêrunt. O! ſi homines hæc vivaciter conſiderarent, non tantùm peccata, ſed omnes ipſorum etiam remotiſſimas occaſiones, & quamcunq; mali ſpeciem ac umbram omni ſtudio fugerent ac declinarent. Ipſi verò ſponte ſectantur hos colubros, quin etiam ipſos voluntariè progenerant, per quorum tamen venena brevì mortem incurrent ſempiternam.

MEDITATIO

Pro die 31. Auguſti.

Quæ eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens. *Jacobi 4.*

QVid vapore tenuius ac fugacius? aſcendit de terra vel aqua, modicùm apparet, paulò pòſt vel â calore, vel â vento diſſipatur, & in auras evaneſcit. Talis eſt vita mortalium, etiam dum videtur eſſe firma & conſtans; hodie eſt, & cras deſinit; viget hac horâ, & alterâ exterminatur. O! quot habemus rei hujus exempla. Quot milleni homines, cùm optimâ frui valetudine viderentur, ſubitò apoplexiâ, vel alio morbo correpti vitam clauſerunt. Quot homines in flòre juventutis ſaniſſimi ac fortiſſimi, caſibus improviſis repentè ſunt obtriti. Noli ergo dicere: hodie vel cras ibo in hanc vel illam civitatem; noli dicere: faciam hoc vel illud alterâ horâ, altero momento, neſcis enim, an alterum momentum vivendo attinges, neſcis quod inſtans pro vitæ tuæ termino ſit â Deo conſtitutum, quod cùm venerit, præteriri nequaquam poterit. Dum cubitum veſpere concedis, cogita te manè vix ſurrecturum, & manè ſurgens veſperum tibi non audeas polliceri. Mille mortis caſibus & periculis

per ſingula momenta es ſubjectus. Modico flatu vapor extenuatur ac diſſipatur; ſic & vita hominis levi de cauſa è mundo tollitur, & anima de corporis ſui habitaculo exterminatur. Dimitte igitur omnia, quæ cum tam labili vita tranſeunt, curam habe temporis nunquam tranſituri, quod non erit tanquam vapor ad modicum parens, ſed perenniter deinceps permanebit. Noli dicere: hodie vel cras convertar, & bene vivere incipiam, ſed quod vis facere, fac citò, hac horâ, hoc inſtanti. Non crede, nec fide vapori. Ità vive, ut cùm hæc vita tua mortalis, fluxa & evanida exterminabitur, vitam conſequaris ſtabilem ac immortalem.

MEDITATIO

Pro die 1. Septembris.

Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt. *Iſaiæ. 55.*

MAxima eſt ſtultitia velle aliquid facere, illud tamen differre in tempus, quo jam redditur impoſſibile. Profitetur quilibet Chriſtianus ſe Dominum aliquando velle invenire, velle ab illo exaudiri, & in Regnum cœleſte intromitti, & tamen nec ipſum quærit, dum invenire poteſt, nec invocat, quamdiu poteſt exaudiri. In hac ſolùm vita Dominus inveniri poteſt, ità ut deinde poſſideatur in altera; modò Clementia ipſius poteſt exorari, quamdiu prope eſt, quamdiu ſuper nos puteus inferni non claudit os ſuum, nec immane illud chaos inter nos & Cœlum firmatur. In altera vita nullus Deum poterit invenire, qui non invenit in hac vita, non erit ampliùs quærendi locus, aut tempus invocandi. Quamobrem occaſione præſenti utendum eſt. Quamdiu vivimus, Dominum ſeriò quæramus & invocemus, nunc tempus acceptabile, tempus Divinæ Clementiæ ac miſerationis.

Quære igitur nunc Dominum, aliàs ipſum nunquam invenies, ſed illo privaberis in æternum. Invoca ipſum nunc, ut te clementer exaudiat, aliàs in æternum clamabis, nec tamen erit ullus, qui clamantem exaudiat; elongabit ſe procul â reprobis Divina Clementia, eósque inexorabilis juſtitia ipſius torquebit. Obliviſcetur tunc miſereri Deus, & continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Meritò autem Deo in æternum privabitur, qui eum dum prope erat, ſéque ipſum ſponte offerebat, invenire noluit; meritò clementiâ ipſius in perpetuum carebit, qui ad ſinum gratiæ illius in hac vita noluit recurrere.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 2. Septembris.

Quærite Dominum, quærite manſvetum, ſi quo modo abſcondamini in die furoris Domini. *Sophoniæ 2.*

SI homines â quopiam ſæculi hujus Rege aut Principe culpæ veniam aut gratiam aliquam velint petere, obſervant tempus, quo ipſum nôrunt fore clementem, manſvetum & exorabilem; nè alioquin ſuæ petitionis effectu fruſtrentur. Habent hoc erga ſæculi Principes uſitatum in rebus parvi quandoque momenti, erga Deum verò non obſervant, & quidem in materia æternæ ipſorum ſalutis. Nunc cœleſtis ipſorum Dominus eſt manſvetus & miſericors, ad beneficia ſuæ gratiæ conferenda, & culparum debita remittenda pronus ac liberalis; nunc bonitas & clementia ipſius facilè poteſt exorari; Ipſi tamen opportunum hoc tempus negligunt, peccatorum ſuorum veniam ab illo poſtulare nolunt, & reconciliationem cum ipſo ad ulteriora tempora differunt, neque recogitant, quòd is, qui nunc ſe hominibus exhibet manſvetum & tractabilem,

lem, paulò pòſt futurus ſit terribilis, & omnino in
exorabilis, omnes & ſingulos juxta operum ſuoru
merita diſtrictè judicaturus, â quo nulla gratia, nu
la miſericordia poterit ampliùs impetrari, ſed ſoliu
juſtitiæ ſententia & executio expectari. Illis tan
tùm parcet, qui ejus gratiam & clementiam in hac v
ta minimè rejecerunt; alijs verò immitis erit ac into
lerabilis, arguet illos & corripiet in ira ſua, rugiet u
leo, omnémque ſuum furorem in ipſos effundet
Fruſtra tunc miſeri petras invocabunt & ſpeluncas
fruſtra optabunt â facie ipſius abſcondi. Sola tun
ipſius clementia & miſericordia â communi tribula
tione ac damnatione proteget Electos. Hanc mo
dò pro futuro illo judicij ac furoris tempore conſe
qui poſſumus, nunquam verò deinde ampliùs
in æternum.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 3. Septembris.

Quærite primùm Regnũ Dei, & juſtitiam ejus, & omnia adjicientur vobis. *Matth. 6.*

REgnum Cœlorum nobis principaliter quærendum eſt, atque â Deo petendum, quærenda verò etiam atque ſectanda juſtitia, ſinè qua Regnum Cœlorum â nemine invenitur aut obtinetur. Cætera quæcunque bona temporalia, ſive ſint intrà nos, ùt ſunt varia corporis & animi talenta; ſive ſint extra nos, ùt ſunt omnia ad vitæ hujus temporalis ſuſtentationem neceſſaria, non ſunt petenda, nisì quatenus conducunt ad obtinendum Regnum DEI. Fuerunt enim ſimilia multis occaſio ruinæ ſpiritualis, ac perditionis æternæ. Deo igitur totum committendum, ejúſque gratia & clementia juſtitiæ operibus concilianda; qui bene operantibus principale promiſit (cœleſtem videlicet gloriam) minora hæc non denegabit, prout illa ſpirituali commodo ipſorum ac ſaluti viderit congruere. Filij autem hominum de his temporalibus principaliter ſunt ſoliciti, curam habent corporis, animæ nullam; ſectantur vanitates mundi, non Regnum Dei,

Dei, adeóque ſe illo reddunt indignos, quod vilibus hiſce ac tranſitorijs rebus poſtponunt, quas nec pro libitu ſuo conſequuntur. Alijs è contra parum vel nihil hæc temporalia curantibus, & ſolum Dei Regnum per juſtitiam quærentibus non illud ſolum donat, ſed etiam vitæ hujus neceſſaria Deus adjicit, ut verum reddatur illud: quòd pietas ad omnia ſit utilis. Sectare igitur virtutem & pietatem, ſectare media vitæ ſpiritualis, quod ſi feceris, Deus tibi etiam adjiciet media vitæ corporalis. Noli autem animæ corpus præponere, noli propter bona hæc temporalia Regnum Dei prodigere, noli ſolicitus eſſe de craſtino, & nihil curare de æterno, nè alioquin & craſtino priveris & æterno.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 4. Septembris.

Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. *Gal. 6.*

VIdiſti agros diverſis frumentorum generibus conſitos, in quibus hoc excreſcit, quod fuit ſeminatum. Si avena ſeritur, creſcit avena; ſi triticum, ſeges tritici metitur. Omnes in hoc mundo ſumus coloni, & diverſa ſpargimus operum ſemina, quæ nobis fructum proferre debent in altera vita. Hoc quod ſeminavit unusquisque recipiet, ſive bonum ſive malum. Seminant peccatores gaudentes & exultantes mala ſuæ perverſitatis ſemina in ſulcis injuſtitiæ, ſed metunt deinde mala in centuplum. Et è contra juſti flentes atq; lugentes mittunt ſemina ſua cum lacrymis, in multo labore ac dolore, in ærumnis ac tribulationibus multis, bonum facientes non deficiunt. Manent jacta hæc utraque ſemina, & ſinuntur creſcere uſque ad meſſem, nec videtur in hoc mundo, quis aliquando futurus ſit fructus eorum. Veniet autem ſubitò tempus meſſis, quæ erit in die judicij, ſeu univerſalis ſeu particularis, ubi quisque, quod ab ipſo in hac vita ſeminatum fuit, copiosè metet, atque recipiet, vel

vel pro malorum operum ſemente mala ſempiterna, vel poſt jacta virtutum ſemina fructus æternæ gloriæ, & tunc cum exultatione portabit manipulos ſuos. Semina igitur bonum ſemen in agro tuo, in terra conſcientiæ tuæ, & quicquid mali hucuſque ſeminatum fuit, evelle. Tempus meſſis prope eſt, poſt hanc nullum ampliùs ſerendi tempus habebis, ſed quicquid in hac vita ſeminaveris, in altera vel cum perenni gaudio, vel cum æterno dolore metes.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 5. Septembris.

Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. *Coloſſ. 3.*

DUplici ſubſtantiâ conſtat homo, unâ ſpirituali & quodammodo cœleſti, alterâ verò corporali ſeu terreſtri. Spiritualis illa ſubſtantia eſt hominis anima, incorporea & immortalis, ratione ac libertate prædita, â Deo cœlitus inſpirata, ſecundùm quam homo ad ſimilitudinem Dei creatus eſt, & ad viſionem ac fruitionem ejus æternam ordinatus. Corpus verò hoc ſordidum, mortale ac corruptibile, nihil eſt aliud, quàm nobiliſſimæ hujus ſubſtantiæ veſtis & calceamentum, domicilium, ſeu potiùs carcer. Cùm ergo anima deſurſum ſit, ſurſum affectibus ſuis ac deſiderijs ferri debet, ſuperna ſeu cœleſtia cogitare & appetere. Et quamvis inhabitet corpus hoc terreſtre, fœtidum ac cœnoſum, quamvis degat in hoc mundo immundo, ubi omnia plena ſunt ſordibus & inquinamentis, omnia fœda, lubrica & viſcoſa, debet nihilominus hæc univerſa mentis volatu tranſcendere, nec permittere ſe terrenis mundi ſordibus aut carnis obſcœnæ conſortio maculari vel contaminari; illa tantùm, quæ ſur-

ſum ſunt, ſapere, ſurſum affectibus ſuis collimare, ibi centrum ipſius eſt, ibi victura eſt in æternum; terreſtria verò debet contemnere, nec ſuis affectibus mundo aut carni adhærere. Sit alioquin millies pulchra, per hæc redditur fœda & abominabilis; ſit ex ſe immortalis, per hæc moritur & corrumpitur; ſit nata Cœlo, per hæc in gehennam deprimitur. Surſum igitur corda mentéſque levemus, illa ſapiamus, illa quæramus & appetamus, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram. Superiùs vera eſt beatitudo & felicitas, in mundo nihil aliud, quàm animæ deceptio, afflictio ſpiritûs, & vanitas vanitatum.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 6. Septembris.

Quæ videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. 2. *Cor.* 4.

QVæcunque bona in hoc mundò ab hominibus videntur ac poſſidentur, brevia ſunt ac tranſitoria. Vides aliquem honoratum ac potentem, brevì ſepelietur gloria & dignitas ipſius; vides aliquem divitem ac opulentum, brevì divitiæ ipſius aliò tranſibunt ac peribunt; vides aliquem delicioſis fruentem diebus, brevì per mortem abrumpetur ipſius gaudium, brevì dulcedo & voluptas ipſius finem accipiet. Sic omnia mundi hujus bona vix adepta & poſſeſſa citò tranſeunt; univerſa hujus mundi pulchritudo, aurum, gemmæ, veſtes pretioſæ, throni atque palatia, omnia corruptioni ſunt obnoxia, quin & ipſe mundus ad occaſum feſtinat, & poſt modicum tempus præteribit. Dantur verò alia bona inviſibilia, quæ Deus diligentibus ſe in altera vita præparavit; hæc æternùm durant, & ſinè fine poſſidentur; non obtinentur verò nisì terreſtrium ſeu viſibilium bonorum contemptu. Quid igitur eſt cauſæ, quòd ho-

Digitized by Google

mines viſibilibus ac temporalibus hiſce bonis adhæreant, æternis illis ſeu inviſibilibus contemptis? non alia eſt, quàm hæc ipſa, quòd bona terreſtria videantur & ſenſibus percipiantur, illa verò per fidem duntaxat cognoſcantur; fides verò hæc tepida eſt & languida, infirma & mortua. Ante omnia igitur firmiſſimâ fide credendum eſt, dari bona æterna, quæ juſtis retribuuntur in altera vita, utì & mala ſempiterna, impijs in inferno præparata. Qui hoc firmiter crediderit, ac menti ſuæ vivaciter impreſſerit, facilè omnia vitæ hujus mala expectatione cœleſtium bonorum patienter ſuſtinebit, & ſpe inviſibilium viſibilia quæq; mundi bona contemnet, hæc enim utraque, tam mala quàm bona veloci fine concludi ad oculum docet quotidiana experientia; ut, qui nihilominus viſibilia hæc æſtimant, ſtulti meritò ſint vocandi, quorum tamen ſtultitia æterno igne plectetur.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 7. Septembris.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus. *Pſ. 41.*

IMaginare tibi cervum ſiti magnâ æſtuantem, quanto non cum deſiderio aquam appetit, quantâ non cum aviditate ac velocitate ad fontem properat, ut ſitim ſuam extinguat. Deus eſt fons, quem anima noſtra ſitire debet in hac terra deſerta, & invia, & inaquoſa; qui bibit ſemel ex hoc fonte, non ſitit ampliùs in æternum. Paucæ, ſalſæ, ac cœnoſæ mundi hujus aquæ, ſitim ad modicum tempus levant, imò non tam levant, quàm accendunt. Sitit ambitioſus honores, avarus pecunias, luxurioſus carnis voluptates, quæ tamen omnia quantò plùs bibit, tantò minùs deſiderio ſuo ſatisfacit, ſed majori ſemper ſiti torquetur. Non ſic Deus, qui â Beatis in cœleſti gloria poſſeſſus & guſtatus, illos plenè ſatiat, nec ſolùm fonte, ſed etiam torrente ſuæ voluptatis affluentiſſimè potat. Quanta ergo eſt mortalium ſtultitia? qui hunc fontem aquæ vivæ dimittunt, & in hoc mundo ſibi fodiunt ciſternas laceras ac diſſipatas, quæ continere non valent aquas, & has qui-

 dem

Digitized by Google

dem ad modicum tempus ſapidas, poſt paululum verò amaras & mortiferas. Faſtidienda potiùs omnia in hoc mundo, Deus ſolus deſiderandus, & quidem quanto cum fervore ac celeritate cervus ad fontes aquarum properat, tanto cum deſiderio & aviditate, tantis cum mentis affectibus & cordis motibus anima ſuſpirare ac properare debet ad fontem ſuum. Noli putare te in virtute aliquid profeciſſe, nisì fontem illum ex intimo cordis affectu jugiter anheles. Opta quotidie os tuum applicari ad dulciſſimum ac deſideratiſſimum illum fontem, quem nullus guſtabit, nisì qui eum in hac vita ſitivit, & mundi hujus lacunas contempſit.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 8. Septembris.

Quem diligit Dominus corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi. *Proverb. 3.*

QVicunque Pater filium ſuum verè diligit, diverſimode ipſum exercet, motus ac impetus ipſius juveniles frangit & mortificat, durè ipſum educat, diverſis applicat ſtudijs atq; laboribus, peccantem ſeverè corripit ac flagellat, quicquid eſt in ipſo vitioſi præſecat, hócque unum ſolicitè curat, ut ipſum paternâ hæreditate dignum reddat; cúmque ipſum videt ſub diſciplina & inſtructione ſua quotidie proficientem, in ipſo magnopere ſibi complacet; filios autem alienos, quibus nullam hæreditatis partem reſervat, licèt fortaſſe ad educandum ſuſceperit, ſicut minùs diligit, ità minùs curat, nec multùm illos corripit, licèt videat exerrantes. Agit ſic etiam nobiſcum Deus, qui Pater eſt omnium, præcipuè verò illorum, quos ſibi per gratiam prædeſtinationis in filios, & Regni Cœleſtis hæredes ſpecialiter adoptat; hos ſeveriori ſub diſciplina educat, malè operantibus nihil parcit, quin etiam innocentes durè tractat, & patientiam ipſorum diverſis

contrarietatibus exercet. Alios verò, quibus nullam hæreditatis portionem reſervat, permittit ire ſecundùm deſideria cordis eorum. Veniet verò tempus, cùm hos ſeverè corripiet, & pro ſuis exceſſibus non ùt Pater, ſed ùt judex diſtrictè puniet, filios autem ſuos, quos in hac vita ſeverè caſtigavit, in hæreditatem Regni Cœleſtis introducet. Quàm ergo ſtultè agunt, qui optant per hanc vitam â Dei flagellis eſſe immunes. Tu, ſi ſapis, noli eſſe immunis â flagello, nè alioquin partem nullam habeas in teſtamento. Complacet ſibi Deus in patientia & profectu tuo, complace tu tibi in divina gratia & clementia. Roga Deum, nè te â ſorte filiorum excludat, hìc te potiùs arguat & caſtiget, hìc tibi nihil parcat, nè poſtea te in ira ſua corripiat, & in æternum plectat.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 9. Septembris.

Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. *Joann. 12.*

UNicus hic noſter debet eſſe labor, hæc cura & ſolicitudo principalis, ut animas noſtras conſervemus, eáſque in vitam æternam cuſtodiamus. Quas ſi amittimus, vel interire patimur, actum eſt nobiſcum, toti perimus. Medium illas conſervandi eſt odium illarum. Si quem odimus, illum affligimus & mortificamus, ejus inclinationibus ac deſiderijs contrà nitimur. Qui ſic odit animam ſuam in hoc mundo, illam â prohibitis ſæculi bonis arcendo, & mala, hoc eſt dura, moleſta & dolorifica eidem inferendo, cuſtodit illam in vitam æternam, & ſempiterna bona illi promeretur. Filij autem hominum amant in hoc mundo animas ſuas, pravis earum deſiderijs obſeqvuntur, nolunt illas per modicum vitæ hujus tempus mortificare & contriſtare, nihil ipſis negant, quidcunque de ſæculi vanitatibus concupiſcunt, in peccata ruentes non retrahunt, & blandiuntur illis in æternam ipſarum perdi-

tionem. Non eſt hoc amare, ſed odiſſe. Hæc vera eſt animæ dilectio, ſi nihil illicitum ipſi permittas, nihil ipſi diſſimules aut parcas, cupiditates illius frangas, ſeverè illam tractes, ac duris virtutum laboribus exerceas, hoc modo promoves æternam ipſius ſalutem. Si verò ipſam molliter habeas, occidis illam, æternáque illi ſupplicia præparas. Affligatur potiùs & mortificetur, ac ſeveriori diſciplinæ ſubjiciatur in hac vita, ut poſt mortem gaudeat, illámq; ſalvam ac beatam in æternum poſſideas; ſi ſecùs egeris, ſerò dolebis te ſalutem ipſius profudiſſe, ipſámq; unà tecum perdidiſſe. Perditam ſemel nunquam recuperabis in æternum.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 10. Septembris.

Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſq; timore ullo filij hominum perpetrant mala. *Eccle. 8.*

SI quamprimùm peccant homines, fulmine vel apoplexiâ tangerentur,& mortui corruerent, rara eſſent peccata in mundo. Nunc verò liberè paſſim in ſcelera proruunt, & abſque ullo timore flagitia perpetrant, quia vident, quòd ipſis multoties peccantibus nihil acciderit triſte. Hinc peccata peccatis adjiciunt, Deúmque magìs & magìs irritant, dicentes in cordibus ſuis: non requiret. Non recogitant verò, quòd Deus ſit patiens redditor, & licèt omnia oculi ejus videant, & aures audiant, nihilominus clementiſſimè ac patientiſſimè ſuſtineat vaſa iræ apta in interitum, & impijs det locum ac tempus pœnitentiæ, ut convertantur & vivant, nolens quenquam perire, ſed omnes ad ſinum Clementiæ ſuæ reverti. Hac verò Dei miſericordiâ & clementiâ homines abutuntur in malum ſuum, & ex illa proniores fiunt ad peccandum. Tantò autem graviùs à Deo punientur, quantò nunc patientiùs ab ipſo

ipſo tolerantur. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Intellige & tu, ac tecum recogita, quoties contra te proferri â Deo potuiſſet damnationis æternæ ſententia. Niſi miſericordia Dei te adjuviſſet, pridem habitâſſet in inferno anima tua. Agnoſce bonitatem ejus & clementiam; noli tamen de illa nimiùm præſumere, & ex illa capere pravitatis tuæ fomentum, ac pœnitentiam differre. Subitò namq; contra te revelabitur ira Dei, quæ nunc oculos tuos latet. Miſericordia ejus tunc vertetur in furorem, nec ulla pœnitentia te ampliùs juvabit. Si Deum eſſe credis, bonum age, & vindictam ejus time; nè alioquin ipſum, quem modò ſilentem ac patientem contemnis, ſeverum in gehenna ſentias ultorem.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 11. Septembris.

Quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. *Apocal. 3.*

SOlent tepida nauſeam & vomitum hominibus procreare, quod non faciunt calida nec frigida. Sic etiam homines tepidi magnam Deo pariunt diſplicentiam ac nauſeam. Calidi, hoc eſt, in charitate ferventes, eidem ſunt acceptiſſimi; frigidi verò quanquam ſint ab illo remoti, eidémq; ad tempus exoſi, tamen poſtquam incaleſcunt, ſéque ad ipſum convertunt, magnâ in illum dilectione ſólent eſſe accenſi. Tepidi, qui nec calent, nec plenè frigent, qui nec Deo ſunt grati, nec penitus ab ipſo rejecti, tepiditate atque acediâ ſuâ vomitum illi provocant, & merentur ejici ex ore ipſius, hoc eſt, gratiâ & amore illius excidere. Quid horribilius, quid periculoſius, quàm â Deo tanquam pútidum quid & abominabile evomi, abjici, deſpici & conculcari? ſi te ille projiciat ex ore ſuo, procul â facie ſua, quæ tibi ſpes reliqua ſalutis eſſe poteſt? mentis ergo teporem atque torporem excute; non ſufficiat tibi, quòd frigidus non ſis, ſed calidus eſſe ſtude, ſpiritum

tum tuum pijs & flagrantibus deſiderijs atque affe-
ctibus inflamma, & charitatis in te fervorem ſuſcita.
Qualem erga Deum atque divina te geſſeris, talem
erga te Deum habebis. Si tu erga Deum, réſq; divinas
nauſeam conceperis, ejúſque obſequia tepidè,
pigrè ac nauſeabundè, ùt conſvevisti, peregeris, etiam
Deo nauſeam tui procreabis, nec tantùm inutile,
ſed etiam exoſum illi erit obſequium tuum, ac
metuendum habebis, nè ab illius gratia penitus rejectus
ac deſertus, ex tepido fias omnino frigidus, &
pereas in æternum, ignibus gehennæ deputatus, qui
vitæ hujus tempore in divinis exercitijs & obſequijs
fervere, & charitatis ignem in te fovere
noluiſti.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 12. Septembris.

Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. *Jacobi 2.*

QVid prodeſt in ſtadio currenti, ſi benè currat, in fine autem deficiat, offendat & cadat? quid prodeſt furi ad patibulum ducto legem in omnibus ſervâſſe, ſi tandem furando ipſam violaverit? Eſt enim hac unicâ transgreſſione mortem æquè promeritus, acſi centum latrocinia & graviora mille facinora commiſiſſet. Sic etiam parum prodeſt homini in ordine ad vitam vel pœnam æternam, pleraque Dei præcepta ſervâſſe, ſi vel contra unum graviter deliquerit, ejus enim transgreſſio ad æternam damnationem ſufficit, & qui offendit in uno, fit omnium reus, hoc eſt, non minùs gehennæ adjudicatur, quàm ſi omnia mundi ſcelera perpetrâſſet. Quantâ igitur curâ & ſolicitudine debet homo ſibi attendere, nè in ullum mortale peccatum labatur, in cujus tamen mille periculis per ſingula momenta ſumus conſtituti. Ubique nos mundus vanitatibus ſuis allicit, & pedibus noſtris laqueos extendit; caro nos aſſiduè in malum ſolicitat; dæmon

tam

tam viſibilibus, quàm inviſibilibus medijs tentat; penes hæc incertum eſt vitæ noſtræ tempus, certa mors, & æterna ſcelerum pœna; nihilominus tam parum ſalutem noſtram curamus, pedes noſtros â laqueis & offendiculis non cuſtodimus, in peccata quotidie labimur, & ſæpe nec ſcimus quando impingimus, offendimus & corruimus, gehennæ reatu coram Dei oculis obſtricti. Si ſapimus, vel minimam quamcunq; peccati offenſam omni ſtudio caveamus, neſcimus enim, an poſt lapſum aliquod ultra vivendi aut reſurgendi tempus habebimus. Multi unico caſu ſunt colliſi, & ſalutem æternam unico lapſu perdiderunt. Securius eſt nunquam peccare, quàm vel ſemel tantùm peccando, animam æternæ perditionis ac damnationis periculo ſubjicere.

MEDITATIO

Pro die 13. Septembris.

Quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. *Matth. 20.*

NIhil in hoc mundo ambiendum eſt ac deſiderandum. Bona enim ſæculi præſentis in altero ſæculo vertuntur in mala, dulcia in amara. Quicquid hìc magnum eſt, ibi eſt parvum; è contra quicquid hìc parvum & humile, ibi magnum eſt ac ſublime, inclytum & glorioſum. Nullus ergo ambiat magnus eſſe in hoc mundo, ſed quicunque vult eſſe magnus, ſit hìc parvus; qui voluerit eſſe Dominus, ſit hìc ſervus & miniſter. Nemo magnus in hoc telluris puncto. Omnis gloria & dominatio hujus mundi vana eſt, ac celeri fine concluditur. In Cœlo verus eſt honor, ibi gloria & dominatio æternùm durat. Magni autem ibi non erunt, nisì qui ſe in hac vita humiliaverint, & tantò magìs ibi quis exaltabitur, quantò ſe magìs in hoc ſæculo depreſſerit. Ipſe Chriſtus Salvator noſter, ut cœleſtis gloriæ thronum, & nominis ſui exaltatio-

 nem

Digitized by Google

nem obtineret, priùs debuit humiliari. Unde venit in hunc mundum miniſtrare, non miniſtrari, humiliavit ſemetipſum in omnibus uſque ad contemptiſſimam mortem. Si ergo culmen veri honoris obtinere deſideras, non quære illud in præſenti ſæculo, ſed in futuro. Ut ibi fias magnus & ſublimis, eſto hìc parvus & humilis; non appete hìc primatum, imò potiùs quære omnium eſſe ultimus, omnium te ſervum profitere. Invide alijs, qui te inferiores in hac vita eſſe videntur, quia in altera erunt majores & glorioſiores. Non eſt alia via certior ad gloriam & exaltationem, quàm humilitas, nec alia via proclivior ad caſum & depreſſionem, quàm primatus, & gloriæ ſæcularis ambitio.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 14. Septembris.

Qui delicatè â pueritia nutrit ſèrvum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem. *Proverb. 29.*

COgita ſi ſervum aliquem ad obſequia tua deputatum haberes, illúmque â pueritia molliter tractares, delicatè ipſum nutrires, otio ac ſomno torpeſcere ſineres, & blanditijs uſque ad provectam ætatem foveres, deinde verò, poſtquã ſic tenerè ac molliter excreviſſet, ipſius ſervitio uti velles, & ſedulum ab ipſo exigeres obſequium; non haberes procul dubio ipſum tibi obſequentem, ſed contumacem ſentires ac protervum, vitæ mollioris otia ſectantem, labores faſtidientem, & juſſa tua contemnentem. Fruſtra tunc primò ipſum emendare aut erudire velles, ſed antea ipſum corripere ac flagellare, duris moleſtíſque laboribus aſſveſacere, ad obſequia tua promptum & obedientem reddere, cervicem illius curvare & frangere, & nihil malitiæ, aut pigritiæ ipſi connivere debuiſſes. Habes nunc etiam tu ſervum, & quidem valde malum, videlicet corpus tuum, quod obſequi debet animæ, ipſiq; ad bonum inſervire. Si hunc ſervum â pueritia deli-

catè nutris; & molliter etiamnum tractas, non habebis rationi obtemperantem, ſed illi frequentiùs reluctantem & recalcitrantem. Habes & plures alios ſervos, malas videlicet animi paſſiones & cupiditates, quibus anima tua præeſſe debet, iíſque dominari. Hos omnes duro rationis imperio coërce. Corpus tuum imprimis acerbè tracta, deinde omnes appetitûs tui paſſiones doma & refræna, nihílque ipſis illicitum permitte. Hoc niſi feceris, ſpernent paulatim hi ſervi peſſimi animæ dominatum, imò ſuæ illam ſubjicient ſervituti, ac tandem æternum ex illa facient gehennæ mancipium.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 15. Septembris.

Qui deſcenderit ad inferos non aſcendet. *Job. 7.*

IMaginare tibi horrendum gehennæ barathrum, & ferreos atq; adamantinos terreſtris globi parietes, profundiſſimam illam cavitatem ex omni parte ambientes. Cogita quàm denſæ ibi ſint tenebræ, quàm intolerabilis fœtor, quàm lugubris ſonitus & planctus. Conſidera tenebroſum illum ignem ſemper edentem, nunquam tamen conſumentem, & miſeros homines flammeis rudentibus atque compedibus eidem alligatos, quibus aſſiſtunt crudeliſſimi carnifices ac tortores, qui novis ſemper pœnis atque ſupplicijs ipſos infatigabiliter afficiunt. Væ ibi perpetuum reſonat, nulla ibi vel minima reperitur conſolatio, ſed omnis cogitabilis dolor & cruciatus. O! quanto eſſet ſolatio damnatis ad illum carcerem, ſi ſpem habere poſſent ſaltèm poſt millenos annorum milliones ex abyſſo illa tenebroſa & horrenda, in quam pro culparum ſuarum meritis deſcenderunt, aſcendendi, & in hanc lucem aliquando emergendi. Sed miſeri nunquam ampliùs inde aſcendent, ex quo ſemel infernalis puteus ſuper illos clauſerit os ſuum. Magnum & perpetuum chaos inter

ipſos,& hanc mundi lucem erit firmatum. Ejul bunt atq; plorabunt miſeri ſinè fine, & agent tota æternitatem in lamentis,in fletu ac ſtridore dentiun Horrenda ſunt hæc atque tremenda, & tamen quà facilè homines in illud gehennæ barathrum prol buntur.. Nullus ab ejus periculo eſt liber, unicu peccatum,unica obſcœna carnis aut mentis oblecta tio ſufficiens eſt, ut homo pro illius reatu æternù luat. O! utinam hæc mortales vivaciter perpende rent,& deſcenderent cogitationibus ſuis in infernu viventes, profectò non deſcenderent morientes Unica tua cura & ſolicitudo ſit ô homo, nè ad illum locum tormentorum aliquando devenias.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 16. Septembris.

Quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi.

Job 31.14.

CONſidera furem quempiam aut latronem in carcere detentum, & capitali judicio reſervatum; quantâ non cum anxietate cogitat de judice jam jam venturo? quantâ non cum ſolicitudine ſecum perquirit, quid illi ad quæſita ſit reſponſurus, ut condemnationis ſententiam poſſit evadere? omnes nos ſumus peccatores, & coram Deo plurium flagitiorum rei. Detinemur tantisper in hoc mundano carcere, in hoc carnis ergaſtulo, donec ſupremus Judex ſibi tempus accipiat, & ſurgat ad judicandum. Tunc repentè hinc evocamur ad terrificum illud tribunal, coram quo ſevera fit diſcuſſio omnium operum noſtrorum, & ſi reperta ſit in nobis iniquitas, nec ad quæſita poſſimus reſpondere, damnationis æternæ ſententia contra nos profertur, quam conſequitur æternum gehennæ ſupplicium. Unicuique igitur maturè ac ſolicitè cogitandum eſt, quomodo in horrendo illo judicio poſſit aliquando

Digitized by Google

ſubſiſtere, ac dicendum frequenter: quid ſum miſer tunc dicturus, quid facturus? nihil haud dubiè tunc ampliùs facere poterit, & nihil dicere, conſcientiæ propriæ judicio convictus, nec unum pró mille Judici reſpondere. Nunc ergo bonum quisq; faciat, quamdiu facere poteſt, nunc malum fugiat, & nihil Judicis quæſtione aut damnatione dignum committat. Quamdiu quoque Judex eſt placabilis, pro peccatis ante commiſſis miſericordiam ejus & clementiam exorare, ac bonis pœnitentiæ operibus ſibi conciliare non intermittat, & cùm hæc omnia fecerit, adhuc cum humilitate, metu ac tremore adventum ipſius expectet.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 17. Septembris.

Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. *Pſal. 10.*

AMaréſne corpus tuum, ſi ei noxia diligeres, & veneno illud interimeres? non amares haud dubiè, ſed odiſſes. Idem judicium eſt de anima, lethale ac perniciosum animæ virus eſt iniquitas, quam qui amat, odit animam ſuam. Nihilominus bibunt homines quotidie ſicut aquam iniquitatem, quæ ipſis non ſolùm temporaliter, ſed etiam æternaliter eſt exitioſa. Corporis venena fugiunt, & animæ virus diligunt, quo nobilem illam ſubſtantiam æternæ beatitudini deſtinatam, ac toto mundo pretioſiorem occidunt ac perdunt. Cujus dementiæ non alia eſt cauſa, quàm quòd venenum illud animæ ſit temporariæ delectationis melle conditum, & ſuaviter in animam influat. Sed vana eſt illa dulcedo; & finem habet amariſſimum, animæ videlicet mortem, & jacturam æternùm irreparabilem. O! ſi homines fructum hunc, & finem iniquitatis perpenderent, non tam facilè illam perpetrarent, nec animas ſuas momentaneæ delectationis causâ prodigerent. Amando iniquitatem illas ode-

runt, imò & ſe ipſos,& ſalutem ſuam. Hac tamen adeò pernicioſâ dementiâ inſanit potior pars generis humani, & pro momentanea vanitatis mundanæ, aut corporeæ voluptatis eſca venenum mortale deglutit. Tu, ſi amas animam tuam, teque ipſum & ſalutem tuam diligis, odio habe iniquitatem; & paratus eſto ſemper millies potiùs mortem corporalem oppetere, quàm iniquitatem committere, & tranſitorio mortiferi cujuscunque criminis actu animam tuam confodere, ac perdere in æternum.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 18. Septembris.

Quid mihi eſt in Cœlo? & â te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Pſal. 72.*

NEceſſarium eſt homini ad ſalutem, Deum ſuper omnia diligere. Si aliquid vel in Cœlo, vel ſuper terram, plùs quàm Deum, vel æquè diligis, ſalvus eſſe non potes; & quod ſic diligis, cordis tui DEUS eſt, tótque in corde tuo veneraris idola, quot mundi vanitates Deo in amore vel anteponis, vel coæquas. Et tamen hæc mundi bona tecum diu manere non poſſunt, fluxa & momentanea, vana & deceptoria ſunt omnia, quæ diligis. Si Deum verum ſuper omnia, & unicè dilexeris, erit pars tua Deus in æternum. Et quàm eſt facilè diligere Deum ſuper omnia, qui eſt ſuper omnia bonus & amabilis? beatus qui hoc facit, beatior autem, qui nihil omnino præter Deum ſive in terra, ſive in Cœlo diligit, quod non propter ipſum & amore ipſius diligat. Hic omnia mundi bona facilè contemnet, quæ ſcit ſibi eſſe impedimento ad Bonitatis Divinæ fruitionem; nulla etiam vitæ hujus adver-

verſa formidabit, modò Deum ſuum in altera vita conſequatur, & ſolum abhorrebit peccatum, tanquam malorum omnium maximum, quod illum ſeparat â Deo ſuo; nec Cœlum volet habere ſinèDeo, propter quem diligit omnia, quæ diligit. Cor ejus ſoli amori divino vacabit, Deus erit ipſius deſiderium, ſcopus & finis. Dic ergo frequenter: nihil mihi eſt in Cœlo Deus meus, nec â te vel extra te quidquam deſidero ſuper terram. Tu es Deus cordis mei, tu amor meus, tu ſpes, tu pars mea in æternum. Si hoc cum veritate non potes dicere, adhuc Deum ex toto corde ſuper omnia non diligis. Elimina quoscunque alienos amores ex corde tuo, Deum ſolum, & nihil aliud nisì in ipſo dilige. Quod ſi feceris, habebis ipſum, & frueris ipſo in æternum, quo nihil eſt ſuavius ac dulcius, nihil melius ac deſiderabilius in Cœlo & ſuper terram.

MEDITATIO

Pro die 19. Septembris.

Quid proderit homini de univerſo labore ſuo, & afflictione ſpiritûs, quâ ſub Sole cruciatus eſt?

Eccle. 2.

MAgnæ ſunt hominum curæ ac ſolicitudines, magni non modò corporum, ſed animorum quoq; labores & afflictiones in hoc mundo. Laborat ambitioſus pro vana gloria & honore, avarus conquirendis pecunijs ſe totum impendit, luxurioſus obſcœnas ſectando libidines ſe conſumit & exhaurit; diebus & noctibus miſeri pacem & quietem non habent, ſed in aſſiduo ſunt labore corporis & animi afflictione, qui tamen labor & afflictio nihil ipſis proderit poſt hanc vitam, cùm enim dormiêrint ſomnum ſuum, nihil invenient in manibus ſuis de rebus tanto ſtudio ac moleſtiâ conquiſitis; fruſtraneus erit omnis ipſorum labor, quo ſub Sole cruciati ſunt, perdent omnia in momento, & vacuis manibus diſcedere cogentur ad terram miſeriæ ac tenebrarum, nec alium ſui laboris fructum habebunt, quàm æterna gehennæ ſupplicia; videbunt ſe non niſì in damnum ſuum, & animarum ſuarum

rum perniciem laborâſſe, pro vanis ac brevibus mundi honoribus confuſionem perpetuam, pro divitijs iræ divinæ theſauros, pro carnalibus delicijs ſempiternos inferni dolores promeruiſſe. Hic eſt fructus humani laboris, quo ſub Sole miſer affligitur & cruciatur. Nè tu pariter cum vanis hominibus ſtulto labore conſumaris, non ſit labor tuus ſub Sole in terra, ſed ſuper Solem in Cœlis, ibi theſauriza tibi per bona opera theſauros indeficientes gloriæ ac beatitudinis æternæ, nè alioquin in vanum labores, & poſt vitæ hujus cruciatum alterius quoq; vitæ cruciatus incurras.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 20. Septembris.

Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua? *Job. 22.*

SI Deus ſervitute noſtrâ, quam ipſi debemus, indigeret, vel aliquam ex illa utilitatem caperet, eſſet adhuc valde magnì æſtimandum, quòd nobis pro illa ſuam gratiam conferat, & gloriam æternam repromittat. At non indiget ipſius Majeſtas noſtris obſequijs. Nihil ei prodeſt ſervitus noſtra. Magnus eſt Dominus, nullius egens, qui ſicut ab æterno fuit ſolus abſque ullis creaturis, ità ſolus in æternum manere poſſet, abſq; ullo creaturarum obſequio. Habet nunc in Cœlis plurimos Angelorum milliones ipſi obſequioſiſſimè miniſtrantes. Et ſi vellet, poſſet hodie innumeras diverſarum ſpecierum creaturas producere, centies ipſi devotiores & obſequioſiores, quàm nos ſumus. Etiamſi juxta poſſibilitatem noſtram illi ſerviamus, & ſanctè atq; immaculatè vivamus, nihil illi proſumus, nec illi quicquam donare poſſumus, cujus nos ipſi toti ſumus. Cur ergo tantópere vult, ut ſimus ſancti & immaculati? nihil ex parte ſua quærit, ſed vult præcisè bonum noſtrum, ut nobis pro vitæ merito, & ſervi-

tijs

tijs Majeſtati ſuæ impenſis conferre poſſit Regnum Cœlorum. Ex quo maxima ejus erga nos benignitas & charitas elucet. Quis non referat gratias tantæ Bonitati ? & dicat : O Domine Creator Cœlj & terræ, bonorum meorum non indiges, pro illis tamen æterna mihi præmia repromittis. Si juſtus fuero, mihi, non tibi ero; nihil tibi per ſervitia mea utilitatis accedit, tibi ſerviendo mihi ſervio, mihi laboro, mihi meto. Tibi laus ſit & gloria, mihi tua obtingat gratia & clementia. Reſpice oculo tuæ miſericordiæ ſervum tuum inutilem, ut qui nihil poteſt conferre tibi, ſaltèm proſit ſibi, & præmia miſericorditer â te illi promiſſa conſequatur.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 21. Septembris.

Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? *Matth. 16.*

MAgna eſt poſſeſſio totius orbis, quid tamen prodeſſet homini, ſi totum mundũ lucraretur, animæ verò ſuæ detrimentum per hoc pateretur? quid prodeſt magnæ rei breve dominium? maximè ſi Dominus propterea in æternum perit? magnæ dignitatis eſt anima, cujus pretium totius mundi ſubſtantia non adæquat. Hanc tamen ſtupidi mortales, non dico pro totius mundi lucro, ſed pro minima qualibet mundi vanitate prodigunt, & pro rebus viliſſimis ſtultam faciunt animæ commutationem. Modicum lucrantur, & ſe totos unà cum illo modico perdunt. Sunt etiam alij, qui proximorum converſionem ſitiunt, ſuam verò ſalutem negligunt, aliorum lucrari volunt animas, & ſuas ipſi amittunt. Quid verò podeſt homini, ſi totius mundi animas fuerit lucratus, ſuæ verò animæ jacturam incurrerit? nihil commodi vel ſolatij ad-

fert damnato, ſi multos ad ſalutem æternam perduxerit, propriæ verò ſalutis fuerit oblitus; ſi ſciat illos in Cœlis gaudere, ipſe verò in gehenna æternùm torqueatur. Prima ergo cura & ſolicitudo eſſe debet cuique circa ſeipſum. Stultum eſt velle alijs cum ſuo incomparabili & irreparabili diſpendio prodeſſe. Si animæ tuæ pretium præ aliarum quarumcunq; animarum pretio curare debes, multò magìs debes illud quibuscunq; vanitatibus, quibuscunque mundi bonis & ſubſtantijs præferre. Quæ omnia non lucra æſtimanda ſunt, ſed detrimenta. Hoc unum tibi proderit, ſi contemnendo temporalia lucratus fueris æterna; & ſic alienæ ſalutis negotio te impenderis, nè propriæ ſalutis oblitus, dementiam tuam in gehenna ſinè fine deplores.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 22. Septembris.

Qui non accipit Crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. *Matth. 10.*

SI Rex aliquis vel Dux militiæ ſubditis vel militibus ſuis ad faciendum aliquid mandata daret, iíſq; ſuo exemplo præiret, ipſi autem illum ſequi detrectarent, non eſſent digni tam bono Duce, neque ullum militiæ præmium, ſed ſocordiæ ac inobedientiæ ſuæ ſupplicium promererentur. Promittit nobis Dux Cœleſtis magna præmia, imò ſe ipſum in mercedem offert, ſi ipſum ſequi velimus, & facere ad quod ſuo nos hortatur verbo & exemplo. Accepit ille graviſſimam & duriſſimam paſſionis ac mortis crucem in humeros ſuos, & multis cum laboribus atque doloribus vitæ præſentis curſum tranſegit, nos verò molles ac delicati Crucem quamcunque licèt parvam odimus, carnis mortificationes abhorremus, delicioſos vitæ hujus dies concupiſcimus, mundi voluptates & gaudia ſectamur, Chriſtum in hac vita ſequi nolumus, & tamen in altera conſequi ſperamus. Nolumus facere quod ipſe verbo ſuo juſſit, & exemplo præſtitit, & tamen volumus obti-

nere quod promiſit. Quàm verò ſtultum eſt hoc & inſanum. Qui tanti Ducis mandata & exempla contemnit, indignus eſt omni gratiâ & mercede ab ipſo repromiſsâ, quæ in ejus conſecutione ac fruitione conſiſtit; imò digniſſimus procul â facie ipſius projici in æterna gehennæ ſupplicia. Quicunque igitur vult Chriſtum in gloria conſequi, ſequi ipſum debet in Crucis & mortificationis via. Quod quidem longè melius eſt, quàm æternùm illo privari, & crucem brevem ac parvam in hoc mundo abjicere, maximam verò, longiſſimam, atq; duriſſimam in gehenna æternùm portare.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 23. Septembris.

Qui parcè ſeminat, parcè & metet. 2. *Cor.* 9.

SEmentis tempus eſt vita noſtra in hoc mundo. Seminamus hîc, ut alibi metamus, ſive bonum ſive malum. Si quis ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet; & quidem ſicut ſeminaverit, ſive parcè ſive copiosè. Semina noſtra ſunt opera bona, ſeu merita, quæ nobis cœleſtis gloriæ fructum proferunt. Cogita tecum ô homo, quantum in Cœlo præmium totius vitæ tuæ ſpatio poſſis promereri. Habes ad bene operandum omnia neceſſaria, nec quicquam tibi deeſt nisì bona voluntas. Si velis, potes per omnes cogitatus, per omnia dicta & facta tua plurimum quotidie, imò per ſingula momenta lucrari. Nec minimus quidem paſſus, quem in Dei obſequio facis, nullum pium ſuſpirium ſinè remuneratione tranſibit. Nihilominus tam negligens ac tepidus es in bene operando, ac ſi Cœleſtis gloria, quam tibi Deus pro bonorum operum mercede promiſit, parvì eſſet æſtimabilis, & laboris tui pretio indigna. Sciunt ſoli Beati, quantì æſtimandus ſit & appetendus

Digitized by Google

vel unicus gradus cœleſtis gloriæ. Quòd ſi etiam aliquis in ipſorum animos cadere poſſet dolor, hoc unum dolerent, quòd non pluribus meritis gloriam ſuam auxiſſent. O! ſi liceret illis redire ad hanc vitam mortalem, quanta non bona facerent, quomodo laborarent, quomodo ſe affligerent & mortificarent, ut ſibi mercedem in Cœlis magìs & magìs augere poſſent. Quod illi non poſſunt ampliùs, tibi defacto conceditur. Adhuc labitur tempus acceptabile & lucroſum, potes modò ſi velis immenſum gloriæ pondus promereri. Poſt hoc tempus nullum ſimile habebis ampliùs, ſed tantum de fructu manuum tuarum recipies, quantum in vita fueris operatus.

MEDITATIO

Pro die 24. Septembris.

Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *Matth. 24.*

IN omni bono requiritur conſtantia. Ut quis miles aut ſervus â Duce vel Domino ſuo ſervitutis, aut militiæ ſuæ præmium conſequatur, debet illi fidelis uſque in finem perſeverare; nihil mercedis promeretur, ſi corrumpat in fine. Ut quis in ſtadio bravium obtineat, debet currere, uſque dum illud comprehendat; ſi deficiat in curſu, nihil lucratur. Ità etiam qui Deo ſervit ac militat, qui ad cœleſtis gloriæ bravium feſtinat, debet in labore & curſu perſeverare, nè alioquin propoſitum ſibi præmium ac mercedem perdat. Solus finis de unoquoq; judicat, & electum â reprobo diſcernit. Etiam reproborum vita ſæpe laudatur, quæ tamen ipſis nihil prodeſt, dum poſt fortia certamina ſuccumbunt in fine, naufragium in portu faciunt, & collectas merces unâ vice profundunt. Maximâ igitur homini opus eſt curâ & ſolicitudine, ut bonum faciendo perſeveret in hac fragili & labili vitâ, tot ſubjecta caſibus, tot hoſtium tentationibus obnoxia. Quantumvis firmiter ſtare ſibi videatur, ſemper tamen ipſi metuendum eſt nè cadat, & fortiter tenendum quod

Digitized by Google

habet, nè alioquin perdat mercedem ſuam. Optimum eſt, quòd breve ſit tempus, quo perſeverare jubemur. Adhuc modicum, inquit Divina Bonitas, & ecce veniam. Non poteſt diu adventus ejus & præmij noſtri tempus abeſſe. Suſtineamus ergo Dominum patienter & perſeveranter, ac modico, quod nobis ſupereſſe videtur, tempore ſtrenuè laboremus, ac fortiter certemus, ut perſeverantium præmia conſequamur. Nihil prodeſt ad ſalutem juſtitia, nihil ad condemnationem facit vitæ malitia, niſi ſit finalis. Qualis finis, talis erit hominis ſtatus ſinè fine.

MEDITATIO

Pro die 25. Septembris.

Qui ſe exaltaverit humiliabitur, & qui ſe humiliaverit exaltabitur. *Matth. 23.*

VAni ſtultíq; ſunt homines, intendunt ſæpe aliquid, & tamen non adhibent media proportionata ad illud conſequendum. Magni eſſe volunt, honores & dignitates ambiunt, iis tamen utuntur vijs & medijs, quibus humiliantur potiùs ac deprimuntur. Fabricant ſibi præcipitia, & conſtruunt gradus ad ruinam. Si quis vult eſſe magnus, fieri debet parvus; ſi quis appetit altitudinem, ſectari debet humilitatem. Filij autem hominum rident hæc media, & ſinè ullo humilitatis deſcenſu vanas altitudines in cordibus ſuis ambitiosè diſponunt; unde non mirum eſt, quòd altitudinem raró conſequantur, & cùm modicè honorificati fuerint & exaltati, ſtatim evaneſcant in cogitationibus ſuis, ac miſerè collabantur. Solus Deus eſt omnis gloriæ ac honoris Dominus, quem ille vult humiliat vel exaltat. Ille autem ſicut pro humilitate promiſit hominibus exaltationem, ità & pro cordis elatione comminatur illis humiliationem, ignomini-

am & confuſionem, non tantùm in hoc labili & fugaci ſæculo, in quo exaltationis humilium, & contritionis ſuperborum plurima occurrunt exempla, ſed vel maximè in futuro, ubi qui magnus eſt, ille verè magnus eſt. Brevis eſt mundi hujus claritas & eminentia. Qui fuerunt hìc magni, niſì parvitatem ſpiritûs & humilitatem cuſtodiêrint, fient in altero ſæculo minimi, æternùm confuſi & humiliati. Si ergo ſapis, noli creſcere in parvo, & in maximo minui. Deprime te nunc & humilia. Noli quærere vanam & fugacem gloriam, & per hoc perdere gloriam veram & ſempiternam. Elige potiùs temporalem ignominiam, ut æternam in altero ſæculo claritatem obtineas, & perpetuam confuſionem evadas.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 26. Septembris.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat nè cadat. *1. Cor. 10.*

IMaginare tibi aliquem in lubrico ſtantem, ab hoſtibus ipſum proſternere volentibus ex omni parte impulſum & impugnatum. Quàm magnâ ſolicitudine cavere debet & attendere, licèt ſtare ſibi videatur, nè cadat & ſuccumbat, non ſolùm ob hoſtium ferociam, ſed etiam ob naturæ ſuæ debilitatem, ac fundamenti hujus corporei lubricitatem. Stant juſti omnes in ſtatu gratiæ & juſtitiæ, in lubrico tamen ſtant, quicquid enim habent ex ſe, parum illos in bono ſtabilit, imò potiùs ad ruinam impellit. Caro in malum prona eſt, anima pariter in vitia proclivis. Inſuper mille hoſtes undique nos circumſiſtunt, qui hoc unicum moliuntur, ut nos dejiciant & pavimento alliſdant. Aſſiduè igitur homini quantumlibet juſto & ſancto vigilandum, aſſiduè laborandum ac certandum eſt. Quòd ſi etiam omni ſtudio laboraverit ac certaverit, vix tamen evadere poterit ruinam. Pauci valde ſtant in hoc mundo, plurimi ab hoſtibus proſtrati jacent, ex quibus tamen aliqui ſe adhuc ſtare arbitrantur. Neſcimus dum ca-

cadimus, multò minùs ſcire poſſumus, an poſt ruinam reſurgemus. Sicut ergo illi, qui cecidit, conandum eſt, ut quantocyus reſurgat, ità ille, qui ſe ſtare putat, juſtitiæ ſtatum debet firmiter tenere, nè cùm minimè putaverit proſternatur. Et quamvis ſe cecidiſſe neſciat, non tamen ex hoc vanè confidat vel præſumat, cùm ignoret utrùm vel quomodo ſtet coram oculis Dei. Ante omnia cœleſte auxilium nobis implorandum eſt. Naturæ vires miſerum ſunt & labile ſubſtaculum. Ille ſolus firmiter ſtat, qui gratiæ divinæ fundamento ſolidatur.

MEDITATIO

Pro die 27. Septembris.

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. *Pſal. 125.*

INcomparabilis & infiniti pretij ſunt Cœli præmia Electis â Deo præparata. Multi tamen homines deſidiâ & otio ſe illa poſſe lucrari vanè arbitrantur; fructum volunt copioſum percipere, nihil autem vel parum cupiunt ſeminare; affectant gaudium & utilitatem meſſis, refugiunt verò moleſtiam laboris; præmia ſinè meritis quærunt. Noli ô homo tibi perſvadere, quòd cœleſte præmium ſis obtenturus, niſi priùs in Dei obſequio bene laboraveris ac ſudaveris. Nihil ſinè laboribus generi humano Superi vendunt; non per gaudia & otia, ſed per multas fatigationes ac tribulationes, moleſtias ac dolores, oportet nos introire in Regnum Dei. Si non vis ſeminare in lacrymis, nunquam in exultatione metes. Noli ergo in hac vita ullius laboris vel doloris moleſtiâ deterreri. Sparge diligenter ſemen juſtitiæ, quamvis ſudores & lacrymas tibi labor excutiat. Spes alere ſolet agricolas, & cogitatio lucri ſolatium eſſe laboris. Et quidem brevis ac parvus eſt labor, meſſis autem copioſa erit & æter-

na; parva ſemina bonorum operum immenſum tibi proferent ac inexhauſtum gloriæ fructum. Non cura temporales fletus, ſed cogita æternam exultationem. Abſterget aliquando DEUS lacrymas tuas linteo ſempiternæ conſolationis, & portabis in cœleſti area cum gaudio & lætitia manipulos tuos. Pronuntiabis tunc felices lacrymas, & fletus beatos prædicabis, ex quibus tantum præmij ac lucri te videbis meſſuiſſe.

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 28. Septembris.

Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi? *Pſal. 88.*

CONſidera tranſitoriam hominum ſortem, & moriendi fatum inevitabile. Nulla ætas mortem poteſt evadere, nulla ſanitas effugere, nullum robur vincere, nulla bonitas flectere, nulla fraus vel ars declinare. Quos nunc homines in mundo vides, te ad tumulum vel præcedent, vel ſequentur. Omnes aliquando videre debent mortem, fatalem ab illa ictum ſuſcipere, & nolentes volentes ex hoc ſæculo ad alterum transmigrare. Impoſſibile igitur eſt homini ſe ab imperio & poteſtate mortis eruere, vel â morte reducere ad vitam. Multò autem difficilius eſt animam ſuam liberare de manu ſecundæ mortis, & poteſtate inferi. Super quem puteus infernalis os ſuum ſemel concluſerit, quem fauces gehennæ ſemel deglutiverint, quem Divina Majeſtas illi carceri horrendo ac tenebroſo, ferreo & adamantino, profundiſſimo & abſtruſiſſimo ſemel alligaverit, nunquam inde liberabitur, ſed horrendis in eo ſupplicijs cruciabitur, in fletu ac ſtridore dentium ſempiterno. Ibi dolor nunquam relevabitur,

Digitized by Google

bitur, ibi clamor nunquam exaudietur. Hæc vivaciter ô homo conſidera. Scis tibi neceſſariò ſemel eſſe moriendum, hoc unum ſemper cogita, hoc ſatage, ut bene moriaris, nè in gehennæ fauces poſt hanc vitam incidas, nè te ſecunda mors deglutiat. Si ſemel bene mortuus fueris, mors tua hæc prima non erit mors, ſed tranſitus ad vitam. Si verò malè, erit mors tua lugubris tranſitus ad mortem illam horrendam & ſempiternam, quæ nunquam moritur, & reprobos ſemel correptos nunquam ampliùs ad vitam dimittit. In illa tenebrarum regione concluſus, nunquam ultra in æternum videbis lumen, ſed flebis & ejulabis perpetuò, jacens vinctus & alligatus inter mortuos ſempiternos. Erue nunc animam tuam de inferni ac mortis æternæ periculis, nè alioquin deveniat in illum locum tormentorum, de quo illam poſtea velis eruere, nec ampliùs in æternum poſſis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 29. Septembris.

Qui ſpernit modica, paulatim decidet. *Eccli. 19.*

MOdicum videtur uno vel altero pede aut paſſu appropinquare alicui præcipitio, longè tamen ſecurius & conſultius eſt quàm longiſſimè ab illo diſtare. Unica ſæpe rimula in pariete ſi negligatur, totum ſenſim rumpi & collabi facit ædificium. Scimus ex modica ſcintilla magnum oriri frequenter incendium, & ſentinâ guttatim auctâ naves in profundum demergi. Similiter in materia humanæ ſalutis, qui contemnit modica, incidit in majora. Qui non timet quamcunque peccati ſpeciem vel umbram, qui non vitat peccatorum occaſiones & pericula, qui venialia peccata non æſtimat, nec purgatorij ſupplicia formidat, ille paulatim de minoribus periculis decidet in graviora pericula, ac tandem in graviora peccata, ipſámq; gehennam devolvetur. Nihil nobis debet eſſe modicum, per quod homo, licèt non ſtatim cadat & pereat, diſponitur tamen ad lapſum & perditionem. Qui hæc modica ſpernit, non ſpernit modica, ſed æternam ſuæ animæ ſalutem contemnit. Nil prodeſt de periculo ſæpius immunem evaſiſſe, ſi tandem

quis in illo pereat. Et quòd ex periculo quis evadat, divinæ attribuendum eſt gratiæ; quam tamen illis non ſolet concedere, qui non cavent proxima ſaltèm peccatorum pericula, quíq; de ſua conſtantia &perſeverantia vanè præſumunt,&pro nihilo ducuntDivinæ Majeſtati citra graviorem ejus offenſam leviter diſplicere. Si â peccatis & inferno quantum potueris longiſſimè declinaveris, vix tamen hunc & illa evades; quantò minùs ſi ſponte ijsdem appropinquaveris, téq; illorum periculis ultroneè ingeſſeris? Pave igitur modica, ut caveas graviora. Si hoc feceris, minimè decides, atque inſuper ad perfectionis atq; cœleſtis gloriæ culmen, non paulatim ſed magnis paſſibus aſcendes.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 30. Septembris.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis. *Iſaiæ* 33.

DIcite mortales, an non magna vobis eſſet moleſtia, ſinè alio etiam quovis dolore, vel per unicam noctem vinctos & immotos jacere in molli plumarum lectulo? quid ſi per centum, per mille annos in uno ſitu & loco deberetis perſiſtere? quid ſi gravia inſuper ſuſtinere tormenta? molles nimiùm ac delicati, vix unicam febriculam vel capitis dolorem, vix noctis unius vigiliam ac tædium, vix unius digiti aduſtionem, vix culicis aut pulicis morſum ſuſtinere poteſtis; dolores ac moleſtias temporales adeò refugitis, & non curatis æternas. Creditis eſſe infernum impijs præparatum, ibi homines reprobi non jacent in molli culcitra, ſed ſicut lateres in ardenti fornace ſunt poſiti, uncis & palis flammeis transfixi, rudentibus igneis colligati, piceo & ſulphureo ignium oceano circumfuſi, & flammis undique penetrati & abſorpti. Non poteſtis modò ad horulam parvum ſuſtinere dolorem,

quomodo tunc ſtabiliter, & quidem in æternum habitare poteritis cum igne illo devorante, nunquam tamen conſumente, cum ardoribus illis ſempiternis, ac infinitis alijs gehennæ tormentis? quorum nec umbra ſunt, quæ in hoc mundo triſtia ſentiuntur & acerba. Recogitate vel modicùm, quid ſit ardere in illo tartareo igne, & quidem ſempiterno. Creditis hæc omnia, & tamen ità vivitis, ac ſi nugacia, ficta vel picta eſſent illa gehennæ ſupplicia. Hæc unica ſit veſtra cura in hoc ſæculo, nè ad illum locum tormentorum aliquando deveniatis. Semper illi ardores memoriæ veſtræ vivaciter impreſſi habitent vobiſcum in hac vita, nè vos cum illis æternùm habitetis in altera vita; deſcendite in infernum viventes, nè deſcendatis morientes. Vitæ præſentis moleſtias tanquam leves & momentaneas patienter ſuſtinete, ut ſæculi alterius tormenta evadatis; ſit vobis tolerabilior caminus tribulationis, quàm gehennæ clibanus; tranſitorias quoq; mundi vanitates & carnis dulcedines contemnite. Stulti eſtis, ſi pro tantillo emitis æternùm ardere ac pœnitere.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 1. Octobris.

Quis nos ſeparabit â Charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia? &c. In his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. *Rom. 8.*

CHaritas eſt vinculum, quo Deo unimur & colligamur. Hoc debet eſſe firmum ac indiſſolubile. Probatur autem firmitas vinculi ex eo, ſi magnâ licèt vi adhibitâ non rumpitur tamen, vel diſſolvitur. Eodem modo probatur firmitas amoris, ſi nulla vis tribulationis vel doloris, nulla fortunæ adverſitas, nulli tentationum impetus, nullæ hoſtium fallaciæ, nullæ carnis illecebræ, nulla mundi lenocinantis blandimenta nos poſſint ſeparare â dilectione Chriſti, ſeu ipſius amorem in nobis diſcindere vel abrumpere. Hæc omnia, quoties nos â Chriſto Dilecto noſtro volunt ſeparare, nos ſuperare debemus amore ipſius, qui prior dilexit nos, qui duriſſima propter nos paſſus eſt, quem â dilectione noſtra ſeparare non potuerunt acerbiſſima Crucis tormenta. Ut vicem reddamus tanto amori, nihil ſit tam durum, quod non amore noſtri Dilecti perferre velimus, etiamſi cum ſangvine vitam nos pro-

profundere oporteret. Vinculi autem noſtri integritas non alio cultro ſeu gladio diſſolvitur, quàm peccato. Peccatum igitur omni ſtudio cavere, & omnia illius pericula ſuperare debemus, pro integritate vinculi noſtri, uſq; ad extremum vitæ halitum ſtrenuè decertantes. Adhuc modicum tempus reſtat, & Chriſtum, quem diligimus, pro æterna noſtri amoris mercede obtinebimus. Cui nunc unimur per dilectionem, eidem poſtea indiſſolubiliter adhærebimus per beatam ac ſempiternam ejus fruitionem. Diligamus ipſum ferventer & conſtanter ſuper omnia, nullus amor vel dolor nos ab ipſius charitate ſeparet. A quarumcunque rerum aliarum amoribus homines licèt inviti per mortem ſeparantur, â DEI verò dilectione nullus hominem ſeparare poteſt, ſi nolit ipſe homo. Qui verò ſe permiſerit â DEI amore ſeparari finaliter, alligabitur gehennæ dolori, â quo ſeparari non poterit æternaliter. Amoris hujus divortium plectitur ſempiterno inferorum conſortio.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 2. Octobris.

Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? *1. Cor. 4.*

Conſidera, ſi quis in hoc mundo, quicquid boni habet, ab alio accepiſſet, an non magna eſſet inſania, temeritas & præſumptio, contra datorem gloriari? omnes homines, quicquid boni habemus, imò & quicquid ſumus, â Domino Deo accepimus. Quicquid boni agimus, donum ipſius eſt; per ipſius miſericordiam obtingit hominibus vita æterna, quam juſti nunquam conſequerentur, ſi non acciperent ab illo gratiam ipſos ad bonum excitantem, in bono adjuvantem & conſervantem. Quicunque igitur gloriatur, in Domino glorietur. Quicquid boni unquam fecit, quicquid meritorum ſe putat habere collectum, Deo totum attribuat; in ipſum tanquam omnis boni fontem, omnia bona ſua cum humili gratiarum actione refundat. Nihil homo cœleſti præmio dignum haberet, niſi cœlitus ei collatum fuiſſet. Perditio ipſius ex ipſo eſt, ſalus autem, & omne bonum â Domino. Per illum ſtat quicunque ſtat; per ſe cadit quicunque cadit; neq; de luto unquam reſurgeret, niſi Deus manum auxiliatricem ipſi porrigeret. Ille nos prior elegit, non

Digitized by Google

illum nos. Ipſe diſcernit bonum â malo, Electum â reprobo, diſcernitur quidem etiam homo propriâ voluntate, ſed hanc ipſam non haberet, niſì data ipſi eſſet deſuper. Hædum ſe facit per culpam, Agnus verò fit per Dei gratiam. Quæcunque igitur bona videmur habere, DEI ſunt munera, qui dona ſua mortalibus licèt variè ac inæqualiter confert. Sic tamen illa diſtribuit, ut nec injuſti habeant, de quo juſtè contra illum querantur, nec juſti de quo contra ipſum glorientur. Agnoſce humiliter, & invoca ſuppliciter Dei gratiam & miſericordiam ô homo in hac vita. Meliùs deinde cum omnibus Dei Electis eam agnoſces, atque æternùm decantabis in altera vita.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 3. Octobris.

Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. *Gal. 5.*

PErpende totam Chriſti vitam, quantis illa fuerit referta paſſionum moleſtijs. Fuit ille Vir laborum ac dolorum â juventute ſua, jugiter mortificavit, ac perpetuæ cruci affixam habuit ſanctiſſimam carnem ſuam. Nos autem ſpreto Salvatoris exemplo, carnem noſtram, quæ multis ſcatet vitijs & pravis concupiſcentijs, molliter ac deliciosè volumus tractare, & nihilominus ad ipſum ſperamus pervenire. Stultè autem hoc cogitamus. Si enim Rex infinitæ Majeſtatis non niſì multa patiendo intrare voluit in gloriam ſuam, nulli exiſtimandum eſt, quòd abſq; ullis vitæ hujus paſſionibus per delicias & oblectamenta carnis æternam gloriam ſit obtenturus. Non eſt alia ad Cœlum via, quàm nobis ab ipſo monſtrata, via quotidianæ crucis ac mortificationis. Si ergo ipſum ô homo vis conſequi in gloria, ſequi priùs illum oportet in via. Mortificationem ipſius in corpore tuo ſemper circumporta, carnémque tuam in hoc mundo jugiter afflige & crucifige,

Digitized by Google

fige, nec ullam ipſi quietem vel oblectationem permitte. Pridem crucifigi meruit, quæ vitijs & concupiſcentijs ſuis animam tuam ſæpius in mortem traxit. Si hanc dimittis â cruce liberam, non es amicus tui ipſius. Illam omnes crucifigunt, qui ad Chriſtum pertinent. Si hoc non facis, non es Chriſti, ſed diaboli; non de Electorum grege, quorum caro mortificata reſurget ad gloriam; ſed reproborum, qui nolunt carnem ſuam in hoc mundo temporaliter mortificari, per hoc verò faciunt illam in gehenna æternùm torqueri.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 4. Octobris.

Qui timet DEUM, faciet bona. *Eccli. 15.*

IN plurimis Divinæ Scripturæ locis Dei timor nobis commendatur. Et quidem facilè timetur ille, qui eſt omnium actionum noſtrarum Inſpector & arbiter ſapientiſſimus, & vindex peccatorum ſeveriſſimus, infinitæ Majeſtatis ac potentiæ, qui non tantùm corpus, ſed etiam ſpiritum noſtrum habet in manu ſua, & cùm ipſi libuerit, hominem æterno carceri poteſt alligare. Non credunt hæc mali homines, vel non conſiderant, hinc adeò liberè in omne flagitiorum genus proruunt. E contra boni divino timore velut fræno quodam â peccatis retrahuntur, ac velut ſtimulo quodam compuncti, per viam virtutis ac probitatis alacres incedunt. Credunt, & frequenter ſecum recogitant æterna gehennæ ſupplicia impijs præparata, ideo peccata fugiunt; tremenda Dei judicia perpendunt, ideo quamcunque mali ſpeciem vel umbram perhorreſcunt. Certi ſunt de morte, nec tamen certi, quando Dominus & Judex ipſorum venturus ſit; hinc adventum ipſius pavidi expectant, & ſalutem ſuam cum metu ac tremore operantur, vitam ſuam in ſanctitate ac juſtitia ducen-

centes. Quamvis verò potiùs amor DEI, quàm timor homines â malo retrahere, atque ad bonum impellere deberet, hæc tamen eſt humana fragilitas & proclivitas in malum, ut niſì DEUS peccatoribus æterna gehennæ ſupplicia comminaretur, non faceret bonum, nec ſalva fieret omnis caro. Time igitur Deum ô homo, ut facias bona, time ut diligas. Sola charitatis perfectio foras apud te mittat timorem, & hunc quidem ſervilem, non filialem. Etſi namq; Deum non timeres ùt Dominum ac Judicem, timere tamen deberes ùt Patrem infinitâ reverentiâ & honore dignum, & in ejus conſpectu minimi cujuscunque delicti commiſſionem erubeſcere. Si non vis modò ipſum timere ut facias bona, ſenties aliquando manum ipſius infligentem tibi æterna mala. Ejus nunc offenſam paveas, ut vindictam ipſius præcaveas.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 5. Octobris.

Qui vicerit non lædetur â morte ſecunda. *Apocal. 2.*

OMnibus in hoc mundo certandum atque dimicandum eſt. Varij ſunt hoſtes, qui nos quotidie potenter impugnant. Luctandum nobis eſt cum mundo ac diabolo, carne ac ſangvine. Mors quoq; per ſingula momenta fatali ſpiculo nobis minatur. Et quidem nullus hominum poteſt vim ejus declinare, & agonem cum illa ſubterfugere; quem dum ſuſcipit, neceſſariò victus ſuccumbit. Fruſtra igitur laborat, qui fatalem primæ mortis ictum conatur evadere. Hoc nobis unicè cavendum eſt, nè in ſtatu peccati nos ex hoc mundo abripiat, & tradat in manus ſecundæ mortis, nec ſolùm temporalem, ſed etiam æternam vitam nobis eripiat, nos cum anima & corpore delens ad internecionem. In noſtra ſitum eſt poteſtate, ut ſecunda mors nullam in nos habeat poteſtatem, quam non habebit, ſi ſtrenuè in hac vita contra mundum, carnem ac dæmonem, contra hoſtes animarum noſtrarum viſibiles & inviſibiles, contra portas inferi ac poteſtates tenebrarum,contra omnia peccati ac mortis æternæ pericula decertaverimus. Si hoc feceri-

mus,

mus, & nihil funeſtum in nobis mors prima repererit, non lædemur ullatenus â morte ſecunda. Prima mors in ictu oculi tranſibit, cui ſuccedet vita perpetua, & poſt vitæ hujus agones atque certamina, æternus in Cœlo triumphus. Non lædit hominem prima mors, niſi ante læſum â ſalutis humanæ hoſtibus, victúmque reperiat; ſolum alioquin mortalitatis vinculum abrumpit. Time ſecundam mortem, quæ non moritur, & hoc unicum ſatage, ut ab illa tranſeas illæſus. Si enim te læſerit, immedicabilis erit plaga tua. Certa igitur fortiter, ut victor aliquando in Cœlis triumphes, & non victus perpetuam ſuſtineas captivitatem.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 6. Octobris.

Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. *Matth. 16.*

OMnes hoc potiſſimùm debemus intendere, ut animas noſtras ſalvemus, & cuſtodiamus in vitam æternam. Inutilis autem, vana & noxia eſt multorum cuſtodia & ſalvatio, qui eas ſalvare volunt temporaliter, & cuſtodiunt in hoc mortali corpore, neque illas propter Chriſtum mortificare volunt & affligere, multò minùs parati ſunt illas per martyrium profundere. Sed hi eo ipſo illas occidunt & perdunt. Qui vult animæ ſuæ amicus eſſe, inimicus ipſius fieri debet. Qui ſe profitetur verè illam diligere, odio ſancto illam debet proſequi, eam hoſtiliter tractare, pravas ipſius cupiditates reſcindere, illam diverſis moleſtijs & contrarietatibus exercere, quin etiam, ſi occaſio ſe offerat, eandem Chriſti amore libenter de corporis habitaculo extradere. Non perit anima nec perditur, quæ ſic profunditur, ſed traditur in manus Domini, ubi ſalva manet ac ſecurè cuſtodita. Et quamvis

illâ

illâ caruerit ad modicum tempus, requieſcet tamen in ſpe illam paulò poſt recipiendi; cúmq; redivivus de terra ſurrexerit, inveniet eam, atq; deinceps æternùm poſſidebit in Cœlis, ubi non erit ampliùs ullum perditionis aut jacturæ periculum. Noli ergo eſſe animæ tuæ ſalvator & cuſtos temporalis, nè alioquin æternam ipſius perditionem deplores; paratus eſto illam quovis momento amore Chriſti profundere. Quòd ſi perſecutio deeſt extrinſecùs, tu ipſe animæ tuæ perſecutor eſto, cupiditatibus ejus reſiſte, illam afflige ac mortifica. Si ſic eam odiſti, amâſti. Quò illam duriùs tractaveris in hac vita, tantò reddes beatiorem in altera vita.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 7. Octobris.

Quodcunq; facere poteſt manus tua, inſtanter operare. *Eccle. 9.*

OMnibus in hoc mundo eſt operandum, ac providendum ſibi de neceſſarijs pro altera vita, niſi æternam pati velint egeſtatem ac penuriam. Illo ſolùm poſt mortem vivitur, illo quis æternùm fruitur, quod in hoc mundo boni eſt operatus. Exiguum verò eſt tempus vitæ noſtræ, quod nobis ad operandum â Deo conceditur, & hoc ipſum valde incertum, neſcimus enim, quamdiu operari poterimus, ignoramus diem mortis noſtræ, quæ cùm venerit, Sol vitæ hujus nobis occidet, nec manus ultrà poterimus extendere ad bene operandum. Ergo, quamdiu tempus habemus, operemur bonum, virtutum exercitijs nos inſtanter occupemus, nullam temporis partem præterlabi ſinamus, ſinè aliquo cœleſtis gloriæ merito. Faciant nunc manus, quod facere poſſunt, nunquam ſint otioſæ, ſed ad bonum jugiter extenſæ. Poſt hanc vitam non laboris, ſed quietis erit tempus. Quicquid in hoc mundo boni ac meritorij fuerint operatæ, hoc in æternum tenebunt. Si autem in hac vita otio ac deſidiæ illas aſſueſcere homo permiſerit, non tantùm fructu ac præ-

mio bonorum operum privabitur, ſed etiam æterna manuum vincula in gehennali carcere ſuſtinebit, nec unquam quieſcet â patiendo, qui in hac vita feriatus eſt á bene agendo. Ibi primò dementiam ſuam agnoſcet, ac tempus â ſe inutiliter expenſum deplorabit, cujus brevi ſpatio immenſum gloriæ pondus lucrari, & parvâ laboris moleſtiâ æterna potuiſſet evitare ſupplicia. Sed tempus bene operandi ac merendi non erit ampliùs.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 8. Octobris.

Quod habetis, tenete donec veniam. *Apocal.* 2.

Jubemur omnes in hoc mundo ſtrenuè decertare, ut palmam de hoſtibus noſtris reportemus; jubemur eſſe ſoliciti de conquirendo meritorum pretio, quo cœleſte Regnum nobis mercari poſſimus. Videmur aliquando de bonis operibus aliquid habere collectum, videmur meritorum poſſidere theſauros, videmur jam palmam tenere in manibus, nondum tamen nobis triumphandum eſt, nondum ad finem pervenit victoria, nondum hoſtes omnino devicti ſunt ac proſtrati, nondum Regni cœleſtis pretium ante Dei conſpectum attulimus, adhuc nobis timendum eſt, magnóque ſtudio cavendum, nè tartarei prædones, & mille alij noſtræ ſalutis hoſtes omnia bona nobis invidentes, illud quod habere videmur, de manibus noſtris extorqueant. Fortiter tenendum eſt, nè alioquin, quod magno labore conquiſivimus, unâ vice totum perdamus. Teneamus ſaltèm quouſque Dominus veniat, qui nobis pro meritorum pretio cœleſtis gloriæ merces conferet, ac finalem de hoſtibus noſtris victoriã reportantibus æternæ beatitudinis coronam retribuet. Ne-

Digitized by Google

mo tunc ampliùs quicquam de manibus noſtris po
terit eripere, ſed quod â ſupremo Remuneratore ill
ſemel acceperimus, æternùm retinebimus. Con
ſtantes igitur in bono, & fortes uſque in finem perſ
veremus. Veniet brevì Dominus & non tardabi
Si nihil boni eidem præſentare potuerimus, nihil a
eodem boni referemus, ſed amentiam noſtram æter
nùm deplorabimus, quòd nobis Regni cœleſtis preti
um, ac victoriæ palmam de manibus extorque-
re ſtultè permiſerimus.

MED

MEDITATIO

Pro die 9. Octobris.

Quòd ſi noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. *1. Cor. 11.*

HOrrenda ſunt DEI judicia, felix qui ea poteſt evadere. Evadet autem judicia DEI in altera vita, ſi ſuus ipſe Judex fuerit in hac vita. Ante omnia debet ſe judicij reum agnoſcere; ſi enim ſe putaverit inſontem, & nihil judicio dignum egiſſe, multis illum ſordibus intinctum Deus in judicio ſuo comprobabit, & putatitiam ipſius juſtitiam non tantùm judicabit, ſed etiam condemnabit. Solet verò judicium in tribus conſiſtere: in diſcuſſione cauſæ, in prolatione ſententiæ, & ejusdem executione. Homo igitur ſeipſum judicare aggrediens, debet primò vitam ſuam, omnésq; actiones ſuas diſcutere, nihil palliare, nihil diſſimulare vel excuſare, quod ſi fecerit, plurima inveniet non ſolùm temporali, verùm etiam æterno digna ſupplicio. Debet ſecundò contra ſe pro delictorum merito ſententiam proferre, & quam aliam proferre poterit, niſi ſententiam æternæ damnationis? debet igitur ſe gehennæ reum proclamare, Dei tamen col-

Digitized by Google

laudare Clementiam & miſericordiam, quòd temporalem ſatisfactionem â nobis ſpontaneè ſuſceptã loco æternæ ~~fatis~~paſſionis acceptet; hinc ſibi condignã pœnam decernere, eandémque ſibi cum vera cordis pœnitentia infligere. Si ſic fuerit proprius judex ac vindex factus, non habebit Deum Judicem, qui non ſolet judicare, multò minùs bis punire in idipſum. Datur hìc præventioni locus. Quòd ſi quis noluerit in hac vita ſe judicare, judicabitur in altera vel invitus; & qui antè pro ſuis delictis ſe noluit condemnare ac punire temporaliter, condemnabitur ac punietur æternaliter. O ſi hæc homines vivaciter conſiderarent! non ità ſtultè peccata ſua divino judicio reſervarent, ſed illud potiùs, ſemetipſos ſeverè judicando, & acerbè puniendo, prævenirent.

MEDITATIO

Pro die 10. Octobris.

Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11.*

NOn alium ob finem in hanc mundi regionem ſumus poſiti, quàm ut Regnum Cœlorum nobis obtineamus. Illud verò conſequimur non otio vel ſomnolentiâ, ſed labore. Et quidem magno conamine, magnâ laboris violentiâ opus eſt ad illud conſequendum. Vidiſti aliquando arces in ſublimi poſitas & probè munitas, quæ non niſi magnâ cum difficultate, conatu ac ſudore â militibus occupari poſſunt. Similiter nobis Regnum Cœlorum occupare volentibus ad ardua ingenti cum ſtudio conandum atque tendendum eſt. Altus atq; difficilis eſt aſcenſus, multa nobis ponuntur ab hoſtibus noſtris impedimenta &obſtacula,qui nos retrorſum â cœpto noſtro volunt retrahere, magna denique imbecillitas noſtra eſt & impotentia. Nihilominus animosè laborandum eſt, ut cœleſtem illam arcem occupemus, & nequicquam obſtante hoſtium nos remorantium potentiâ, illud violentè rapiamus. Noli cogitare ô homo, quòd otio atq;

Digitized by Google

deſidiâ illud ſis obtenturus. Perpende quantam vim Cœlum hucuſque paſſum fuerit. Conſidera tot Martyres, tot alios Sanctos, qui fuerunt in hoc mundo, omnes non niſì magnâ violentiâ illud expugnare debuerunt. Tu quoq; idem potes cum divina gratia, ſaltèm noli pigritare, torporem ac ſomnolentiam excute, labora viriliter, magno ſtudio ſurſum contende. Violentus quidem ac durus videtur labor, ſed ſuavis & grata tibi erit requies, & Cœli poſſeſſio. Si ſemel illud occupaveris, nunquam illud amittes, ſed in beatæ vitæ gaudio æternùm tenebis. Quòd ſi nullam ipſi violentiam adhibueris, ſocordiam tuam ſerò deplorabis, ab illo in ſempiternum excluſus, & hoſtium infernalium violentiæ in perpetuum ſubjectus. Si non vis adhibere laborem ac violentiam, ut Regnum cœleſte obtineas, vim ſaltèm adhibe, nè in æternum pereas. Perire autem potes etiam ſinè ulla vi hoſtium, per ſolam negligentiam & ignaviam tuam.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 11. Octobris.

Regnum Dei intrà vos eſt.

Lucæ 17.

QVamvis videatur nobis difficile Cœli Regnum obtinere, quamvis ad ejus occupationem magno ſit opus conatu ac violentiâ, non eſt tamen opus ad hoc multa foris neceſſaria quærere, vel arma vel ſubſidia. Regnum DEI eſt intrà nos, in unoquoque noſtrûm, hoc eſt, in cujuslibet hominis ſitum eſt poteſtate. Sufficientia per DEI gratiam habemus arma, & vires intrà nos, quibus illud expugnare poſſimus. Quis eſt homo, qui non habeat mentem, quâ Deum poſſit cognoſcere? cor, quo illum poſſit diligere? voluntatem aliáſque potentias, quibus bonum ſectari, & malo reſiſtere poſſit? ſi hæc fecerit, Regnum Dei conſequetur; his enim balliſtis expugnatur, his gradibus ad ejus faſtigium conſcenditur. Nemo igitur ſe poteſt excuſare, quòd Regnum DEI vel procul ſit ab ipſo, cùm vel unico divini amoris actu poſſit-è veſtigio eidem reddi propinquiſſimus, qui antea fuit ab illo remotiſſimus; vel quòd ipſi arma & ſubſidia ſint eminus petenda, pro his enim non eſt opus cuiquam extra ſe foras egredi. Adjutor noſter intrà nos ha-

bitat, & gratiæ ſuæ auxilium nobis præbet in
ùs, cui ſi cooperari velimus, Regnum Dei pro c
conſequemur. Totum hoc â nobiſmetipſis de
det, totum in noſtra ſitum eſt voluntate cum di
gratia, quam Deus unicuique largitur ſufficien
cum hac juxta modulum noſtræ poſſibilitatis ala
ter certemus, viréſq; noſtras Regno Cœlorum o
pando ſtrenuè impendamus. Sit modò intrà
Regnum Dei, ut Chriſtus regnet in nobis per gr
am & bonam vitam, pro certo etiam regnabit
quando in nobis per gloriam. Lugendi verò
miſerandi æternùm ſunt illi, imò potiùs nullâ co
miſeratione digni, qui cùm Regnum DEI tam fa
poſſint conſequi, illud tamen non ſtudent promer
nec ſalutem, ſed perditionem ſuam operantur;
non DEUM, ſed peccatum & diabolum in ſe ipſis
teriùs regnare permittunt. Excludunt hi â ſe DEU
regnantem in hac vita, excludet verò illos DEU
æternùm â Regno ſuo in altera vita.

MED

MEDITATIO
Pro die 12. Octobris.

Reſiſtite diabolo, & fugiet â vobis. *Jacobi 4.*

HAbent hoc timidi ac debiles, quòd illis ex alieno metu creſcat audacia, quòd fugientem acriter perſequantur, ſi autem reſiſtentiam invenerint, cedant velociter & fugiant. Similiter diabolus imbecillitatis ſuæ conſcius, eos potiſſimùm ex Chriſtianis aggreditur, quos videt pavidiores; eos perſequitur, quos incurſibus ſuis cedere videt. Si quem autem viderit reſiſtentem, non diu ſubſiſtit, ſed impetum remittit, ac terga vertit. Habet quidem erga nos iram magnam, ſed parum contra nos viribus ſuis poteſt efficere, niſi nos per ignaviam ſponte ipſi ſubjiciamus. Quoties igitur in te impugnationes diaboli ſentis, ſtatim pro virili reſiſte, non diu reſiſtentiam tuam ſuſtinebit. Quòd ſi ad ejus incurſum cedere ipſi volueris, animum ipſi ac robur addes, ut potentiùs deinceps te oppugnet ac perſequatur, quin etiam tandem plenè vincat & captivet. Non ſufficit autem ſemel ipſi reſtitiſſe, redit enim victus poſt fugam, & certamen ſæpius renovat. Eſto igitur ſemper contra ipſum paratus, ut quotieſcunque te adortus fuerit, ſtatim â te magno ani-

animo poſſit profligari. Facilis eſt pugna & victoria, quæ hoc ipſo ſtatim obtinetur, ſi hoſti reſiſtitur. Et quis nolit ſalutis ſuæ adverſario reſiſtere? cogita verò, quoties diabolo tentanti & oppugnanti non ſolùm non reſtiteris, ſed manus ipſi victas confeſtim porrexeris, & animam captivam turpiſſimè tradideris. Noli deinceps hoc facere, excute ignaviam & infame jugum. Reſiſte viriliter diabolo, qui te omni ſua hoſtilitate neutiquam lædere, multò minùs ſuperare poterit, ſi tuus ipſemet hoſtis non fueris, téque ipſius captivitati ac tyrannidi ſpontaneè non ſubjeceris; quam ſi ſemel incurreris, nullâ deinceps reſiſtentiâ vel fugâ in æternum poteris evadere.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 13. Octobris.

Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. *Proverb. 5.*

OMnes in hoc mundo ſumus viatores, omnes ambulamus, & per vias quidem diverſas. Sicut autem viæ ſunt diverſæ, ità & termini diverſi. Pergunt aliqui ad Cœlum, alij vadunt ad infernum. Greſſus noſtri, quibus progredimur, ſunt opera noſtra, quæ ſi bona fuerint, perducunt nos ad bonum, ſi mala, ad malum finem. Qualis via, talis terminus. Neſcimus autem, neq; intelligimus nos miſeri vias noſtras, an ſurſum pergant, an deorſum, an ad dextram vel ſiniſtram, an puræ ſint, an inquinatæ. DEUS autem ex alto tam præſentia, quàm futura proſpiciens, & greſſus omnes, actiones, & cogitatus noſtros dinumerans, optimè videt, qualis ſit via noſtra, & quis ejus terminus futurus ſit. Nos mentem noſtram raró ſuper iſta reflectimus, nec ſumus ſoliciti, ut in conſpectu DEI bene ac laudabiliter incedamus; ille verò de luce prima in veſperam, & de veſpere in lucem nos per ſingula momenta conſiderat, & greſſuum noſtrorum ſive rectitudinem, ſive obliquitatem in theſauris memo-

mo-

Digitized by Google

moriæ ſuæ conſignat. Cùm ad terminum viæ perventum fuerit, tunc nobis exhibebit omnia, tunc videbimus qualis fuerit via noſtra, quæ tunc ex fine ſuo quàm optimè poterit cognoſci. Greſſus ergo noſtros in hoc mundo cuſtodiamus, & bonas faciamus vias noſtras, ut aliquando bonum habeamus vitalis hujus viæ finem. Finitâ ſemel hac peregrinatione nullus ampliùs ad viam patebit regreſſus, ſed terminum ſeu finem viæ, quem ſemel attigerimus, æternùm tenebimus. Ante omnia DEI nobis implorandum eſt auxilium, ut ſciamus qualis ſit via noſtra, & quibus greſſibus ſcopum noſtrum attingere debeamus. Quod nemo ſcire poteſt, niſi ipſe miſerit ſpiritum ſuum de altiſſimis, & vitæ ſemitam homines docuerit. Orandus eſt nobis aſſiduè, ut in conſpectu ſuo dirigat vias noſtras, & greſſus noſtros per ſemitam juſtitiæ promoveat in ſcopum ſalutis æternæ.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 14. Octobris.

Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

Proverb. 14.

VAnitas vanitatum, & omnia vanitas in hoc mundo. Nullum in eo verum gaudium, nulla voluptas, nulla felicitas, omnia falſa & fucata. Mella hujus mundi condita ſunt abſynthio, voluptatum roſis dolorum ſpinæ ſunt permixtæ, felicitas interrupta miſerijs, & riſus dolore temperatus. Nemo, licèt omnibus ſæculi gaudijs atq; delicijs frui videatur, â luctu atque doloris ſenſu immunis eſt. Jucunditas illius multis amaritudinibus eſt aſperſa. Quòd ſi etiam nihil ipſum adverſi aut moleſti premat deforis, rodit illum tamen interiùs conſcientia, & mortis memoria illum contriſtat. Scit quàm parvo tempore mundi gaudijs frui poſſit? recogitat ſecum æternitatis annos, qui cùm venerint, vanitatis arguentur omnia præterita; & gaudium univerſæ hujus vitæ reputabitur ad inſtar puncti, cui ſuccedet dolor ac gemitus ſempiternus. Quantùm hìc fuerit lætatus in gloria & delicijs, tantum illic recipiet tormentum & luctum. Stultus ergo eſt, qui bona mundi hujus æſtimat, qui riſus

ſus & gaudia ſæculi præſentis concupiſcit, qui bea-
tum dicit populum, cui hæc ſunt. Miſera beatitu-
do, quæ innumeris permixta doloribus, poſt brevem
ſui durationem reddit hominem æternùm infelicem.
Lugendum potiùs atque triſtandum in hoc ſæculo,
ut extrema luctûs atque triſtitiæ gaudium occupet.
Flendum in diebus vitæ hujus, ut rideamus in die no-
viſſimo, ubi nullus ultrà dolor riſui miſcebitur, ſed
abſterſis hujus vitæ lacrymis, æternum in Cœlis exul-
tabunt omnes gaudij mundani contemptores. O!
quàm ipſis tunc erit volupe priorum meminiſſe do-
lorum. O! quàm tunc gaudebunt ſe omnes mun-
di vanitátes reliquiſſe, ac temporalium contemptu
æterna bona fuiſſe lucratos. Videntur ſibi munda-
ni homines colligere de ſpinis uvas, ſed uva eorum
uva fellis, ac botri amariſſimi, qui ad modicum tem-
pus videntur eſſe dulces; ſed brevì facient ipſorum
ventres amaricari. Torquebuntur tunc miſeri ſine
fine, nec unquam ad extrema luctûs ſui pervenient;
ſed dolor horrendus, & interminabilis, ſinè ulla
ſpe gaudij vel ſolatij, ſemel occupatos
ſemper tenebit.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 15. Octobris.

Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. *2. Petri 1.*

INcerta ſunt nobis omnia, quæ noſtram in particulari electionem concernunt. Nemo ſcit, an finem ſuum, ad quem â Deo vocatur ac dirigitur, ſit obtenturus. Omnes Deus vocat ad Regnum Cœlorum, pauci tamen illud conſequuntur. Eligit quoque multos ad fidem & gratiam, quibus mediantibus ad cœleſtem gloriam pervenire poſſint, non omnes tamen ad gloriam pertingunt. Nequaquam verò ex parte DEI, ſed ex parte hominum eſt defectus, qui licèt â Deo ad Chriſtianiſmum, ad fidem & gratiam ſanctificantem ſint vocati, per mala tamen opera Chriſtianiſmo indigna perdunt gratiam & gloriam, & ſic DEI vocationem & electionem reddunt non ſolùm incertam, ſed etiam irritam, & fine ac effectu ſuo illam faciunt fruſtrari. Nos verò, ſi noſtræ ſalutis amantes ſumus, ante omnia ſatagere debemus, ut certam faciamus vocationem & electionem noſtram, quod facere poteſtatem noſtram non excedit, nec aliter fit, quàm bene operando. Bene autem operari cum divina gratia omnes poſſumus. Sibi

Digitized by Google

ergo imputet, qui cùm ad gratiam fidei & Chriſtianiſmi â Deo ſit vocatus & electus, fidei tamen & Chriſtianiſmi fructu privatur, & vocatus ad gloriam, electus ad gratiam, detruditur in gehennam. Quin ipſa efficax Dei electio, quâ homines ad gloriam prædeſtinat, ab humana cooperatione quoad executionem dependet. Nullus enim eſt electus, qui non in bono finaliter perſeverat, & omnis, qui uſque in finem bene operatur, hoc ipſo ſe electum eſſe probat ac prædeſtinatum. Operari autem, vel non operari bene uſque ad finem, ſitum eſt in hominis poteſtate. Fruſtra igitur mortales quidam circa judicia Dei ſuper ſe ſcrupulosè nimis anxiantur. Ex parte DEI certa eſt vocatio & electio noſtra, ſi modò nos ipſam non reddamus incertam atque irritam. Stat in unoquoque noſtrûm ſuppoſito divinæ gratiæ ſubſidio, ut ſit reprobus aut electus. Talis erit, qualem ſe fecerit. Bene faciat, & electus erit. Si autem malè operatus fuerit, culpâ ſuâ reprobus fiet. Stultus autem eſt, qui ab Electorum ſorte ſemetipſum reprobat, & cùm bene operando certam facere poſſit ſuam vocationem & electionem, certam facit per mala opera reprobationem ac æternam damnationem ſuam.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 16. Octobris.

Scio opera tua. *Apocal. 3.*

CONſidera Deum ubique per omnia diffuſum, omnibus præſentem, omnia videntem. Nullus locus tam abſconditus & abſtruſus, tam obſcurus ac tenebroſus, tam invius & inacceſſus, quem ſuis obtutibus non penetret. Scit ille quàm optimè omnia opera tua, quæ cùm faceres vidit, & in theſauris memoriæ ſuæ conſignavit. Scit non tantùm externos actus & ſermones tuos, ſed etiam interna quæcunque peccata, quæ in abſcondito cordis unquam admiſiſti. Et quidem ſcit hæc omnia ille, qui eſt ſanctus & verus. Sanctus, qui omnem horret iniquitatem, & invitus illam conſpicit. Verus, qui omnia veraciter ſinè fuco videt, qui cum juſtitia & veritate judicat, qui unicuique reddit ſecundùm opera ejus. Gerit ſe modò erga nos, quaſi nihil ſciret aut videret, brevì tamen aderit tempus, cùm ſingulorum opera ſingulis patefaciet, cùm de unoquoque dicetur: Ecce homo & opera ejus. Neſcis tu ipſe opera tua, nec vides, imò non vis illa ſcire ac videre, quin & juſtum te audes reputare, cùm tamen multis peccatorum reatibus Divinæ Juſtitiæ ſis obſtrictus. Si tu commiſſa tua ſcires & videres ad pœnitentiam, ipſe illa neſciret nec videret ad vindictam.

Ille ſuam faciem averteret â peccatis tuis, ſi tu faciem tuam ad illa converteres. Ille poſt tergum ſuum projiceret omnia ſcelera tua, ſi tu ante faciẽ tuam illa ſtatueres. Quod ſi deinceps non feceris, cogeris illa in pœnis æternùm videre, & quia non fuerunt in hac vita, erunt in altera contra te ſemper. In omnibus ergo actionibus tuis memor eſto, Deum omnia quæ facis, conſpicere, & dinumerare omnes greſſus tuos, tibíque ab illo dici: ſcio opera tua ô homo, ſcio in quem finem per illa tendas. Deum fallere non poteris, nec Majeſtati ejus quicquam occultare. Cave igitur quicquam turpe vel indecorum in actibus & cogitatibus tuis admittere, nè oculos tantæ Majeſtatis offendas. Opera tua omnia ſint recta, ut Deus omniſcius illa videat, & annotet ad præmij, non pœnæ retributionem.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 17. Octobris.

Scio quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum. *Job. 19.*

MAgnum eſt ſolatium homini ad longinquam & remotam aliquam regionem pergenti, ſi aliquem in ea noverit amicum ſuum, in quo adjutorium & ſolatium habere poſſit. Sic & nobis viatoribus ad ignotam alterius vitæ regionem tendentibus, magnum adferre debet ſolatium, quòd ſciamus, ſive firmâ fide credamus, nos ibi reperturos Redemptorem ac Salvatorem noſtrum, qui in illa Regione vivit ac dominatur, quem non tantùm ſpiritualibus, verùm etiam corporeis oculis in carne noſtra conſpecturi ſumus. Ad modicum jacebimus in terræ pulvere, paulò poſt in noviſſimo die de terra reſurgemus, circumdabimur denuo pelle noſtrâ, Chriſtóque obviàm procedemus in aëra, cum ipſo deinceps in cœleſti gloria permanſuri, ejúsque conſpectu beatifico æternùm fruituri. Hæc ſpes & expectatio noſtra eſſe debet, hoc mortis

atq; æternitatis ſecuturæ ſolatium. Si quem igitur ignotæ illius regionis cogitatio percellit, ſi mortis atq; æternitatis memoria perturbat, dicat in animo ſuo: Scio quòd Redemptor meus vivit, qui mortuus quidem fuit, ſed reſurrexit, qui corpus mortalitatis meæ in illo die de terra reſuſcitatum configurabit corpori claritatis ſuæ, qui ſangvinis ſui pretio me redemit. Scio quòd illum poſt hanc vitam ſim viſurus, & quidem confido, quòd ſim viſurus non ùt Judicem ac Vindicem, ſed ùt benignum Patrem ac Salvatorem meum. Hæc ſpes, quam nullus mihi tollet, repoſita eſt in ſinu meo. In hac dormiam & requieſcam, donec perveniam ad beatam illam regionem, & videam Deum meum in cœleſti Sion. Cave autem ô anima mea, nè tibi hanc ſpem de ſinu tuo ipſamet tollas. Sic age, ut Redemptoris tui aſpectus in illo die gaudioſus tibi ſit, non terribilis. Cave nè illum tibi videas iratum, & audias exprobrantem Paſſionem ipſius ac Vulnera, quæ contempſiſti, tuámque redemptionem, quam perverſitate tuâ irritam feciſti.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 18. Octobris.

Scrutabor Jeruſalem in lucernis. *Sophoniæ 1.*

TEnebroſum & inſcrutabile humanum eſt cor, nihilominus omnia ejus abſcondita Deus accuratè perquiret, mundóque palàm faciet, cùm ſupremi examinis ſive judicij tempus advenerit. Omnia tunc mentium arcana perſcrutabitur, adhibitis infinitæ ſuæ ſapientiæ lucernis, & oculorum faculis omni Sole ſplendidioribus. Tunc nox ſicut dies illuminabitur, nullus erit conſcientiæ angulus adeò tenebroſus, qui oculos Dei poſſit effugere; neque tunc ulla criminum occultatio vel palliatio apud quenquam valebit. Horrendum erit illud ſcrutinium, in quo etiam minima quæcunq; peccata in lucem proferentur, ac ſevero judicio examinata diſtrictè punientur. Væ tibi ô homo, ſi tunc reperta fuerit in te gravior iniquitas. Et quidem ſi Deus vult ſcrutari Jeruſalem, hoc eſt animam juſtam, quid fiet de Babylone, hoc eſt, de te miſero peccatore, multis peccatorum reatibus inquinato? ſi juſtus in judicio & ſcrutinio illo vix juſtificabitur & ſalvabitur, quid de te fiet, cùm de tenebris multa conſcientiæ tuæ crimina in lucem fuerint protracta?

Talem te Deus judicabit; qualem in ſcrutinio illo deprehenderit, deprehendet autem, niſi aliter vivere incipias, in multis reum, neq; aliam, quàm æternæ damnationis ſententiam in te poterit pronuntiare. Ora nunc ipſum pro lucerna gratiæ, quatenus omnia cordis tui arcana nunc perſpicere, & ſi quid condemnatione dignum in te videris, per condignam pœnitentiam expiare poſſis, nec illo die quicquam funeſtum & gehennâ dignum in te reperiatur. Minimas etiam quaſcunque ſordes & maculas deterge; fieri enim poteſt, ut quod tu leve reputas & contemptibile, grave ſit in oculis Divinæ Majeſtatis. Non enim ſicut vident homines, ità ille videbit, ſed ſicut exaltantur Cœli â terra, ità exaltata ſunt judicia ipſius â judicijs noſtris.

MEDITATIO
Pro die 19. Octobris.

Secura mens quaſi juge convivium. *Proverb. 15.*

SI eſt aliqua vera lætitia in hoc mundo, non alibi reſidet, quàm in bona conſcientia. Secura mens juſtorum, quæ nullius peccati conſcia vel rea procul diſtat ab inferni & mortis æternæ periculis, eſt quaſi juge convivium, & convivale gaudium, quam qui habet, internis divinæ gratiæ conſolationibus paſcitur, & cum Deo ſecum habitante jucundatur. Hæc ridet inter quæcunque adverſa forìs accidentia, non curat etiamſi fractus illabatur orbis, vitámq; temporalem mors eripiat; imò diſſolvi optat ab hoc mortali corpore, ac mori lucrum ſibi reputat, confidit enim ſuum eſſe Regnum Cœlorum, nec mortem ſibi fore ſcit aliud, quàm tranſitum ad vitam immortalem. E contra triſtiſſimus ac miſerrimus eſt ſtatus animæ peccatricis: non eſt ibi ſecura mens, ſed trepida & anxia, ſemper in pavore, ſemper in periculis, non temporalis tantùm, ſed etiam æternæ mortis. Neſcit, quo momento animam dæmones avellent â corpore, neſcit, an non jam jam contra illam ſtringatur divinæ ultionis gladius, & Tartari fauces illam devorabunt; habet in ſe quot

Digitized by Google

ſcelera, tot carnifices ac tortores. Sicut mens bona & ſecura juge convivium, ità mens peccato ac damnationi æternæ obnoxia, juge ſupplicium eſt ac tormentum. Conare igitur ô homo mentem ſemper habere ſecuram, nè periculis inferni unquam ſubjaceas, & perpetuo frueris gaudio, nec quicquam erit, quod te in hoc mundo contriſtet vel exterreat. Quòd ſi etiam te hinc emigrare contigerit, tranſibis de gaudio ad gaudium, de gaudio bonæ conſcientiæ ad gaudium perennis gloriæ, diémq; illum feſtum & convivalem beatæ æternitatis. Stude bonam habere conſcientiam, & habebis ſemper in corde lætitiam, in morte fiduciam, poſt mortem jubilationem æternam.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 20. Octobris.

Semita vitæ ſuper eruditum, ut declinet de inferno noviſſimo.

Proverb. 15.

QVid diceres de viatore, qui multis quidem in ſcientijs verſatus eſſet, viam tamen ſcire non curaret, quâ ipſi eſſet ambulandum, & neſciens quò pergeret, in præcipitia & latrones incideret, vitámque perderet? procul dubio non ſapientem, ſed ſtultum ejusmodi hominem appellares. Stultorum tamen ejusmodi hodie propemodum infinitus eſt numerus, qui ſe in multis jactant eruditos, viam tamen vitæ neſciunt, per quam ad Cœlum pervenire, atque inferni pericula poſſint declinare. Qui hanc ſcit, ille verè ſapiens eſt ac eruditus. Nihil prodeſt quæcunq; hujus mundi ſcientia, ſi eam poſſidens per viam mortis incedat, & cum vana ſua eruditione devolvatur in gehennam. Ex hoc autem poteris dignoſcere viam vitæ & viam mortis: quòd via vitæ ſit ſuper eruditum, via mortis infra eruditum. Via vitæ via difficilis, ardua & laborioſa; via mortis plana & facilis, lubrica & præceps; per illam aſcenditur in Cœlum, per illam deſcenditur ad infernum. Vide nunc quam præferas, an eam quæ ducit

cit ſurſum ad vitam, vel quæ deorſum ducit ad æternam mortem. Neq; ſufficit viatori viam bonam ſcire, nisì & per eàm conetür attingere finem ſuum, ad quem tendit. Sic nihil prodeſt ſcientia pietatis ſinè praxi, & multis fuit mortiferum comediſſe de ligno ſcientiæ boni & mali, vitæ verò arborem præteriîſſe, cujus duo fructus, fuga mali & operatio boni, dare debent homini vitam immortalem. Si ergo verè ſapiens vis eſſe ac eruditus, ambula per ſemitam, per quam tibi ſcis ambulandum eſſe ad vitam. Noli eſſe ſtultus, & delabi ſponte in infernum, quem noveris ideo noviſſimum appellari, quia ultimum eſt & extremum, quod reprobos expectat. Infernus hujus vitæ ſeu tribulationis caminus velocem habet finem, infernus verò ille noviſſimus nunquã ſeneſcet, aut deſinet, ſed ſemper juveneſcet, ſempérq; in eo renovabuntur per omnem æternitatem tormenta reproborum. Hunc ut evadas, unica cura & ſolicitudo tua ſit, ad hoc tendat omnis tua ſcientia & cogitatio.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 21. Octobris.

Sentite de Domino in bonitate. *Sap. 1.*

Infinita eſt DEI ter Optimi Maximi bonitas & clementia. Perpende quanta ſint beneficia tibi hactenus ab ipſo collata. Cùm nondum eſſes, jam tui curam geſſit ab æterno, fecit & creavit te in tempore, ſuo te ſangvine redemit, ad Baptiſmum, fidem & religionem perduxit, de mortis æternæ periculis frequentiùs eripuit. Confitere Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Quem hucuſq; bonum ac beneficum, tuíq; amantem ac ſalutis tuæ curam gerentem expertus es, bonum quoq; deinceps ac beneficum erga te futurum confide. Vult ut de ipſo ſentias in bonitate. Et quidem fons eſt & abyſſus omnis bonitatis & manſvetudinis, clementiæ ac pietatis. Ipſe opera manuum ſuarum non deſpicit, ſed amore infinito proſequitur animas noſtras. Ipſe pro ſalute tua ſingulis momentis eſt ſolicitus, & hoc unum curat aſſiduè, ut ſalvus fias, neque irrita ſit ſangvinis ſui pro te facta profuſio. Bonum ergo ac benevolum eſſe tibi perſvade, non durum & immiſericordem. Magìs â te amari appetit, quàm timeri. In ejus clementia & bonitate

fit

ſit tua ſpes unica. Eſt verò præterea neceſſarium, ut tibi ſis ipſe bonus. Neque alia eſt cauſa æternæ damnationis hominum, quàm quia ipſi per malitiam occidunt animas ſuas, quas Deus per infinitam ſuã bonitatem ſalvare cupit. Ipſe mortem non fecit, neque lætatur in perditione viventium. Si quis ſalutem & animam ſuam perdit, non ipſi, ſed ſibi jacturam debet imputare. Nihil reprobos adeò torquebit, quàm tantam DEI erga ſe bonitatem contempſiſſe. Agnoſce igitur nunc, & accepta ejus erga te bonitatem, nè alioquin æternùm ſentias ipſius æquitatem ac ſeveritatem.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 22. Octobris.

Servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddétq; homini juxta opera ſua. *Proverb. 24.*

ACcepiſti homo animam â Deo, quam Chriſtus pretioſo ſuo ſangvine de diaboli poteſtate redemit, & mediante lavacro Baptiſmi ab originali peccato mundavit, de periculis æternæ damnationis plùs quàm millies eripuit, adeóque juris ſui totam fecit. Non tua, ſed ipſius eſt. Hanc ille modò relinquit in manibus tuis, ut illam tibi & ipſi conſerves ad vitam, & perducas ad ſalutem æternam. Tu verò nullam animæ tibi commiſſæ curam habes, de ſalute ipſius parum curas. Ipſe illā creavit, redemit, & incolumem hactenus ſervavit, tu illam in vano accipis, Dæmoni vendis, & crudeliter occidis atque confodis, quot peccatis tot vulneribus. Nihil ex his latet Divinam Majeſtatem, quæ animam tuam ſervavit redimendo, conſervat gratiam ſuam inſpirando, & obſervat inſpiciendo, quid cum illa, ſingulis momentis agas. Si putas te oculos ipſius omnia videntes poſſe fallere, ſtultus es ac temetipſum fallis. Cogita jam, ſi pignus aliquod pretioſum haberes ſub alterius poteſtate ſeu cuſtodia depo-

poſitum, & videres illud abſurdè ac damnosè tractari, quantâ non irâ exardeſceres? videt DEUS, quem nihil operum tuorum latet, facturam ſuam, animam tuam, tibi pignoris modo commiſſam à te indignè tractari, ſordidari ac deturpari, vulnerari & occidi, & quamvis nunc omnia diſſimulet, videns acſi non videret, ſcito tamen adfuturum tempus, cùm hæc omnia vindicabuntur, tibíque reddetur ſecundùm opera tua. Meliùs ergo deinceps tuum depoſitum cuſtodi, nè ille ſit ſervator, tu perditor & deſtructor animæ tuæ. Ipſum invoca; qui te huc uſque adjuvit, etiam deinceps adjuvabit, ut illam per ſuperata inferni ac mortis æternæ pericula, cœleſti adjuvante gratiâ, cuſtodire acperducere poſſis ad vitam æternam.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 23. Octobris.

Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. *Gal. 1.*

GEneralis eſt regula, quòd qui malis placet malus ſit, qui bonis bonus. Nullus ergo ſe beatum ex hoc reputet, quia ſæculi præſentis hominibus placet, inter quos, reſpectu malorum, boni vel nulli ſunt, vel ſanè pauciſſimi. Si Chriſto ſuò fideliter ſerviret, hoſtibus ejus nequaquam placeret. Quod Deus probat, hoc illi reprobant, è contra quod illi æſtimant, abominatio eſt apud Deum. Quàm verò ſtultus eſt, qui hominibus placere ſtudet, parum curans, utrùm Deo diſpliceat, â quo ſolo nobis quærenda eſt gratia, laus & gloria. Contemnenda ſunt nobis mortalium judicia & favores. Virtutem ſectantibus nunquam deerunt malorum perſecutiones, qui vel ideo bonos perſequuntur, quia horum vita diſſimilis eſt vitæ illorum. Reprobant juſti opera malorum, & abſtinent ab illis tanquam ab immunditijs, hinc odia pravorum ſuſtinent, quæ tamen parvì curanda ſunt. Gaudendum eſt homini, quem mundus odit, & malignorum hominum turba perſequitur. Hoc ſignum divinæ dilectionis ac prædeſtinationis, hæc teſ-

ſera hominis Chriſtiani. Quid lucraris æſtimabile per hominum laudes ac favores? vel quid per vituperia perdis? non quem mundus commendat ille probatus eſt, ſed quem DEUS commendat. Brevì tranſibit hæc natio prava & perverſa, brevì comedet illos tinea & vermis. Si DEO tuo contemptis hominum judicijs atq; odijs fideliter ſerviêris, æternam in altera vita mercedem recipies. Ubi tunc erunt mundi clientes? ubi humanæ laudis amatores? omnes cum laudatoribus ſuis pariter interiîſſe videbis. Quid proderit miſeris mundo in hac vita placuiſſe? ab hominibus probati â DEO reprobabuntur, pro mundano applauſu DEI odium ſuſtinebunt, & opprobrium ſempiternum.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 24. Octobris.

Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.

Eccle. 11.

VIvat aliquis homo multis annorum millibus, imò & millionibus, abſq; omni dolore ac triſtitia, fruens & affluens omnibus mundi bonis atq; delicijs; quid hæc ipſi omnia proſunt, ſi tandem aliquando finem habitura ſunt? cùm terminus illorum advenerit, quantocunque duraverint tempore, brevia videntur & momentanea, vana, caduca & fallacia, maximè ſi temporale gaudium dolor ſubſequatur æternus. Quanta igitur eſt hominum dementia, qui parvi ac citò perituri temporis curam habent, ac diligunt res modicæ durationis, æterna verò parum recogitant. Brevis eſt vita ipſorum, quam in gaudijs & ſæculi vanitatibus tranſigere appetunt, nihil cogitantes de futuro, & quidem brevì futuro. Cùm repentè vita ipſorum ve-

velut â texente præciditur, omnis lætitia & jucunditas morte abrumpitur, & ex hac vitali ſeu mundana luce rapiuntur ad tenebras, de temporali gaudio tranſeunt ad luctum & gemitum ſempiternum. Lætati ſunt hìc diebus paucis, ibi triſtabuntur diebus multis, & inter horrendos cruciatus atque dolores æternum Væ in gehenna cantabunt. Tunc videbunt, quàm vana fuerint omnia præterita, tunc maledicent omnibus mundi bonis, quibus ſe nihil aliud videbunt eſſe conſecutos, quàm mala perpetua. O! quàm tunc optabunt, ut potiùs hanc vitam in luctu, ac mundanarum vanitatum contemptu transegiſſent. Sed ſerò ſapient, hoc ipſis dabitur, quod ſtolidè fuerunt mercati. Pro brevi lætitia longam & æternam triſtitiam atque miſeriam ſuſtinebunt.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 25. Octobris.

Sic currite, ut comprehendatis. *1. Cor. 9.*

STadium eſt hic mundus, in quo ſumus poſiti, ut impigrè ac ſtrenuè curramus ad terminum nobis â DEO præfixum, quem qui attigerit, bravium æternæ beatitudinis conſequetur. Sciunt plerique ſibi currendum & feſtinandum eſſe, ut eò, quò tendunt, perveniant, & curſûs ſui coronam reportent. Illi verò non multùm properant, varias in ſtadio moras nectunt, multis â proſequendo curſu ſe detineri patiuntur impedimentis, cadunt quoque frequentiùs, nec poſt lapſum curant reſurgere, & ſic propoſito ſibi bravio miſeri fruſtrantur. Sunt qui nec de ipſo recogitant, multò minùs pedem movent, ut ipſum obtineant; aut ſi recogitant, moleſtiâ laboris â currendo abſterrentur. Vellent quidem conſequi bravium, ſed otiando ac pigritando. Quod putas hi â DEO præmium promerebuntur? ſi non omnes illi, qui currunt in ſtadio, bravium accipiunt, ſed pauci duntaxat, qui totis viribus ad metam ſibi præfixam contendunt, multò minùs hi terræ affixi quicquam accipient, ſed ignaviæ ac ſocordiæ ſuæ pœnam reportabunt. Macte

Digitized by Google

igitur animo Chriſtiane, curre, propera, ut cœleſte bravium aliquando comprehendas. Nunquam tibi ſtandum, multò minùs regrediendum, ſed aſſiduè laborandum & ſudandum, nunquam deficiendum, ſed in curſu in finem uſq; perſeverandum eſt. Magnus quidem labor, ſed magna etiam merces tibi eſt propoſita. Multa quidem offendicula curſum tuum in hoc ſtadio impediunt, multi ab hoſtibus hinc inde pedibus tuis ſtruuntur laquei ac decipulæ, hæc tamen omnia tranſilire potes cum Divina Gratia, quam ſingulis momentis implorare debes, ſciens bravij obtentionem non eſſe in poteſtate volentis & currentis, ſi abſit auxilium DEI miſerentis. Si bene ac perſeveranter currendo cœleſte bravium fueris conſecutus, æternam reportabis gloriam, & perpetuâ requie deinceps frueris. Sin verò terminum & bravium tuum non comprehenderis, terminus infelix te comprehendet. Dolebis te per ſocordiam tuam fine tuo, ad quem in hoc ſtadio poſitus fueras, excidiſſe. Optabis tunc currere, ſed tempus non erit ampliùs, cùm pedibus ligatis in termino triſti ac doloroſo æternùm jacebis.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 26. Octobris.

Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. *Lucæ 19.*

DIxit hæc verba Chriſtus Redemptor noſter ad Jeruſalem ſalutis monita contemnentem, nihil mali timentem, ſed omnia bona & pacifica ſibi pollicentem, cujus tamen excidium paulò poſt ſecuturum prævidit, quod omnino præcavere potuiſſet, ſi oculos aperire voluiſſet, nec periîſſet everſa, ſi ad Chriſti voces fuiſſet converſa. Imaginare tibi ô Chriſtiane, eadem te verba ex ore Salvatoris audire. Etiam tibi canitur hoc vaticinium; neſcis etiam tu noviſſima tua, quæ tibi paulò poſt advenient; non cognoſcis, imò non vis cognoſcere, multò minùs acceptare media ſalutis, quæ ad pacem tibi â Divina Bonitate offeruntur. Peccator es, non vis tamen DEO reconciliari dum potes, & oblata tibi cœleſtis gratiæ dona contemnis. O ſi cognoſceres, quanta ſint in Cœlis gaudia & oblectamenta, quæ tibi Deus promittit, ſi tibi ſalutaria ſapere volueris. Utinam & è contra gehennæ vora-

ginem inſpexiſſes, & vidiſſes ibi tormenta impijs præparata, faucésq; inferni ad te jam jam devorandum apertas, alia cogitares, aliter vitam tuam inſtitueres. Stringit jam fortaſſe Divina Vindicta contra te Ultionis ſuæ gladium, ut te feriat pœnâ æternæ damnationis; jam ſecuris ad vitæ tuæ radicem eſt poſita, ut illam uno ictu præcidat, atq; in gehennale barathrũ dejiciat. Et quidem fortaſſe hodie, fortaſſe hac horâ, vel ſequenti hoc fiet. Abſcondita ſunt hæc omnia ab oculis tuis, non vis oculos tuos aperire ut videas, & cognoſcas quæ ad pacem & bonum tibi, & quidem in hac die vitali, die tuâ tibi ad pœnitendum ac bene operandum conceſſâ. Veniet brevì dies, quæ non erit tua, ſed dies Domini, dies perditionis tuæ, in qua oculos primò aperies, & voluntariam cæcitatem ac dementiam tuam æternùm deplorabis. Non dabitur ampliùs in illa die tempus pacifica & ſalutifera cogitandi, multò minùs operandi. Aperi nunc oculos tuos, & vide quæ ad pacem & ſalutem tibi, ut Divinæ Ultionis gladium tibi jam jam imminentem evadas.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 27. Octobris.

Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini. *Gal.* 3. 3.

EO velociùs omnia moventur, quò ſunt propiora ſuo centro. Homines verò contrarium oſtendunt: quamvis enim bene agere, & ſpiritu alacri ac ferventi viam mandatorum DEI currere cœperint initio, ſenſim tamen remittunt ac deficiunt; qui antea fuerunt ſpirituales, fiunt extremò carnales; qui ſpiritu cœperunt, cum carne finiunt, & ipſi miſerè finiuntur & conſummantur, de carne corruptionem æternam metentes. Hæc verò maxima eſt ſtultitia. Quid prodeſt homini bene incipere, ſi malè finiat, & totum, quod laudabiliter egit, in fine corrumpat? Non qui tantùm bene cœperit, ſed qui uſquè in finem perſeveraverit, hic ſalvus erit. Incipere multorum eſt, perſeverare paucorum. Conſidera nunc, an non & tu â primo fervore ſpiritûs, quem aliquando habueras, multùm hucuſque refrixeris ac defeceris. Renova ſpiritum, redintegra propoſitum. Quòd ſi putas te non tantùm bene cœpiſſe, ſed etiam continuâſſe ac profeciſ-

Digitized by Google

ſe, DEO gratias age bonorum omnium largitori, & in operibus vitæ ſpiritualis perſevera. Ad hoc autem magno labore opus eſt. Adhuc in te ſpiritus eſt infirmus, caro autem ſpiritum adhuc potenter oppugnat; adhuc te ad alta conantem terreſtria deſideria deprimunt. Sicut cum ſpiritu cœpiſti, ità cum ſpiritu deinceps continuare debes, & in ſpiritu, non in carne ambulare, imò non ambulare, ſed volare. Altus & ſublimis eſt ſcopus, quem debes attingere, neceſſarium eſt, ut totus ſpiritus fias, tantòq; celeriùs atque ardentiùs ſurſum feraris, quantò propinquior fis quotidie fini ac centro tuo. Cave autem nè caro fias, & carnalibus deſiderijs gravatus ac depreſſus ad ima decidas. Unicum tibi ſit ſtudium, & cura unica, ut bene ac laudabiliter curſum vitæ tuæ conſummes. Aliàs ſi malè conſummaveris, erit tecum actum & conſummatum, nec ullum ultrà videbis tuæ conſummationis finem.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 28. Octobris.

Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſq; in Occidentem, ità erit & Adventus Filij hominis. *Matth. 24.*

ORitur fulgur ſubitò & inexpectatò, etiam quandoque Cœlo magna ex parte ſereno, & cùm fulgere cœperit in oriente, totum aërem in uno temporis puncto ſive inſtanti pervolat uſque in occidentem; poſt coruſcationem fulguris audiri ſolent tonitrua Cœli fulminantis. Sicut venire ſolet fulgur; ità & Deus veniet ad judicandum. Repentè illuceſcent fulgura ejus orbi terræ, videbit & commovebitur univerſa terra. De die illa nemò ſcit, ſed ſubitò & inexpectatò adveniet, in uno puncto & momento ſuper omnes habitatores orbis, cùm minimum cogitaverint de ſupremi Judicis adventu. Acuet ille tunc ùt fulgur gladium ſuum, cùm judiciũ contra iniquos arripuerit manus ejus, & cùm contra ipſos fulminaverit æternæ damnationis ſententiam, quis poterit vocem tonitrui ejus ſuſtinere? pavebunt tunc etiam juſti, nam & fulgur oculos quoque illorum perſtringit, quos fulmen non tangit. Cogita ſemper illum diem, & ſic vive, ut luctuoſam illam tempeſtatem ac fulmen æternæ damnationis evadas.

Etiam

Digitized by Google

Etiam dum tibi fulget vitæ ſerenitas, noli eſſe ſecurus, noli fidere, ſemper cogita diem illam fulgurantem, non ſolùm mundi ultimam, ſed etiam vitæ tuæ extremam. Cùm Judex venerit, fruſtra conaberis ampliùs fulmen ipſius evadere, ſi non fueris pro ejus adventu præparatus, eúmque tibi bonis vitæ hujus operibus propitium antè reddideris. Fruſtra invocabis montes & colles, ut te operiant â facie judicantis, ſed conteret te furor ejus, atq; in gehennæ abyſſum demerget. Nunquam tibi ampliùs in æternum ulla fulgebit ſerenitas, ſed luctuoſa inter gemitus & ploratus reproborum, auribus & oculis tuis obverſabitur tempeſtas. Et quidem fulgura contra te brevì mittenda jam cuduntur. Paulò poſt Judex ùt fulgur veniet, etiam tu fulguris inſtar ad pœnitentiam convertere, priusquam veniat, noli tardare, noli procraſtinare, nè te præveniat, & imparatum inveniat.

MEDITATIO

Pro die 29. Octobris.

Sicut in diebus Noë, ità erit & Adventus Filij hominis. *Matth. 24.*

CUm olim Deus orbem univerſum plurimis ſceleribus & flagitijs contaminatum videret, tulit in illum ſententiam univerſalis excidij, & conſtituit diluvio ipſum delere, exceptis valde paucis hominibus, qui per arcam ſalvi facti ſunt. Conceſſit tamen ſceleratis adhuc multas annorum inducias, ac longum ſatìs tempus, quo pœnitere, atque infenſi Numinis iram mitigare potuiſſent. Multa ipſis de venturo diluvio Noë prædicavit, aſpiciebant cùm fabricaretur arca, & ridebant, vana & ludicra hæc omnia terriculamenta eſſe arbitrantes. Illo quoq; arcam jam ingreſſo, ipſi nihilominus edebant adhuc, bibebant, nuptias celebrabant, gaudijs atque delicijs vacabant, cùm ſubitò & inexpectatò ruptis omnibus Cœli cataractis repentinus imber miſeros oppreſſit, & exortum inde diluvium Orbem totum inundavit. Ubique fletus audiebatur atque ululatus pereuntium, quorum pleriq; ſinè pœnitentia, quam eouſque malè procraſtinârunt, mortui ſunt ac ſubmerſi. Nihil magìs in extrema illa conturbatione doluerunt, quàm ſua finiri gaudia, nihil ma-

magis curârunt, quàm ut vim aquarum evadere poſſent, ſed fruſtra. Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus, & de aquis ad æternos gehennæ ignes abrepti. Hic fuit omnium gaudiorum ac deliciarum, hic totius mundi finis. Quàm repentinus & inexpectatus fuit adventus ſupremi Vindicis ſæculum per aquam punientis, tam repentinus, ſubitus ac inopinatus erit ipſius adventus, cùm venerit judicare ſæculum per ignem. Si hodie veniret, non abſimilem mundum, quàm in diebus Noë inveniret. Non curant homines niſì vana, mundana & carnalia. Omnia quæ de futuro judicio, ac horribili DEI Adventu prædicantur, fabuloſa eſſe putant ac ludicra, tempus induciarum ſibi conceſſum vilipendunt, & converti ad pœnitentiam nolunt. Cùm ſubitò venit, etſi non ultimus mundi dies, extrema ſaltèm hora vitæ ipſorum, ac repentina mortis inopinatæ tempeſtas ipſos in gehennam demergit. Tu, ſi ſapis, dimitte omnia mundi deliramenta. Adventũ Judicis ſemper cogita, & ità vive, ut cùm venerit, præparatum te inveniat; non cum mundo gaudentem ac ridentem, ſed lugentem ac pœnitentem.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 30. Octobris.

Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea Domus Iſraël. *Jerem. 18.*

VIdiſti aliquando figulum, rudem luti maſſam in manu ſua tenentem, aliquas ejus partes pro libitu ſuo rejicientem, ex alijs verò præclara & elegantia vaſa effingentem. Sicut lutum in manu figuli, ſic univerſa humani generis maſſa in manu DEI. Et quidem inprimis ſi conditionis noſtræ vilitatem perpendimus, confiteri debemus nos eſſe lutum vile, ſordidum & abjectum. Magna DEI benignitas eſt, quòd illud in hoc mundo creare fuerit dignatus. Nec tantùm illud initio fecit, ſed etiam defacto tenet in manu ſua, aliquas ejus partes pro ſuæ voluntatis beneplacito rejicit, alias verò efformat, ac facit inde vaſa in honorem, digna quæ cœleſtis aulæ palatio inferantur. In manibus ipſius omnium ſortes verſantur. Ab ipſo ſalus noſtra dependet, ipſe nos conſervare, atque in melius transformare, vel etiam reprobare poteſt, ac perdere non ſolùm temporaliter, ſed etiam æternaliter. Orandus ergo nobis eſt, ut noſtrî miſereatur, nos de manibus ſuis excidere non permittat, ſed vaſa ex nobis

nobis efformet in ſuam gloriam & honorem, per quæ ſanctum ejus nomen glorificetur in æternum. Nullus quidem ſupremo huic Plaſmatori dicere poteſt aut exprobare: cur me ſic feciſti? Dominus enim eſt, plenam habens in omnia poteſtatem, qui facturam ſuam vel ſalvare poteſt, vel conterere. Ipſum tamen humiliter invocantibus ſuam exhibet gratiam & clementiam. Dic illi corde humiliato: Ecce Domine, ego maſſa putida, & multis flagitiorum ſordibus inquinata, indigna omnino, quam teneas ac ſuſtentes; Ego vile lutum in manu tua, quod juxta libitum formare potes, vel penitus rejicere; in manibus tuis ſortes meæ, vita & ſalus mea. Pridem merui projici â facie tua & conculcari, pridem omni contumeliâ me dignum feci; adhuc tamen dignaris me tenere. Si è manibus tuis me dimiſeris, decidam in gehennæ abyſſum, nè reprobes, nè perdas me Domine Deus meus.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 31. Octobris.

Sicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo ſupervenerit. *Eccle. 9.*

UT piſcator piſcem capiat, hamum dulci obtegit eſcâ, cujus dulcedine miſer allectus capitur, & captus in mortem extrahitur. Similiter dum auceps ſtruit volucribus inſidias, grana vel fraga ipſis proponit, quibus novit eas delectari; vocibus quoq; blandè mentitis ipſas invitat, quibus deceptæ in laqueos involant, & comprehenſæ jugulantur. Eodem planè modo malignus veteratorde humano genere prædam facit. Violentè agendo nihil contra quemquam efficeret, nullum enim capit vel decipit, niſì voluntariè ipſi appropinquantem, & inſidias ipſius ſpontè incurrentem; nullus quoq; caſſibus ipſius & laqueis ſe capiendum objiceret, niſì bono aliquo delectabili alliceretur. Hinc retia ſua, laqueos & hamos occultat ſub dulci pabulo mundanæ voluptatis ac vanitatis, gloriâ, opibus & carnalibus delicijs homines ineſcans. Gaudent mi-

Digitized by Google

miſeri dulcedine momentaneâ, tempore valde modico in ea jucundantur, adhuc eſcæ ſunt in ore ipſorum, cùm repentinus eis ſupervenit interitus, mortíſque dolores & anguſtiæ ipſos corripiunt. Tunc primò vident, & agnoſcunt quid devoraverint, & quàm vana, quàm fallax & noxia fuerit illa dulcedo. Tunc hami cuſpidem, & laquei nodum ſentire incipiunt, ac miſerè pertrahuntur in æternam perditionem. Contemnenda ſunt igitur nobis omnia mundi & carnis oblectamenta, quibus hamos & laqueos ſuos inſidiator hic infernalis occultat. Charior unicuique debet eſſe ſalus propria, & quidem æterna, quàm brevis quæcunq; ſæculi præſentis jucunditas. Etſi nunc frui videatur bono tempore, & jucundis hujus vitæ diebus, omne tamen hoc tempus eſt breve ac momentaneum. Utinam cogitaret de tempore malo, quod cùm ſemel venerit, nunquam deſinet. Maledicet tunc omnibus mundi voluptatibus ac vanitatibus, pro quarum brevi ſuavitate ac dulcedine pœnas luere cogetur in igne ſempiterno.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 1. Novembris.

Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. *2. Cor. 1.*

PErpende, quàm ſit multiplex & copioſa; quàm dulcis & ſuavis Beatorum in Cœlis conſolatio. Ibi Chriſtus eos reficit, atque inebriat uberrimo ineffabilium deliciarum torrente, conferens ipſis poſt vitæ hujus labores ac triſtitiam, quietem atque lætitiam ſempiternam. Et ſicut illos hìc in mundo ſocios habuit ſuæ paſſionis, ſic eos in Cœleſti Regno facit ſocios æternæ felicitatis & conſolationis. Nullus cum Chriſto ſperet conſolari, qui cum illo in hac vita pati noluit. Quid diceres? ſi videres generoſum & inclytum aliquem belli Ducem, vel Imperatorem, laborum atque certaminum ſudores atque moleſtias fortiter perferentem, & milites ſuos ad paria ſecum ferenda onera & gravamina ſpe magni præmij adhortantem; gregarium verò quempiam militem Ducis ſui verba & exempla contemnentem, otiantem ac pigritantem, ſomno atque delicijs vacantem; an putares ipſum aliquod â Duce ſuo præmium, vel triumphi ſocietatem promereri? procul dubio non coronam & præmium, ſed pœnam & ſupplicium illi decerneres. Vide nunc, an non

Digitized by Google

tu ſis ejuſmodi miles: gloriaris quidem de ſocietate Chriſtianæ militiæ, Chriſtum Ducem & Imperatorem tuum prædicas. Multum ille in hac vita, & quidem pro te paſſus eſt, ſtrenuè tibi præivit, & ſi velis ipſum ſequi, æternam tibi mercedem & conſolationem promittit. Tu verò ipſum ſequi renuis, nec vis agere ſocium & comitem paſſionum, ſed mundanis potiùs conſolationibus adhæres. Noli ſperare, quòd ab ipſo coronam referes, cùm venerit triumphans in gloria ſua, militibus ſuis præmia largiturus. Si non ſtrenuè laboráveris, ac pugnaveris in hac vita, nunquam in altera triumphabis. Si non tuleris hìc multos ſudores atque dolores, nullam tibi requiem, nullam cœleſtis Regni lætitiam, aut gloriæ coronam velis polliceri. Sed ſcito te â Chriſti, ac Beatorum ſocietate ſecluſum, pro brevibus mundi conſolationibus æternis gehennæ paſſionibus ſubjiciendum. Noli ergo Chriſti ſocietatem deſerere.

Optabilis quæcunq; præſentis vitæ paſſio, quam ſequitur æterna conſolatio.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 2. Novembris.

Sicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram. *Job 8.*

QVid umbrâ inconſtantius & fugacius? quid inanius & contemptibilius? quæ videtur quidem aliquid eſſe, cùm nihil ſit. Huic comparantur dies vitæ noſtræ ſuper terram. Vix homo venit in hunc mundum, ſtatim ex mundo fugit velut umbra. Recogita parum dies vitæ tuæ in hoc mundo transactos, quò venerunt dies illi? miraris illos tam citò evanuiſſe; ſicut umbra declinaverunt, transſiêrunt & avolârunt. Recordare ubi ſint gaudia, ubi riſus & voluptates, ubi læta & jucunda tempora, quæ aliquando habuiſti. Evanuerunt omnia, & ſicut umbra tranſiens nullum ſui relinquit veſtigium, ſic nullum poſt hæc omnia, niſì fortè in ſola memoria veſtigium remanſit. Cùm omnes dies tui effluxerint, tunc clariùs intelliges, quàm brevia & evanida, quàm inania & frivola, quàm fallacia & umbratica fuerint omnia vitæ præſentis gaudia & oblectamenta, quæ omnia cum tempore velociter diffugiunt, nec â quoquam diu teneri poſſunt. Nihilominus brevibus ac momentaneis hujus vitæ gaudijs ac vanitatibus delectaris, ſicut pueri, qui ſe-

Digitized by Google

quuntur umbram, quam tamen nunquam tenere poſſunt vel apprehendere. Noli decipi, noli umbras ſectari. Veniet alioquin tempus, cùm te deceptum atque deluſum fuiſſe videbis ac dolebis, nihil mundanarum vanitatum, quas in hac vita ſectatus es, inveniens in manibus tuis. Dimitte potiùs omnia vana & imaginaria, ſolidis ac ſtabilibus rebus te impende, non brevi & fugaci aliquo tempore durantibus, ſed æternùm permanſuris; ut cùm dies tuos umbræ inſtar fugientes ſuper terram iſtam transegeris, vivere incipias in Cœleſtis vitæ gaudio dies & annos nunquam tranſituros.



MEDITATIO

Pro die 3. Novembris.

Si DEUS pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8.*

IMaginare tibi ex una parte Deum ſolum & unicum, & ex altera parte omnes creaturas exiſtentes, & quaſcunq; poſſibiles etiam infinitas. Quid ſunt hæ omnes reſpectu DEI? parum, vel nihil omnino. In ſe quidem ſunt aliquid, & aliquid perfectionis in entitate ſua continere videntur, ſed hoc totum â Divina Bonitate ac potentia gratuitò conceſſum acceperunt. DEUS illas omnes de nihilo fecit, habet illas ſingulis momentis in manu ſua, & poteſt illas quandocunque voluerit, diſſipare, atque in nihilum penitus redigere. Ejus potentiæ ac fortitudini nulla vis poteſt reſiſtere, ſapientiam illius nulla verſutia poteſt fallere. Inſuper optimus eſt, ac fideliſſimus adjutor & protector omnium in ſe ſperantium. Si ergo Deus fuerit pro nobis, quis contra nos poterit prævalere? effundant contra nos omnem furorem portæ inferi, ſtent in adverſum cunctæ diabolorum phalanges, ſi Deus clypeo ſuæ protectionis nos munierit, omnes ipſorum conatus & inſultus in nihilum recident, illo inſurgente diſſipabuntur, & ſicut cera fluit â facie ignis, ſic peribunt â fa-

Digitized by Google

cie DEI. Satagendum itaque nobis hoc unicè, ut Deum habeamus pro nobis. Et quidem in noſtra poteſtate ſitum eſt cum gratia ipſius, ut ejus amici ſemper maneamus; nulli enim inimicus efficitur, nisì cauſâ inimicitiæ ſibi datâ; nec deſerit quenquam, nisì priùs ab illo deſeratur. In illo ſit tota ſpes ac fiducia noſtra. Hominum verò, & quarumcunq; alíarum creaturarum â Dei amore nos avocantum ſive amicitias, ſive inimicitias, parvì æſtimemus; nec enim ullæ nobis proderunt amicitiæ, ſi Deus fuerit contra nos, nec inimicitiæ nocebunt, ſi fuerit pro nobis. Sicut ſi Deus hominem defendat, non eſt qui lædat vel noceat; & ſi juſtificet, non eſt qui condemnet; Ità ſi Deus hominem condemnet, & in furore ſuo corripiat, non eſt qui defendere illum, vel eruere poſſit de manu ipſius.

NEDI-

MEDITATIO

Pro die 4. Novembris.

Si diligitis me, mandata mea ſervate. *Joann. 14.*

COgita qualis eſſet dilectio? ſi quis diceret ſe Dominum vel parentem ſuum diligere, ejus tamen voluntati non obſequeretur, nec juſſis ejus obtemperaret, imò illa faceret, quæ ſciret ipſi eſſe contraria, eíq; diſplicere? odium potiùs vocanda eſſet verbalis illa dilectio. Talem nihilominus habent reſpectu Dei pleriq; mortales, ſciunt illum eſſe amore dignum, quin etiam jactant ſe ipſum diligere, & tamen voluntati ejus ſe parum accommodant, quæ placita ſunt ei minimè faciunt, mandata ipſius conculcant, novis & gravioribus quotidie peccatis illum offendunt, & mille injurijs Majeſtatem ejus afficiunt. Cogita qualis hæc ſit dilectio, non præmio, ſed ſupplicio, non Cœlo, ſed inferno digna. Vide an non & tu Deum verbotenus tantùm hucuſq; dilexeris. Vis audire ſignum veri ac ſynceri amoris, quem Divinæ Majeſtati debemus? ille Deum verè amat, qui mandata ejus obſervat. Qui dicit ſe Deum diligere, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, oſor & inimicus Dei. Inſpice nunc parumper vitam tuam, & videbis, quòd mandata

DEI frequentiùs violaveris, & illa feceris, quæ ſciebas ipſum deteſtari & abominari, non illa quæ ipſi placere noveras, adeóq; Deum tuum hactenus non dilexiſti, ſed odiſti. Propone deinceps vitam tuam emendare, quæ Deo ſunt placita facere, & operibus ab illo præceptis oſtendere & comprobare dilectionem tuam. Hi ſunt fructus veræ dilectionis, quæ tibi ad vitam eſt neceſſaria; quam ſi habueris, ſolicitè obſervabis omnia verba & opera tua, omnes cogitatus & affectiones tuas, nè quicquam admittas vel committas, quod Divinæ Majeſtati vel minimam gignere poſſit offenſam ſeu diſplicentiam; nec permittes te vel mundi vanitatibus, vel carnis lenocinijs, vel malignis diaboli ſuggeſtionibus â via mandatorum Dei unquam avelli. Niſi Deum ſic diligis, ipſum, & animæ tuæ ſalutem odiſti.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 5. Novembris.

Si dixerimus quoniã peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimũſ, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt DEUS & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. *1. Joann. 1.*

NUllus eſt ex toto mortalium genere, nisì gratiâ Dei extraordinariâ ſit prævenctus, qui non debeat ſe confiteri peccatorem. Ecce enim in iniquitatibus concipimur, in originali culpa naſcimur; hac etiam per Baptiſmi lavacrum deletâ, poſtquam uti liberâ voluntate cœpimus, in mille peccata prolabimur, vitámq; ducimus plenam Dei offenſis & abominationibus. Quis eſt mundus â mali operis culpâ? quis non delinquit in lingva ſua? quis omnia Mandata DEI obſervat? quis debitum ejus Majeſtati præſtat ſervitium? quis mundanis concupiſcentijs non ſeducitur? quis carnalibus deſiderijs non inquinatur? & quamvis fortaſſe aliquis Dei gratiâ ipſum præſervante nullam graviorem culpam incur-

currerit, nullam tamen juſtitiæ ſuæ habet certitudinem, & fateri debet ſe multis peccatorum, ſaltèm venialium reatibus eſſe obnoxium. Quicunq; igitur ſe â peccato mundum reputat & immaculatum, mendax & præſumptuoſus eſt; mentitur in ipſo iniquitas ſibi, ſe ipſum ſeducit, & ſtultâ atq; ſuperbâ perſuaſione decipit. Veniet aliquando tempus, cùm ipſum coram Divino Tribunali multa peccata nunc incognita incipient accuſare, & vita ipſius univerſa oculis totius mundi propoſita, multis ſcelerum reatibus obſtrictum fuiſſe comprobabit. Confiteri nos ergo potiùs debemus peccatores, & quidem maximos, plurimis ex cauſis Dei vindictam promeritos. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, clemens & miſericors, ut illa nobis remittat, & emundet nos ab omni iniquitate. Si autem illa non confitemur, neque agnoſcimus, non ſperemus ea nobis unquam remittenda. Dic ergo ad Deum ex toto corde:

Miſerere mei Deus. Eſto mihi propitius maximo peccatori.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 6. Novembris.

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? *Pſal. 129.*

TAnta eſt Dei bonitas & clementia, ut nobiſcum in judicio ſuo non procedat cum rigore juſtitiæ; quod ſi faceret, & iniquitates noſtras ſtrictè obſervaret, atque univerſas vitæ actiones ad libellam ſeveri examinis appenderet, non juſtificaretur in conſpectu ejus omnis vivens, nemo rigorem judicij ſuſtineret, & vix ullus â ſententia condemnationis liber evaderet. Væ non ſolùm ſceleratæ, ſed etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ judicetur. Laudabilem intellige, qualem in terris ducunt boni piiq; homines, qui tamen & ipſi quotidie in multis offendunt, & ſi vellent, longè fidelius atque ferventius obſequium Deo præſtare poſſent. Non obſervat autem Divina Bonitas tam ſeverè delicta noſtra, nec rigidè nimis illa dijudicat, maximè ſi homo peccata ſua obſervet, illáque delere conetur per congruam pœnitentiam, quam Deus pro illorum remiſſione gratiosè acceptat. Si autem homo iniquitates ſuas non obſervet, inſuper coram Deo ſe velit juſtificare, atque â reatu peccati libe-

Digitized by Google

liberum comprobare, facilè ipſum convincet, atq; coarguet in judicio, ut ipſi non poſſit reſpondere unum pro mille. Nec ſolùm elucet Divina Bonitas & Clementia erga nos in culparum examine, ſed etiam in pœnarum inflictione; quæ licèt nobis graves videantur, nihilominus ſi vellet, adhuc longè graviores & acerbiores infligere poſſet. Divinæ igitur miſericordiæ & clementiæ te in omnibus committe ac ſubmitte, quæ tibi erit neceſſaria, quantumvis bonus ac juſtus tibi viſus fueris. Dic corde contrito ac humiliato: non intres Domine in Judicium cum ſervo tuo, maximo & abjectiſſimo peccatore. Spes unica meæ ſalutis & fiducia, non in juſtitia mea, ſed in clementia & miſericordia tua Domine DEUS meus.

MEDITATIO

Pro die 7. Novembris.

Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

1. Petri 4.

NOn eſt ità facile ſalvari hominem, ùt putant homines. Altum eſt Cœlum, & aſcenſus valde arduus atque difficilis, magnâ indigens laboris violentiâ. Multæ nos per ſingula momenta circumdant hoſtium inſidiæ, ac innumera circumſiſtunt æternæ ſalutis pericula. Etſi quis videatur ſibi juſtus, quin etiam in aliorum oculis dignus cenſeatur ſanctitatis præconio, nec ipſe tamen de ſe, nec alius de ipſo certus eſt, quòd ſit amore dignus, & ſi ex hac vita in ſtatu præſenti decederet, ſententiam æternæ damnationis evaderet. Alia enim ſunt judicia Dei, alia hominum. Neſcit ipſe ſpiritus hominis, quid ſit in homine. Multi ſe agnos reputant, ſunt tamen hædi, ac filij æternæ perditionis. Demus etiam aliquem eſſe certum de ſua juſtitia, magno nihilominus labore opus habet, ut in illa uſque in vitæ finem perſeveret. Multis adhuc inferni periculis eſt obnoxius, & neſcit, an non in ſtatu peccati mortalis ex hoc ſæculo ſit abſceſſurus. Si juſtus timere debet, nè coram Deo non ſubſiſtat, & in ſta-

tera

tera Judicij Divini appenſus inveniatur minus habens, quid fiet de impio? qui nihil de virtute, nihil de æterna ſalute cogitat, qui palàm ſceleratè vivit, qui bibit quaſi aquam iniquitatem, potéſtne de hoc aliqua ſalutis ſpes concipi? Homo ſanctæ vitæ non poteſt æternam ſalutem ſperare, nisì ùt bonum ſibi arduum ac difficile, quid ſperandum habet peccator? Juſtitiæ in conſpectu Dei non ſunt ſecuræ, quid fiet de iniquitatibus? ſi coram Divino Tribunali vix Sancti poſſunt ſubſiſtere, impij & peccatores ubi parebunt? quid facient? quid dicent? quò ſe vertent? quò ibunt? non poterunt ibi ſtare, ſed tanquam ſtipulæ vento raptæ tollentur â facie furoris Domini, & ſempiternis gehennæ incendijs deputabuntur, neque ultrà in æternum apparebunt. Fuge igitur impietatem ô homo, ſectare juſtitiam, & nihilominus cum metu ac tremore ſalutem tuam operare.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 8. Novembris.

Sinè intermiſſione orate.
Theſſal. 5.

CONſidera, quàm miſer ſit homo quoad corpus & animam, quantis vitæ non ſolùm temporalis, verùm etiam æternæ ſubjectus periculis, quot hoſtium telis expoſitus. Caro, mundus & diabolus illum aſſiduè conantur detrahere in gehennam; mors illi per ſingula momenta inſidiatur; ipſe interim debilis eſt ac infirmus, pauper ac miſerabilis, ità ut ſeipſum penitus juvare non poſſit, ſed nisì aliunde habeat auxilium, neceſſariò debeat perire, ac ſalutem perdere. Solus verò Deus eſt, qui ipſum juvare poteſt in ſuis neceſſitatibus, ac de tot periculis eruere. Sinè gratia ipſius ſalvari hominem eſt impoſſibile. Non ſolet autem Deus gratiæ ſuæ beneficia conferre, nisì hæc ab illo per orationem petantur. Et quid facilius periclitanti & indigenti, quàm orare ac rogare? Hinc volens perit, nec ullâ commiſeratione dignus eſt, qui orationem, tam facile ſalutis medium non adhibet. Et quidem cùm per ſingula momenta indigeat Dei miſericordiâ & & clementiâ, etiam ſingulis momentis bonitatem ipſius debet exorare, ipſúmq; ſemper, quantum fieri

poteſt, habere in memoria, ſemper in lingva. Quòd ſi hæc orare deſinat, orare ſaltèm debet vita. Exaudit enim Deus non tantùm lingvam, ſed & juſtitiam noſtram. Cùm tanta ſit orationis neceſſitas atque utilitas, magna nihilominus eſt pigritia & negligentia tua in hoc ſancto precandi exercitio. DEUM non tantùm ſinè intermiſſione non oras, ſed etiam cùm preces ad eum fundis, tam faſtidiosè ac diſtractè hoc facis, ut nullam ab ipſo merearis gratiam, ſed potiùs nauſeam illi crees ac diſplicentiam. Propone deinceps ipſum orare crebriùs, attentiùs, atq; ferventiùs, & lingvâ & vitâ tuâ. Quod ſi feceris, exaudiet Deus tam juſtitiam, quàm precem tuam, ac cœleſti gratiæ ſuæ præſidio te comitabitur uſque in finem. Quòd ſi nunc, dum impetrandi tempus eſt, orare nolueris, in caſſum aliquando ſinè intermiſſione orabis & plorabis.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 9. Novembris.

Sinè me nihil poteſtis facere. *Joann. 15.*

COgita quid poſſit palmes ſinè vite; nullum omnino ferre poteſt fructum, ſed marceſcit & areſcit. Quid poteſt ſecuris, vel quodcunque aliud fabrile inſtrumentum ſinè motore? aut organum ſinè aura fiſtulis inſpirata? nihil omnino, ſed torpida manent & immota. Ità etiam nos ſinè DEO nihil poſſumus facere operis meritorij conducens ad vitam æternam. Ab illo dimanat in nos omnis gratia & vita, quicquid virtutis habemus, ab illo eſt, ſinè ipſius inſpiratione ac motione, nec bonum cogitare aut facere, nec malum fugere valemus, ſinè quibus tamen æternam ſalutem conſequi non poſſumus. Nihil habemus ex nobis, ſed miſeri ſumus & infirmi, debiles atque impotentes, prædæ hoſtium, & gehennæ mancipia, nec quicquam niſì peccatum operamur, & mortem. Cùm tanta ſit humana impotentia & indigentia, & tanta Divini auxilij ad bene operandum neceſſitas, magno cum fervore Deus nobis eſt invocandus, ut ipſo adjuvante aliquid boni ac meritorij præſtare valeamus; quin & hoc ipſum pro magna Dei gratia computandum

eſt,

eſt, quòd nobis facultatem præbeat ipſum orandi; nam hoc ſinè ipſo facere non poſſemus. Sicut nihil poſſumus facere ſinè ipſo, ità multum, imò & omnia poſſumus cum ipſo. Paratus eſt omnia bona nobiſcum facere, ſi modò nos illa cum ejus auxilio facere velimus. Quòd ſi nos ipſo volente, dum poſſumus, bonum operari nolumus, veniet tempus, cùm volentes bonum facere non ampliùs poterimus, â gratia ipſius deſerti, quam ſemper invocare, nunquã in vacuum recipere, ſed illi ſtrenuè ſemper collaborare debemus, ſi noſtram ſalutem diligimus, quam non conſequemur, niſi bene operando, quod cum gratia DEI nobis eſt facile, ſinè illa verò impoſſibile.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 10. Novembris.

Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua. *Eccli. 27.*

CHriſtianæ vitæ, ac totius noſtri ſpiritualis ædificij, quod bene operando ſtruimus, baſis ac fundamentum eſſe debet timor Dei. *Sicut fundamento vacillante cadit & ſubvertitur ædificium, ſic deficiente timore totum collabitur, quicquid homo ſibi videtur boni ac meritorij ad cœleſte præmium, & ſalutem æternam conſtruxiſſe.* Et quidem magnam in hac vita timoris anſam habemus, multi hoſtes per ſingula momenta ſtructuram noſtram impetunt, plurima ruinæ pericula nobis inſtanter imminent, hinc etiam inſtanter timere, nósq; adversùs illa præmunire debemus. Qui pavet, cavet; timor parit ſolicitudinem, ſolicitudo periculum avertit. Beatus ergo & felix, qui timet Dominum, ille ſtructuram ſuam ad finem feliciter perducet, quam fundavit ſupra firmam timoris petram; ille non habebit, quod timeat. E contra qui â ſe timorem Domini excludit, neceſſe eſt, ut metuat velocem ædificij ſui ruinam. Quàm multi homines religioſiſſimi & ſanctiſſimi, cùm ad perfectionis ca-

Digitized by Google

cumen & faſtigium ſtructuram ſuam perduxiſſent, & jam inter ſidera ædificare cœpiſſent, miſerè cum omni ſuo ædificio collapſi ſunt, & facta eſt ruina illorũ magna. Quia ſcilicet non in timore Domini, ſed in præſumptionis, & vanæ confidentiæ fundamento domus ſuas ædificârunt. Horum exemplo diſce ſapere, nè pariter cum ædificio tuo in fine corruas. Tene te ſemper in timore Domini, quicquid boni facis & ædificas, totum humilis timoris fundamento inſiſtat. Non es ſecurus, quòd ædificium tuum ad optatum uſque finem perduces. Omnia quæ tibi ad vitam & ſalutem æternam videris conſtruxiſſe, diſſipari & collabi poſſunt in momento. Quòd ſi Deum timueris, tunc demum ſecurus eſſe poteris, erit enim adjutor tuus & protector. Qui non timet, non habet, quod ſperet. Qui autem timet DEI juſtitiam, ſperare poteſt ejus gratiam & clementiam.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 11. Novembris.

Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te. *Apocal. 3.*

POſuit nos Dominus in hanc mundi regionem, ut in ea tanquam hoſpites ac peregrini viveremus incolatûs noſtri tempore, adventum ipſius expectantes. Venit Dominus, cùm nos fatali morbo vel caſu viſitat, & ex hoc mortali corpore ad ſæculi alterius vitam transfert. Parati ſemper eſſe debemus illum ſuſcipere, & ipſi, cùm appropinquaverit, obviàm ire. Cùm verò neſciamus, an citò, an ſerò venturus ſit, ſemper nobis eſt vigilandum, nè nobis imparatis adveniat improvisè. Solet enim venire illâ horâ, quâ minimè venturus putatur; & quos ex ſervis ſuis invenerit dormientes, illis non ſervitij ſtipendia, ſed ignaviæ ac negligentiæ pœnas retribuit. Nec parvo plecti meretur ſupplicio deſidia ſervi, qui tantæ Majeſtati ſervire obſtrictus, non vult in ejus obſequio modicùm vigilare. Aſſiduè itaq; nobis vigilandum in hac vita. Habemus plurimos fures & hoſtes, quorum inſidias cavere debemus. Ipſe dies Domini tanquam fur nobis imminet. Illum ſemper cogitare debemus, ſemper lum-

lumbos habere præcinctos per malarum cupiditatum refrænationem, & lucernas bonorum operum ardentes in manibus noſtris tenere, parati omnibus momentis Domino advenienti obviàm procedere. Tu verò quàm parum hactenus vigilâſti, quàm parum de Domini Adventu fuiſti ſolicitus, quo ſi fuiſſes inopinatè præventus, meritas ſocordiæ ac pigritiæ tuæ pœnas in gehenna jam lueres. Excute vel nunc ſomnolentiam ac torporem, maximè cùm Adventus Domini tui longiùs abeſſe non poſſit. Tempus eſt, ut vigilare incipias. Vigilabis alioquin in pœnis infernalibus ſinè ulla requie, qui modico vitæ præſentis tempore in Domini tui obſequio vigilare noluiſti.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 12. Novembris.

Si Patrem invocatis eum, qui ſinè acceptione perſonarum judicat ſecundùm uniuscujusq; opus, in timore incolatûs veſtri tempore converſamini. *1. Petri 1.*

EST quidem Deus Pater noſter clementiſſimus, ac ſalutis noſtræ amantiſſimus, magnæ bonitatis & miſericordiæ, beneficentiſſimus in omnes, qui fecit & redemit nos, qui nos fovet, nutrit atque ſuſtentat, & innumeris gratijs ac beneficijs excitat & provocat erga ſe gratitudinem, dilectionē, ſpem & confidentiam noſtram. Cogitandum tamen nobis eſt, quòd hic idem, quem Patrem noſtrum vocamus, futurus ſit aliquando Judex noſter, judicaturus omnes ſecundùm opera eorum, ſinè ulla perſonarum acceptione, in juſtitia & æquitate. Non curàbit ullius magnitudinem ac potentiam, non reſpiciet perſonam divitis, docti aut eloquentis; multos etiam ex ſuis filijs, qui ante mortem ex gratia ipſius exciderunt, projiciet â facie ſua. Qualis quisque ſecundùm vitæ merita pro illo ſtatu inventus fuerit, talis abſque ulla diſſimulatione judicabitur, &

quod ſententiæ in ipſum ſemel prolatum fuerit, hoc abſq; ulla ſpe remiſſionis ac miſericordiæ per totam æternitatem portabit. Nullus ergo de divina miſericordia nimiùm debet præſumere, ſed in timore ac tremore incolatûs ſui tempore in hoc mundo converſari; benignitas enim Patris paulò poſt commutabitur in ſeveritatem Judicis. Si cantamus Deo miſericordiam, cantemus etiam judicium; nunc eſt clemens erga omnes & miſericors, paulò poſt erit rigidus Exactor & Vindex, nihil ulli parcet, nihil diſſimulabit. Sis magnus, ſis parvus, ignobilis vel honoratus, dives aut pauper, rudis vel eruditus, quantuscunq; & qualiscunque fueris in hoc mundo, ſi bene in vita egeris, præmium in altera recipies; ſin minùs, æternam damnationem non evades. Non reſpiciet Deus ullius perſonam in judicio, qualis vel quanta ſit; ſed hoc unum reſpiciet, quomodo unusquisq; in hujus mundi ſcena perſonam ſibi commiſſam egerit, ſive magnam ſive parvam.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 13. Novembris.

Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & Matrem, &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Lucæ. 4.*

PRædicat nobis Chriſtus in Evangelio, & tanquam pietatis ac ſalutis Magiſter, artem bene vivendi, atque ad Cœlum perveniendi profitetur; conquirit diſcipulos, quos verbo inſtruat & exemplo, invitat omnes, jubet cunctos ad ſe venire, hac tamen lege & conditione, ut qui Magiſterio ipſius ſe volunt ſubjicere, carnales & privatos quoſcunque affectus exuant, & odio habeant parentes, fratres, & cognatos ſuos, quin & animas ſuas. His omnibus abrenuntiare oportet, ſi Chriſti volumus eſſe diſcipuli. Venit Chriſtus in hunc mundum ſeparare hominem adverſùs Patrem ſuum, & adverſùs cognatos atq; domeſticos ſuos. Mundus è contra vult ſeparare hominem à Chriſto, eíque per ipſos multa ponit ſalutis æternæ obſtacula. Exuere oportet carnem & ſanguinem, abjicere cognatorum memoriam & affectum, domeſticos omnes per ~~vitæ &~~ converſationis fugam odiſſe, & cum his etiam ſe ipſum abjice-

jicere ac fugere, ſanctóq; odio perſequi; inimici enim hominis domeſtici ejus, nemo autem homini ſe ipſo magìs eſt domeſticus. Si debet propter Chriſtum neceſſarios ſuos, imò & animam ſuam relinquere, quantò magìs alias res hujus mundi? qui hoc non facit, Chriſtum non diligit, nec eſt Chriſto dignus. Omnem itaq; carnalem ac mundanum amorem ex corde tuo elimina, odio habe quicquid te â Chriſto abſtrahit, vel in audienda & ſequenda ejus doctrina impedit. Non errabis ſub tanti Doctoris Magiſterio, ſed docebit te viam vitæ & diſciplinæ, per quam ad cœleſte Regnum pervenire poſſis, in quo pro vanis ac tranſitorijs rebus præſentis ſæculi dimiſſis & contemptis, centuplum de cœleſtibus & æternis præmium recipias, imò infinitum.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 14. Novembris.

Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens. *1. Cor. 3.*

OMnes in hoc mundo ſapere debemus, nè alioquin æternas dementiæ pœnas luamus. Veram tamen ſapientiam diſcernere debemus â falſa, prudentiam ſpiritûs â prudentia carnis. Hujus mundi ſapientes multa ſibi ſcire videntur, nôrunt enim definire, dividere & argumentari, ac de varijs rebus tam ſacris, quàm profanis diſcurrere, ſed vana & falſa eſt ipſorum ſcientia, quâ inflantur, ſtudio enim ſuo ad hoc unicè collimant, ut vanis ſuis deſiderijs ſatisfacere, & carnis ſuæ commoditatibus providere poſſint. Hi ſunt ſæculi hujus prudentes, hi ſunt ſapientes mundanæ hujus Babylonis, qui veram Chriſti ſapientiam reputant ſtultitiam, ipſi interim omnium mortalium ſtultiſſimi, ſemper diſcentes, & nunquam ad veram ſapientiam pervenientes; alta ſapientes, terram lingentes; cum vana ſua doctrina ſapienter deſcendunt ad inferos. Vera ſapientia & Chriſti Philoſophia non conſiſtit in multa cognitione illarum præcipuè rerum, quæ ad ſalutem parum conducunt, ſed in humili ac laudabi-

Digitized by Google

li vita, quæ tamen ab hujus mundi ſapientibus ſtultitia reputatur. Sed non curanda ſunt hujus mundi judicia. Elige potiùs hominum oculis ſtultus apparere, modò ſis coram Deo verè ſapiens, ac tibimetipſi prudens, quàm altè ac vanè multa ſapiendo tibimetipſi eſſe inſipiens, ad æternam animæ tuæ perditionem. Noli eſſe ad multa diſcenda & ſcienda multùm avidus & curioſus. Multa ſatis hucuſq; didiciſti, quando illa in praxin vertere incipies? optima quæq; ſcis, ſed peſſima facis. Stude deinceps non tam rerum cognitioni, quàm morum tuorum correctioni, nè alioquin pereas in ſapientia tua, dúmque ſapientia Sanctorum, quæ huic mundo videtur ſtultitia, coronabitur, tu cum hujus mundi ſapientibus ſerò ſapere incipias, & ſtultitiam tuam æternùm deplores.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 15. Novembris.

Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Matth. 16. 24.*

VOcat nos ad ſe Chriſtus in Evangelio, invitat nos ut ipſum ſequamur. Qui verò ipſum ſequi voluerit, ante omnia ſeipſum debet abnegare, ſibi ipſi abrenuntiare, hoc eſt abjicere, contemnere, odio habere, perſequi ſeipſum & animam ſuam. Judicium frangere, intellectum captivare, propriam voluntatem ſubjicere, pravas ejus cupiditates coërcere, ſenſus corporeos â mundanis oblectamentis abſtrahere, carnem non delicatè ac molliter tractare, ſed macerare, affligere ac mortificare. Hoc eſt crucem Chriſti tollere, cum qua in humeros ſponte ac alacriter ſuſcepta, ipſum ſequi debemus. Fecit hoc ille prior, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Veniendo in hunc mundum abnegavit ſtatim, imò exinanivit penitus ſemetipſum, ſervi contemptibilis formam accipiens; nunquam ille fecit voluntatem ſuam, ſed voluntatem Patris ſui cœleſtis; nullam dedit requiem ſanctiſſimæ Carni ſuæ, ſed illam per famem & ſitim, vigilias & laſſitudines, aliáſq; moleſtias jugiter afflixit

xit & mortificavit, ſemper in laboribus & doloribus, in egeſtate ac paupertate â juventute ſua. Tandem quoq; tradidit animam ſuam in mortem, & quidem acerbiſſimam mortem crucis; quamvis tota ipſius vita non fuerit nisì continuata Crux & juge Martyrium. Videtur tibi fortaſſe ô homo durum & acerbum, ferre hanc Chriſti Crucem; hoc â te Salvator non exigit, ſed juberis tollere crucem tuam, quam viribus tuis cum divina gratia ferre potes. Hanc tibi partim ipſe Deus imponit, partim tu ipſe tibi per ſpontaneam voluntatis abnegationem, & carnis tuæ mortificationem debes imponere, & cum illa ſequi tuum Salvatorem. Quem ſi taliter ſecutus non fueris, nunquam conſequeris. Si te non abnegaveris & oderis in hac vita, perdes in altera vita. Si refugis crucem ferre temporalem, ſubire cogeris æternam.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 16. Novembris.

Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Rom. 8.*

SI duos videres contra ſe pugnantes ac duellantes, quorum unus eſſet hoſtis tuus infenſiſſimus, alter verò amicus tibi fidelis & familiaris, cujus partes adjuvares? haud dubiè amici partes contra inimicum tuendas ſuſciperes. Habes in temetipſo duos contra ſe invicem quotidie pugnantes, maximos adinvicem hoſtes, carnem & ſpiritum. Infenſiſſimus hoſtis tuus eſt carò propria, quæ nihil molitur aliud, quàm quomodo ſpiritum ſibi poſſit ſubjicere, ac te unà cum ipſo totum detrahere in æternam perditionem. Spiritus verò tibi eſt intimè amicus, & ſicut caro mortem, ſic ille, niſì â carne victus vel impeditus fuerit, operatur vitam & ſalutem tuam. Quid igitur tibi agendum? favendum procul dubio non carni, ſed ſpiritui; inſtigat te caro, ut ipſi contra ſpiritum inſurgenti faveas & conſentias, illam blandè ac familiariter tractes, ejúsq; cupiditatibus obſequaris; quod ſi feceris, & ſecundùm carnis deſideria vixeris, citò inſoleſcet ac invaleſcet contra ſpiritum, illúmq; detrahet in mortem & corru-

ptionem. Si autem ſpiritum adjuveris, ſi carnis inſolentiam & vires attriveris, ſi facta ipſius, ſive pravas ejus cupiditates mortificaveris, regnabit atq; triumphabit in corruptibili ac mortali tuo corpore ſpiritus incorruptibilis & immortalis. Sed & carni tuæ ſic domitæ, ſubjectæ ac mortificatæ victoria hæc non erit ad mortem, ſed ad vitam. Gaudebit enim aliquando te ipſius deſiderijs non obſecundâſſe, ſed ſecundùm ſpiritum potiùs vixiſſe. Gaudebit ſe in hac vita fuiſſe â te vexatam & mortificatam; & ſic unà cum ſpiritu æternùm ſalvatam & glorificatam.



MEDITATIO

Pro die 17. Novembris.

Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. *1. Cor. 10.*

OMnia in gloriam ſuam creavit Altiſſimus. Ad hoc vivit homo quilibet, ut Deum factorem ſuum, mente, ore ac opere glorificet. Omnia quæcunque facit, in laudem & gloriam ſupremi Numinis debent collimare. Nec tantùm per bona opera, cujusmodi ſunt oratio, lectio, carnis mortificatio, & ſimilia, ſed etiam per alia quæcunq; indifferentia Deum glorificare poſſumus, etiã manducando & bibendo, vel aliud quid ejusmodi faciendo, ſi hæc â nobis in charitate fiant, & in gloriam DEI referantur, maximè ſi in unione operum Chriſti, quæ in ſimili materia per vitæ ſuæ tempus geſſit, fuerint elicita. Nullum ex talibus eſt, quod non immenſum gratiæ & gloriæ augmentum homini promereatur. Cogita jam, quantum vel per unam horam cœleſtis gloriæ lucrari poſſis. In manu tua eſt parvum & leve pretium, quod Deus acceptat pro mercibus infinitis. Præter ſtatum gratiæ unica brevis intentio eſt neceſſaria, quâ opus tuum quodlibet actualiter aut virtualiter in Dei gloriam & honorem

referas. Quanquam Deo parum gloriæ accedat ex operibus tuis,nec ipſi bene operando quicquam proſis. Quicquid boni facis, tibi ſoli cedit in emolumentum & utilitatem, in gloriam & beatitudinem tuam. Noli ergo perdere tanta tempora, & tanta bonorum operum lucra negligere, nè alioquin parum videaris æſtimare cœleſtem gloriam, tàm facili pretio comparabilem. Niſi Deum glorificaveris in hoc mundo, opera tua in gloriam ipſius referendo, nunquam ipſum in Cœlo glorificabis, nec ab ipſo gloriam, ſed pœnam & confuſionem reportabis. Ardebis æternùm in gloriam DivinæJuſtitiæ, qui pro gloria bonitatis ejus bene operari noluiſti.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 18. Novembris.

Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. *Matth. 19.*

NOn eſt alia via ad vitam æternam, quàm DEI mandatorum cuſtodia & obſervantia; nec eſt alia via ducens ad mortem, quàm legum divinarum neglectus & prævaricatio. Quicunque igitur vult ſalvus eſſe, mandata Dei ſervare debet. Ante omnia Deus nobis rogandus eſt, ut mentis noſtræ oculos illuminet, ad cognoſcendum omnia mandata ipſius, ut nos doceat facere voluntatem ſuam, & exequi quod placitum coram illo eſt omni tempore. Ut verò mandata ipſius jam cognita ſervare poſſimus, gratia ipſius nobis eſt imploranda, ut dirigat greſſus noſtros in ſemitis ſuis, nequando de via mandatorum & juſtificationum ipſius moveantur veſtigia noſtra. Quàm verò parum curant homines mandata Dei, quotidie illa violant & conculcant, ſequuntur potiùs mundanas ſeductiones, carnis inſtinctus, ac dæmonis conſilia, quàm Dei præcepta. Videtur ipſis jugum mandatorum Dei oneroſum & grave, ſed gravius erit ipſis æternùm in flammis infernalibus ardere. Si eis mandaretur ſe in ignem projicere, & gravia ſibi quotidie tormenta

Digitized by Google

infligere, deberent ex amore Dei, ac propriæ ſalutis hoc facere. Nunc verò non ſunt adeò gravia & importabilia, quæ jubentur, inſuper Deus per ſuam gratiam jugum ſuum ipſis alleviat, ut facilè poſſint ingredi ad vitam. Illi verò ſpernunt hæc omnia, digni proinde ſunt æternâ morte. Cave nè tu quoq; ſis de illorum numero. Prima tua ſolicitudo ſit mandatorum Dei obſervantia, in qua & unicum beatitudinis obtinendæ medium, & Chriſtiani, imò & religioſi hominis perfectio conſiſtit, per quam nempe voluntas noſtra divinæ voluntati perfectè conformatur; ſi mandata Dei ſervaveris, conſervabunt te; ſi autem illa violaveris, non tantùm Deo refractarius eris, ſed etiam peccabis contra propriam vitam, & ſalutem tuam.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 19. Novembris.

Sobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni DEI, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti.

Tit. 2.

NOn alium ob finem ſumus in hoc ſæculo; quàm ut bene vivendo gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti reddamur aliquando participes & conſortes. Qui autem vult bene vivere in hoc ſæculo, debet obſervare, qualiter ſe gerere debeat erga Deum, erga proximum, & ſemetipſum. Erga Deum debet eſſe pius, ipſum colere ac diligere, tanquam Creatorem ac Salvatorem ſuum, & communem generis humani Parentem. Erga proximum debet eſſe juſtus, dando illi quod ſuum eſt, nemini ullam injuriam inferendo, & quod ſibi vult fieri, alteri præſtando. In ordine ad ſe ipſum debet eſſe ſobrius, hoc eſt prudens ac temperans, ſui ipſius, ac paſſionum ſuarum rector & moderator, bonis mundi hujus diſcretè ac parcè uti, ſéq; immaculatum cuſtodire ab hoc ſæculo. Qui ſic piam, juſtam & ſobriam vitam ducit in ſæculo præſenti, expe-

Digitized by Google

ctandam habet cœleſtem gloriam in futuro, cujus ſpe ſe modò conſolari, & ad perſeverandum in bona vita excitare atq; animare debet. Quòd ſi voluerit erga Deum impiè, erga proximum injuſtè agere, cupiditatibus ſuis fræna laxare, ac mundi hujus voluptatibus inebriari, non ſperandum, ſed timendum habet adventum, non gloriæ, ſed vindictæ magni Dei Judicis ac Vindicis, non Salvatoris aut Præmiatoris. Inſpice nunc parumper vitam tuam, & videbis, quòd parum hactenus ſobriè, juſtè, ac piè vixeris in hoc ſæculo; neſcis quamdiu ampliùs in illo ſis permanſurus; propone ſaltèm deinceps vitam tuam ſic inſtituere, ut in adventu gloriæ magni Dei habeas quod ſperes, non quod timeas.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 20. Novembris.

Sobrij eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquã leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui reſiſtite fortes in fide.

1. Petri 5.

SI aliquis Leo præ fame ac ferocitate rugiens circuiret, quærens aliquem ad devorandum, cujus ungves & fauces nec fugâ, nec latebris evadere poſſes, utiq; tibi de armis, aliiſq; medijs provideres, quibus illi te invadenti reſiſtere valeres. Circuit modò per mundum non unus tantùm, ſed innumeri ac propemodum infiniti leones infernales, humanæ ſalutis rabidiſſimi hoſtes, rugientes ac famelici, qui nihil aliud eſuriunt, nihil aliud quærunt, quàm animas hominum, quarum perditione ac devoratione quotidie occupantur & paſcuntur, nunquam tamen ſaturantur; neque ullus in hoc mundo locus ab eorum ferocia tutus eſt. Cautè igitur ac providè nobis eſt converſandum, cùm nullo momento ſimus ab infernalium ejuſmodi belluarum invaſione ſecuri. Sobrij eſſe debemus ac vigilantes. Quòd ſi enim quis vanitatibus ſeu voluptatibus mundanis di-

diſtentus & inebriatus, & ſomno pigritiæ ac negligentiæ demerſus fuerit, citò rugientium iſtorum, qui præparati ad eſcam ſemper & ubiq; circumeunt, ungvibus ac dentibus in prædam cedet. Imò etiamſi ſobrius ac vigilans fuerit, non tamen immunis erit â diſcerptionis periculo, nisì de armis maturè ſibi providerit, quibus repentinæ illorum invaſioni poſſit reſiſtere. Unicè ipſi eſt neceſſarium, ut ſit fortis in fide, per quam omnes Sancti diabolum, ejúsq; aſſeclas miſſos in omnem terram vicerunt. Debemus DEUM his omnibus belluis infinities fortiorem ac potentiorem vivâ fide credere, & fiduciam noſtram in ipſo collocare. Non deerit nobis in ipſo confidentibus cœleſte auxilium, quo adjuti, â rabie leonũ iſtorum infernalium immunes evadamus. Quòd ſi nos ſemel ab illis rapi contigerit, non erit per totam æternitatem, qui nos de unguibus & faucibus ipſorum eruat, neq; qui ſalvos faciat.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 21. Novembris.

Spes impij tanquam lanugo eſt, quæ â vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ â procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. *Sap. 5.*

PErpende quid ſit lanugo, quid ſpuma, quid fumus. Tollit ventus lanuginem, illámq; diſcerpit & aufert; aquæ procella ſpumam diſſolvit ac diſpergit; fumus in aëre diffuſus citò difflatur & evaneſcit. Quàm levia ſunt hæc, quàm brevia & evanida; citò tranſeunt, & cùm tranſiêrint, non eſt aliquod illorum reperire veſtigium. Brevis eſt etiam memoria hoſpitis, qui parvo diei tempore in hoſpitio commoratus ſtatim abiît, aut foribus ejus modicè ſalutatis præteriît. Nemo illius, cùm tranſiêrit, diu recordatur. Similiter brevia & fugacia, momentanea & evanida ſunt omnia mundi bona, in quibus tamen homines ſpem & fiduciam ſuam collocant. Inhiant avidè voluptatibus ac delicijs, ſed citò mollem hanc lanuginem mortis aquilo tollit ac di-

diſcerpit: Sperant in divitijs, ſed inanem illam ſpumam extremæ horæ procella velociter diſpergit. Confidunt in honoribus, in gloria mundi hujus ac potentia, ſed hos fumos lethalis turbo diſſipat in momento. Aucupantur ſæculi favores, fulciuntur amicorum turbis, & famulorum ſatellitijs ſtipantur, ſed omnia hæc brevia ſunt, ac citò valde tranſeunt, ſicut memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Imò ipſe homo eſt hoſpes talis in hoc mundo; hodie venit, cras hinc emigrare compellitur; & cùm exiêrit, nihil ſecum auferet ex hoc diverſorio, in quo etiã ipſius memoria citò peribit. Videbit tunc, quàm brevia fuerint omnia, quàm falſa, inania & umbratica, in quibus ſperaverat. Plorabunt aliquando mundani recogitantes dies ſuos antiquos, & dicentes: quid nobis profuit ſuperbia? vel divitiarum jactantia quid contulit nobis? quò venerunt deliciæ? ubi ſocij? ubi amici? ubi ſervorum greges? ubi ſæculi honores & potentatus? tranſiêrunt omnia, evanuerunt univerſa. Noli ergo, quicunq; ſapis, in fugacibus hujus mundi bonis confidere. Sperne tranſitoria, ſpes tua ſit in cœleſtibus nunquam tranſituris.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 22. Novembris.

Sperat juſtus in morte ſua.

Proverb. 14.

DIſſimilis eſt vita juſtorum & impiorum in hoc mundo, diſſimilis verò etiam mors. Juſti affliguntur in hac vita, varijs â Deo paſſionibus exercentur, multas ferunt cruces; libenter tamen omnia tolerant vitæ perennis gratiâ, cujus ſpe omnes labores atque dolores ſuos conſolantur. Cogitant brevì venturam mortem, quæ cùm venerit, ceſſabit omnis illorum afflictio, dolor & gemitus. Et in ipſa morte conſtituti fiducialiter exultant, ſperant enim ſe per illam æternitatis beatæ portam in cœleſtem gloriam ingreſſuros, & pro brevibus ac momentaneis hujus vitæ tribulationibus gaudia & præmia æterna recepturos. E contra impij, qui lætis & jucundis in hac vita diebus fruuntur, quibus ad votum ſuccedunt omnia, qui habent omnis generis bona congregata in annos plurimos, animo ſuo vehementer anguntur, dum mortem recogitant. Summopere timent extremam vitæ ſuæ horam, quæ finem imponet omnibus ipſorum gaudijs atque delicijs, ipſóſque ab omnibus mundi bonis, quæ in hac vita dilexerant, & in quibus ſpem ſuam collocave-

rant

rant, abſtractos, ad ignotam ſæculi alterius regionem migrare compellet. Amara eſt illis mortis memoria, amarior verò ipſa mors, in qua miſeri nihil habent, quod ſperent de bonis vitæ alterius, receperunt enim hìc bona in vita ſua; vehementi autem timore ac horrore percelluntur, dum recogitant ſe paulò poſt terrifico æterni Judicis Tribunali ſiſtendos, & pro vanis ac fugacibus vitæ hujus gaudijs atq; delicijs, æternis gehennæ incendijs adjudicandos. Optas tibi ô homo mortem Juſtorum ſpe ac lætitiâ plenam, vive vitâ juſtorum, quæ in multa ducitur patientia. Sic mors, quæ homines mundanos â bonis præſentibus transfert ad mala ſempiterna, tibi erit finis malorum temporalium, & initium bonorum æternorum.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 23. Novembris.

Stabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. *1. Cor. 15.*

NIhil prodeſt homini ad vitam æternam, ſtare per aliquod tempus in juſtitia, ſi deinde illum ex juſtitiæ ſtatu contingat excidere. Nihil prodeſt tentationibus & ſuggeſtionibus maligni aliquanto temporis ſpatio reſtitiſſe, ſi poſtea ſe ab hoſtibus ſuis vinci, â propoſito bonæ vitæ dimoveri, & in peccatum pertrahi patiatur. Oportet ſtabiliter in juſtitia perſiſtere, & contra quoſcunque hoſtium inſultus, ſive tentamenta diaboli, ſive carnis illecebras & mundi blandimenta ſe immobilem tenere ac conſervare. Oportet nos Deo & Salvatori noſtro uſq; ad ipſius Adventum fideles perſiſtere, ſcientes quòd ſoli perſeverantiæ gloriæ cœleſtis præmium retribuatur; nec tantùm immobiles eſſe ad malum, ſed etiam ſtabiles in bono, & abundantes in opere Dei ſemper, merita meritis accumulantes, nullam pretioſi temporis partem negligentes, quâ non actum aliquem Deo in finem con-

conſequendæ beatitudinis offeramus, ſemper virtutum exercitio inſtantes, & in Dei obſequio indefeſſè laborantes. Non erit inanis labor noſter, ſed immenſam nobis promerebitur in Cœlis mercedem. Debemus nunc ad modicum tempus ſtabiles uſq; in finem & immobiles permanere, ut deinde in cœleſti gloria æternùm ſtabiliamur. Debemus tenere firmiter quod habemus, nè alioquin totum in fine perdamus, & labor noſter reddatur inanis. Debemus abundare in bonis operibus,ut etiam aliquando præmijs cœleſtibus abundemus. Qui enim parcè operatur, parcam quoque mercedem recipiet. Qui noluerit ſtabilis finaliter permanere in juſtitia,manebit ſtabilis & immobilis in pœna æterna.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 24. Novembris.

Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.

Hebr. 9.

NOlens volens aliquando mori debes, & ingredi viam univerſæ carnis. Stat fixum & immobile Dei ſtatutum, quod mutari non poteſt. Mors verò nobis in tantum non eſt pertimeſcenda, in quantum alia noviſſima mortem conſequentia; maximè terrificum illud Tribunal Dei judicantis, ante quod nos omnes aliquando ſtare, ac pro meritis noſtris judicari oportet. Severa ibi fiet operũ noſtrorum diſcuſſio, væ tibi, ſi coram illo examine non ſubſtiteris. Quis verò poterit coram illo Tribunali ſeclusâ Dei clementiâ ſubſiſtere, Deóq; judicanti reſpondere? niſi judicium hoc temperaverit Dei miſericordia, non juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens. Quicunq; autem non fuerit juſtificatus, erit in æternum condemnatus. Profiteris omnia hæc te credere, rarò tamen ac parum de illis cogitas, acſi te neutiquam concernerent; temporalia diligis immemor æternorum, acſi ſemper hìc eſſes victurus, cùm tamen ſis advena & peregrinus in hoc ſæculo, cui nolens volens brevì cogeris valedicere, &

Digitized by Google

univerſali mortis ſtatuto te conformare. Nihil de bonis operibus es ſolicitus, imò ità liberè in peccata proruis, acſi nullum eſſet poſt mortem judicium, nullus poſt judicium infernus. Nunc verò tibi ſingulis momentis vicina mors inſidiatur, horrendum quoq; Dei judicantis Tribunal te expectat. Illud ſemper cogita, atque ad illud te jugiter præpara, ut horrendam illam æternæ damnationis ſententiam, & ſecundam mortem evadas. Non eſt ſtatutum hominibus niſì ſemel mori, ſed in ipſorum eſt poteſtate, vel poſt mortem vivere, vel ſecundò mori; vel Cœlum intrare, vel ſepeliri in inferno inter mortuos ſempiternos.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 25. Novembris.

Stulte hac nocte animam tuam repetunt â te, quæ autem parâſti cujus erunt? *Lucæ 12.*

NIdificant aves magno ſtudio, araneæ retificando viſcera ſua exhauriunt, apes magno labore conſtruunt alveolos, formicæ magna cum ſolertia ſegetum fructus congregant in horrea ſubterranea; horum tamen animalculorum labores & opera, unius baculi ictu, vel ſcopæ tractu lacerantur ac diſſipantur. Sic etiam mors nobiſcum agit in hoc mundo. Conſtruunt ſibi homines ſuper terram prædia, domos & palatia, multiplicant ſupellectilem, theſauros pecuniarum coacervant, implent promptuaria, & præparant ſibi bona in annos plurimos, laboribus & curis ſe totos exhauriunt & eviſcerant, dúmq; ſubſtantijs ſuis in pace & quiete frui cogitant, & magna ſibi gaudia atque delicias diſponunt in futura tempora, ecce mors improviſa venit, & omnia uno ictu diſſipat. Vident ſimilia homines quotidie, nihilominus tanto ſtudio divitijs coacervandis inſudant, acſi nunquam ex hoc mundo exceſſuri, vel ſaltèm omnia ſecum eſſent hinc ablaturi. Veniet tempus, & neſcis an non hâc nocte, hâc

Digitized by Google

die vel horâ, cùm tuam quoque animam corpori â ſe infuſam Deus repetet; debebit ad nutum ipſius miſercula hinc emigrare. Nudus hinc excedes, quæ autem parâſti cujus erunt? omnia hìc dimittes, tua non erunt ampliùs, ſolùm quod boni operatus es, tuum erit. Dimitte igitur inanes quaſcunque curas & labores, contemne omnia bona terreſtria, quæ nolens volens in hoc mundo debes relinquere, nec ſcis quis ea poſt mortem tuam ſit habiturus. Bonorum operum theſauros tibi præpara, hos enim ſolos tecum hinc poteris exportare, iíſq; in gaudio vitæ alterius æternùm frui.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 26. Novembris.

Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. *Pſal: 144.*

MUltæ ſunt Dei perfectiones & attributa, quæ in ejus operibus elucent; oſtendit in his ſuam infinitam potentiam & ſapientiam, exercet quoque multoties juſtitiam, ſuper omnia verò benignitatem & miſericordiam ſuam ad extrà manifeſtat. Suavis, clemens & beneficus eſt univerſis, omnibus non ſolùm naturæ talenta, ſed etiam gratiæ ſuæ munera largitur, omnes vult ſalvos fieri, omnibus media ſalutis providet, excitat nos ad bonum, adjuvat in bono & confortat; dat nobis cœleſtis Regni pretium, ſéq; pro illo pretio in præmium æternum. Maximâ longanimitate ac patientiâ ſuſtinet in hoc mundo peccatores, eóſq; ad converſionem ſuaviſſimis modis allicit, promittens veniam & condonationem. Infinitis illum peccatis offendunt, & merentur per ſingula momenta æternam mortem; quot ipſorum culpæ, quot inſtantia temporum, tot ejus pietates ac miſerationes. Si tu toties offenſus ab aliquo fuiſſes, quoties ipſe DEUM offendiſti, non ageres tam benignè ac patienter, ſed vindictæ fulmi-

na vibrares. Et quidem tu vilis es vermiculus reſpectu tantæ Majeſtatis. Recordare quàm frequenter in vita tua contra Deum ter optimum, ſuaviſſimũ ac benigniſſimum deliqueris. Tu ipſum odio habebas, te ipſum perdebas, in infernum ſponte currebas, ille te retrahebat & ſalvabat, & millies damnâſſet te, ſi voluiſſet, noluit autem, quia amat animas, & diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiã, Deus & Pater ſuavis & mitis, & infinitæ bonitatis ac miſericordiæ in omnibus vijs ſuis. Cùm tanta ſit erga te Divina Miſeratio, noli tu erga te ipſum eſſe crudelis, & animam tuam perdere, quam ille cupit ſalvare. Si contempſeris in hac vita ipſius miſericordiam, ſenties in altera ultionem ejus & vindictam.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 27. Novembris.

Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

Iſaiæ 14.

VAni ac ſtulti homines magnificant & glorificant ſe in hoc ſæculo, volunt ab alijs ſuſpici & honorari, ſed paulò poſt, cùm mortui fuerint, apparet, quàm vana fuerit ipſorum gloria; Univerſa ipſorum dominatio & poteſtas in ictu oculi finem accipit, cedunt in eſcam tineis & vermibus, qui non tantùm supernè ac infernè illos in ſepulchro ambiunt, ſed etiam intima eorum viſcera edendo ac depaſcendo pervadunt. Tot potentiſſimi Heroës, tot glorioſiſſimi Principes, qui â mundi exordio hucuſque vixerunt, lambere tandem coacti ſunt terræ pulverem, & pro ſtrato atque operimento poſt mortem habuerunt tineas, ſerpentes & vermes, de quibus hodie nihil in hoc mundo ſupereſt quàm oſſa, pulvis & cinis. Idem tecum aliquando fiet. Nolens volens tumulum intrabis, ubi caro tua fœtida & abominabilis reſolvetur in putredinem, vermes ac tineas, tandémque in terræ pulverem dilabetur. Contemne igitur vanam ac tranſitoriam carnis gloriam, quæ neceſſariò finem

aliquando accipiet. Sic vivè, ut dum caro putrefacta, & â vermibus exeſa fuerit in ſepulchro, anima ſaltèm cum Angelis lætetur in Cœlo. Ità fiet, ut etiam caro tua poſt hanc vitam corrupta & abſumpta ſpem habeat aliquando reſurgendi ad vitam immortalem, & relicto tinearum ſtrato, ac vermium operimento, conſcendendi thronum gloriæ, & obtinendi ſtolam æternæ incorruptibilitatis. Tractent alij nunc molliter ac delicioſè carnem ſuam, veniet brevì tempus, cùm non tantùm ſecundùm illam vertentur in cadavera omni fœtidiora ſterquilinio, pro ſtrato habentia tineas, & operimenti loco vermes, ſed etiam quoad animas, illico poſt mortem triſtia & horrenda patientur; funeſtum ac doloroſum habentes in gehenna ſtratum & operimentum, circumamicti flammis infernalibus, quæ nunquam extingventur, & cruciati â vermibus, qui nunquam morientur.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 28. Novembris.

Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. *Tob. 4.*

NUllum vitium adeò eſt exoſum Deo ùt ſuperbia. Alia peccata frequenter diſſimulat, & ſalvat per ſuam gratiam quoſcunq; ſceleratos, modò habeant humilitatem, ſuperbis verò ſpecialiter reſiſtit, eóſque diſperdit mente cordis ſui. In ſuperbia omnis ferè perditio ſumpſit initium. Quid perdidit Luciferum cum angelis ſuis? quid aliud toti humano generi perniciē attulit, quàm ſuperbia? voluit ille ſimilis eſſe Altiſſimo, illi verò ſicut Dij ſcientes bonum & malum. Sic dum ſuperbi ſuper ſe in altis volitant, & inter ſidera ponunt nidos ſuos, in perditionis abyſſum miſerè delabuntur. Omni ergo ſtudio tibi ô homo per omnem vitam cavendum eſt â ſuperbia, nè unquam vel exteriùs vel interiùs, non ſolùm in verbo & opere, ſed neque in ſenſu & cogitatu eam dominari permittas. Si magnus eſſe vis, noli te vitij tam abominabilis dominio ſubjicere. Sectare potiùs humilitatem, quæ homi-

Digitized by Google

ni dominationem adfert, & ipſum exaltat tam in præſenti ſæculo, quàm in futuro. Hæc tibi plurimùm eſt neceſſaria, ſi non vis perdi, ſed ſalvari. Si ſuperbus eſſe volueris, brevì perditio tua ſumet initium ex ſuperbia tua, & quidem perditio æterna. Si bene conditionem tuam attenderis, nihil invenies, unde meritò valeas ſuperbire, plurima verò deprehendes, propter quæ debeas te humiliare. Quòd ſi etiam nullum aliud haberes ſectandæ humilitatis motivum, hoc tibi deberet ſufficere, quòd per humilitatem ſecurè ambules, Deóque placeas, per ſuperbiam verò ſalutem perdas, quam ſi diligis, ſuperbiam odio habe, ac ſtude humilitati; Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus verò dat gratiam, & humiles ſpiritu ſalvabit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 29. Novembris.

Templum Dei eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis. *1. Cor. 3.*

OMnes homines ſunt Dei templa ſeu Domicilia; ad hoc enim ſunt conditi, ut Spiritus Sanctus in ipſis ſpecialiter inhabitet. grave committit ſacrilegium, & gravem Deo injuriam atq; ignominiam infert, qui templum lapideum ipſi conſecratum violat; multò magìs delinquit, qui vivum Divini Numinis Templum in ſe profanat. Violatur autem per quodcunq; grave peccatum, per quod Deus expellitur, diabolus Dei hoſtis admittitur, & quot ab homine ſcelera committuntur, tot in ipſo contra Deum idola eriguntur, & magna in locum animæ ſanctum inducitur abominatio deſolationis. Quid fiet de tali profanatore, qui Templum Dei violaverit, & Spiritum Sanctum in anima ſua habitantem expulerit? diſperdet illum Deus, nec permanere in ipſo dignabitur ampliùs in æternum. Erit pro domicilio ſpiritibus malignis, eósq; in ſe habebit tum in hac, tum in altera vita carnifices ac tortores, qui Deum noluit habere conſolatorem. Cogita quoties tu etiam Dei templum in te profanaveris, quoties Spiritum Sanctum ex animæ tuæ domi-

cilio

Digitized by Google

cilio eliminaveris, quoties diabolo & mundo aras in corde tuo erexeris, & quantas in temetipſo admiſeris ſcelerum abominationes. Perpende modicum quid ſis: non eſt parvum ac vile, quòd ſis Dei templum, & ſpiritum Dei habeas in te habitantem, ſi tamen in te habitat. Propone deinceps ipſum in te conſervare, omnia vitiorum idola proſcribere, corporis pariter ac animæ puritatem ſectari, & â minimis etiam peccatorum ſordibus conſcientiam mundare. Nihil ſit in te niſì purum & ſanctum, tanto dignum habitatore. Dei laudes in te tanquam in Dei templo jugiter reſonent, eíque ſinè intermiſſione offer precum & piarum affectionum ſacrificia & thymiamata. Ità ſpiritus Dei nunquam deſinet in te habitare, & in æternum Deo templum conſecraberis. Vide nè Sanctificatorem tuum expellas in hac vita, ut ſit Beatificator tuus in altera vita.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 30. Novembris.

Tempus non erit ampliùs.
Apocal. 10.

MAxima eſt hominum dementia, quòd neſciant æſtimare tempus, cujus pretium ſi ſcirent, nullam vel minimam ejus partem otiosè præterlabi ſinerent. Admonent nos omnes ſiderum & horologiorum motus, omnes horarum dimetrices arenulæ, omnes fluminum decurrentes guttulæ, omnia minuta & momenta, ut tempore, quo nihil eſt fugacius, bene utamur. Succedit quidem ſemper tempus tempori, noſtrum verò tempus, quod nobis pro æterna ſalute operanda conceſſum eſt, valde parvum eſt ac limitatum, cujus cùm ultimum inſtans venerit, longè aliter ſentire incipiemus de tempore, ac dolebimus nos in hac vita tam remiſſos ac negligentes fuiſſe. Optabimus vel unicam horam, nec tamen impetrare poterimus. Jacebit tunc immota vitæ clepſydra, tempus non erit ampliùs peccata flendi & bene agendi, ſed ſtabit fixa & immobilis æternitas, & nos in ejus termino ſeu bono ſeu malo, quem ſemel attigerimus, manebimus ſemper. Nullum jam eſt momentum, quo nequeat homo ex malo fieri bonus, ex peccatore juſtus, & ſce-

Digitized by Google

ſcelerum ſuorum veniam â Deo impetrare, magnam quoq; cœleſtis gloriæ coronam â Deo promereri. Finitâ verò præſenti vitâ tempus hæc faciendi non erit ampliùs. Ergo, dum tempus habemus, operemur bonũ, neſcimus enim quamdiu illud habebimus. Fortaſſe hodie, fortaſſe hâc horâ vitæ noſtræ funiculus abrumpetur, & nunquam terminanda æternitas miſeros comprehendet. Vel modicum illud, quod nobis de mortali hac vita reſtat, pœnitentiæ ac bonorum operum meritis impendamus, ſemper cogitantes, quòd quicquid boni fecerimus in hoc fugaci ac momentaneo tempore, hoc ſolo fruituri ſimus in longiſſima illa & interminabili æternitate. Quòd ſi nunc pigritando pretioſum tempus ſinè fructu elabi permiſerimus, æterno damno deſidiam noſtram luemus.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 1. Decembris.

Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. *Apocal. 3.*

QVid prodeſt coronam pretioſam habere in manibus, ſi quis, priusquam coronetur, de manibus illam permittat excidere, vel ſibi ab hoſtibus patiatur extorqueri? quid prodeſt habere multa, nunquam tamen illis frui, ſed illa perdere, cùm illis fruendum eſſet? ſic etiam nihil prodeſt multa merita habere collecta, & pro illis coronam repoſitam, ſi ante præmij tempus homo privetur meritis, & ante introitum Regni perdat coronam, ante triumphum palmam. Firmiter itaq; tenendum, quod nobis habere videmur, nè vel per noſtram ſomnolentiam de manibus excidat, vel hoſtium noſtrorum fraude, vi ac potentiâ nobis eripiatur. Vult nos caro ſuis illecebris, mundus ſuis vanitatibus, dæmon mille artibus ac technis decipere, illaqueare ac proſternere, ut nobis accipere poſſint coronam noſtram, contra quos tanquam infenſiſſimos noſtræ ſalutis ac beatitudinis hoſtes fortiter nobis dimicandum eſt. Excubant illi ſemper ad ſpolia nobis detrahenda pervigiles, multò magis eſt nobis pro corona, imò pro ſalute noſtra vigilandum, certandum ac laborandum

dum, ut palmam noſtram & coronam retineamus uſque ad tempus regni ac triumphi. Etiamſi plurimas merces &coronas habuerimus collectas, ſi tamen pigritare voluerimus ac ſegneſcere, omnia perdemus in momento, nec perdita tam citò recuperabimus; multò enim facilius eſt id quod habemus conſervare, quàm recuperare quod amiſimus. Divinæ verò dexteræ auxilium nobis aſſiduè implorandum eſt, ſinè quo ſumus omnino impotentes ad quicquam boni obtinendum vel conſervandum. Cœleſti tamen gratiæ induſtriâ noſtrâ cooperari debemus. Nunc tempus eſt laboris ac certaminis, veniet paulò poſt tempus quietis ac ſecuritatis. Cùm ſemel fuerimus in Cœlo coronati, nullus últrà in æternum accipere poterit cononam noſtram.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 2. Decembris.

Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. *Job.* 21.

IMaginare tibi magnum aliquod theatrum, & in eo perſonas lætantes, edentes, bibentes, ſaltantes, feſtivam cum organis, cytharis, ac tibijs comœdiam celebrantes, & omni gaudiorum ac deliciarum genere corda ſua exhilarantes; repentè verò terrâ hiante abſorptos deſcendere cum horrido clamore vivos in infernum. Quàm horrenda tibi hæc ſcena videretur? quid diceres? maximè cùm videres poſt tantam lætitiam nec minimum ejus veſtigium remanſiſſe. Eodem modo agitur cum vanis hominibus in hoc mundo, qui nihil aliud eſt nisì theatrum & ſcena hiſtrionum, lætantium & ſaltantium. Ducunt modò in bonis dies ſuos, jucundantur, & omnium ſenſuum oblectamentis paſcuntur, cùm ecce ſubitò in ictu oculi evaneſcunt omnia, lætitiæ inſtrumenta conticeſcunt, diem vitæ luctuoſa mortis nox conſequitur, deſcendunt infelices ad infernum, vertitur in luctum cythara ipſorum, & riſus in vocem flen-

flentium. Sic paſſim, ſi non ſimul, ſaltèm ſucceſſivè intereunt hujus mundi clientes, ac de momentaneo præſentis vitæ gaudio abripiuntur ad luctum ſempiternum; nec tamen alij luctuoſo illorum fato commoniti ſapiunt, ſed ſæculi vanitatibus inebriati delirant, tragico pariter fine gaudia ſua poſt paululum terminaturi, ac triſtem apud inferos acturi ſcenam, in fletu & ſtridore dentium ſempiternò. Tu ſi horres adeò triſtem ac lamentabilem exitum mundanæ felicitatis, & animæ tuæ ſalutem diligis, contemne mundi vanitates & gaudia, noli te miſcere choris vanè lætantium, nè pariter intereas. Duc non in bonis, ſed in malis dies tuos, in luctu videlicet, afflictione ac pœnitentia. Ità cùm ultimum vitæ punctum venerit, non ad inferna cum impijs deſcendes, ſed ſuperna Cœli palatia conſcendes, & pro brevi luctu gaudia æterna recipies.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 3. Decembris.

Theſaurizate vobis theſauros in Cœlo. *Matth. 6.*

MAgna eſt hominum in hoc mundo dementia: ſolicitam gerunt curam temporalium, nullam æternorum; anxiè laborant, ut ſibi vitæ præſentis bona comparent, theſaurizant ſibi pretioſam ſupellectilem, gemmas & pecunias, argentum & aurum; hæc tamen omnia diu poſſidere non poſſunt, nam illa vel ærugo depaſcitur, vel tinea devaſtat, vel fur abripit, vel incendij caſus abſumit; & ſæpe quod magno cum labore atque induſtria pluribus annis conquiſiêrant, perdunt in momento. Ad alteram verò vitam nihil omnino de ſæculi bonis ſecum auferunt, & cùm dormiêrint ſomnum ſuum, nihil omnino de omni ſua ſubſtantia invenient in manibus ſuis. Quantò ſapientiores ſunt illi, qui ſibi theſaurizant, non in terra theſauros corruptibiles & tranſeuntes, ſed in Cœlo theſauros incorruptibiles & permanentes, quibus poſt hanc vitam æternùm fruantur. Nolunt tamen hæc intelligere homines mundani, ſed contemptis vitæ alterius bonis, terrena ſolùm hæc & caduca ſapiunt & concupiſcunt, cum quibus ſibi theſaurizant iram in no-

noviſſimis diebus; nec argentum & aurum, quod habent, valebit illos in die illa liberare de manu Domini. E contra illi, qui bona præſentis ſæculi contempſerunt in hac vita, quorum cor, & theſaurus non in terra fuit, ſed in Cœlo, invenient in æterna vita opes ſuas bene operando apud Dominum repoſitas; quibus perpetuò fruentur in pace & gaudio immortali. Si ergo ſapimus, nec in vanum cum hujus mundi hominibus laborare volumus, theſaurizemus nobis theſauros non deficientes, ſed incorruptibiles. In Cœlo ſit cor noſtrum & gazophylacium noſtrum, in illud ſingulis horis, imò & momentis aliquid bonorum operum reponamus, merita meritis accumulantes. Fidelis cuſtos eſt Deus, qui depoſitum noſtrum integrè ſervabit uſque in diem beatæ retributionis. Quicquid nunc ô homo apud illum depoſueris, infinito cum fœnore aliquando invenies.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 4. Decembris.

Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10. 28.

IMaginare tibi potentiſſimum & crudeliſſimum aliquem Tyrannum, quanto non metu ſubditi coram illo trepidant? nullus eum ad iram provocare, nullus in conſpectu ejus delinquere, nullus Majeſtatem ipſius offendere audet, metu ſupplicij ac mortis corporalis, quam cùm ſemel tyrannus intulerit, & corpus interfecerit, nihil ampliùs habet vindictæ, quod in hominem exerceat; poteſtas enim ipſius ſe ad animam non extendit, quæ diffracto carnis ergaſtulo retineri non poteſt, ſed evolat quò juſſerit Deus, cujus infinitæ poteſtati plenè ſubjicitur. Hic non tantùm corpus cujuscunque hominis, quandocunque vult, poteſt occidere, ſed & animam peccatoris unà cum corpore ſuo æternùm perdere, ac detrudere in gehennam. Et tamen ſtulti homines non verentur Majeſtatem ipſius omnia videntem & audientem graviſſimis quotidie peccatis ad iracundiam provocare. Timent vitæ hujus ſupplicia, gladios, patibula, rotas & ignes, quæ illis intentat vilis homuncio, qui hodie eſt, & cras non comparet, & non

Digitized by Google

timent horrenda vitæ alterius incendia, & gehennæ tormenta, quæ ſuprema Dei Majeſtas malè agentibus comminatur. Sciunt multa exempla eorum, qui medijs in peccatis repentinâ morte ſunt obtriti, qui ad juſſum & imperium Dei, vel â dæmone ſunt abrepti, vel â terra repentè abſorpti cum animabus & corporibus vivi deſcenderunt in infernum. Nihil tamen inde timoris concipiunt, ſed ità vivunt, acſi Deus nullam vitæ ac mortis poteſtatem haberet, nec ſontes punire vellet, aut poſſet. Quantò autem nunc patientiùs illos ad pœnitentiam expectat, tantò diſtrictiùs feriet, cùm vindictæ tempus advenerit. Sumet tunc horrendam de impijs ultionem, & qui eum timere noluerunt in hac vita, contremiſcent coram ipſo, & manum ejus vindicem æternùm ſentient in altera vita. Ejus infinita Majeſtas magnum nobis debet incutere tremorem & horrorem, nè quando peccantes in ira ſua repentè corripiat, & non ſit qui eripiat. Nullus enim poteſt de manu ejus quenquam eruere.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 5. Decembris.

Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite â me, quia mitis ſum & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris. *Matth. 11.*

NEceſſariò laborandum nobis eſt in hoc mundo, neceſſariò jugum aliquod ferendum, & alicui Domino ſerviendum. Subjugant ſibi homines mundus, caro & diabolus, ſuíſque imperijs reddunt obſequentes. Chriſtus etiam jugum ſuum hominibus imponit, eóſq; ſua præcepta, conſilia & exempla ſequi jubet. Ab his Dominis & Magiſtris varia diſcunt homines: â diabolo omnem malitiam, â carne omnem immunditiam, â mundo ſuperbiam, vanitatem & perfidiam, â Chriſto manſvetudinem & humilitatem. Omnes hi quidem laborant, ſed diverſa laboris & diſcipulatûs ſui ſtipendia conſequuntur. Qui ſuave Chriſti jugum ferunt, modicum laborant, & paulò poſt inveniunt ſibi multam requiem; poſt brevem preſſuram, & laboris moleſtiam, æternùm in Regno Cœleſti repauſant. E contra illi, quos caro, mundus & diabolus ſub jugum traxit, graviſſimâ ſervitute premuntur, &

de jugo vitiorum trahuntur poſt hanc vitam ad jugum tormentorum, de ſervitute temporali ad æternam captivitatem. Plures nihilominus mundo ſerviunt, quàm Chriſto, plures carnem ſequuntur ac diabolum. Nihil ab his conſequuntur in præſenti ſæculo, quàm breves & fucatas dulcedines, ac bona tranſitoria, triſtia verò ſtipendia recipient in futuro. Tunc primò dolebunt ſe Chriſti jugum rejeciſſe, & doctrinam ac diſciplinam Salvatoris exoſam habuiſſe. Vide igitur ô homo, quid eligas. Si quæris animæ tuæ requiem & utilitatem, illam non nisì ſub Chriſto Doctore ac Magiſtro invenies. Tolle ſuper te jugum ipſius, eiq; cervicem ſubmitte. Non diu illo gravaberis. Veniet brevì tempus, cùm illud de collo tuo abſtrahet; exaltabis tunc caput, quod modico tempore fuerat depreſſum. Eſto nunc mitis & humilis corde, paulò poſt eris magnus & excelſus. Diſce â Chriſto per ſubmiſſionem & humilitatem ad gloriam conſcendere. Nisì enim ille jugum ſibi ab æterno Patre impoſitum obedienter & humiliter ferendo ſemetipſum humiliâſſet, nunquam ad tam ſublimem gloriæ thronum exaltatus fuiſſet.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 6. Decembris.

Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. *Sap. 16.*

OMnia mundi viventia ſuam â Deo vitam acceperunt, hanc etiam ponunt, cùm ipſi placuerit; ad libitum ipſius vivunt, & ad nutum ipſius moriuntur. Ille ſolus omnia conſervat, eóque manum ſuam abſtrahente, cuncta in nihilum relabuntur. Illi vita paret, ſuóſque ad ejus juſſum reddit viventes, mors quoque ad ejus imperium reddit mortuos ſuos, Tam facile ipſi eſt â morte reducere ad vitam, quàm â vita deducere ad mortem. Habet enim plenam utriusq; poteſtatem, nec ſolùm temporaliter, verùm etiam æternaliter, cùm ipſi placuerit, perdere hominem poteſt, vel ſalvare. Ipſius Dominio Cœlum ſubeſt, juſtorum animæ in manu ejus ſunt, quibus tribuit vitam & gloriam immortalem. Habet quoq; in manibus ſuis clavem infernalis abyſſi, & oſtia illa tenebroſa, cùm voluerit, aperit & claudit. Ipſe animas ſceleſtorum, quandocunq; illi placuerit, de ſuis corporibus avulſas detrudit in pœnas tenebrarum. Recogita parum, quoties etiam te in peccatis gravioribus exiſtentem, non ſolùm

lùm temporali, verùm etiam æternâ morte ferire potuiſſet. E quantis,& quàm multiplicibus corporis & animæ periculis te miſericorditer eripuit? tibi vitam donavit, mille alios longè minori peccatorum reatu obſtrictos dejecit in Tartara. Fuiſti ſæpius prope mortis januam & inferi portas, â quibus tamen ille te inimicum ſuum clementiſſimè reduxit. Collauda ejus in te beneficentiam, & ſi non vereris tremendam illius poteſtatem, ſaltèm bonitatem & miſericordiam ejus infinitam agnoſce & collauda, ejúsque Majeſtati ſedulum ac fidele deinceps obſequium præſta. Nè alioquin poſt tot ab illo percepta vitæ beneficia, tandem aliquando ad portas mortis æternæ pervenias, nunquam inde ampliùs per totam æternitatem reducendus. Etiam tu vitæ ac mortis tuæ habes poteſtatem,tu promerendò, ille retribuendo.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 7. Decembris.

Tu quidem greſſus meos dinumerâſti, ſed parce peccatis meis.

Job. 14.

PErverſæ ſunt viæ hominum in hoc mundo, pravi & obliqui greſſus eorum. Non incedunt per viam mandatorum Dei, ſed vadunt post mundi vanitates, poſt carnis oblectamenta & diaboli lenocinia, neque conſiderant, quòd Deus ex alto dinumeret omnes & ſingulos greſſus eorum, eóſque in libro memoriæ ſuæ conſignet, ut cùm tempus acceperit, debitam de illis pœnam ſumat & vindictam. Magno itaq; ſtudio nobis conandum eſt, ut bonas faciamus vias noſtras, Deíque auxilium nobis aſſiduè implorandum, ut dirigat greſſus noſtros in ſemitis ſuis; nè unquam de via recta virtutis & honeſtatis moveantur in obliquum veſtigia noſtra. Quòd ſi etiam divinâ gratiâ roborati ſimus & adjuti, adhuc ex innata debilitate ac pravitate frequenter ceſpitamus & collabimur; neq; ullus eſt, cujus vias Deus ab alto conſiderans non videat quandoq; perverſas & obliquas, quémq; de iniquis greſſibus in judicio ſuo non poſſit arguere. Si volumus coram ipſo juſtificare vias noſtras, & greſſuum noſtrorum per-

ver-

verſitatem excuſare, non ſubſiſtemus, ſed coarguemur in multis. Quid ergo nobis faciendum? confugiendum eſt ad ejus miſericordiam, dicendum â quolibet: Domine Deus, tu quidem omnes vitalis hujus viæ meæ greſſus dinumerâſti, omnia opera, verba & cogitata mea apud te condidiſti & ſignâſti, ut ea contra me proferas in judicio tuo; perſpicaciſſimos Sapientiæ tuæ oculos fallere non poſſum, & ſi voluero juſtificare vias meas, facilè reum me comprobabis, nec potero tibi reſpondere unum pro mille. Rogo humiliter hoc unicum: parce peccatis meis. Cùm veneris judicare, noli me condemnare, ſed eſto propitius mihi peccatori. Da mihi gratiam, ut ſaltèm deinceps bonas faciam vias meas, quod omni ſtudio deinceps facere propono. Quòd ſi nihilominus greſſus mei obliqui & perverſi ſanctiſſimos tuæ Majeſtatis oculos offenderint, ſuperexaltet miſericordia judicium, confitenti humiliter ac deprecanti culpam da veniam.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 8. Decembris.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Eccle. 1.*

QVicquid in hoc brevi & fallaci ſæculo à mundi amatoribus æſtimatur, honor & gloria præſentis vitæ, omnes oculorum & cupiditatum illecebræ, opes & carnis voluptates, omnia ſunt vana, fucata & inania, nihil aliud quàm breve ſomnium, ſcena ludicra, & vanitas vanitatum. Videntur quidem bona, ſed non ſunt. Honorum fumi lacrymas ambitioſis eliciunt, dignitatum faſtigia deducunt homines ad præcipitia, divitiarum ſpinæ corda lancinant, voluptatum roſis multi dolorum permixti ſunt aculei, multa ſub illorum melle latent abſynthia. Omnis uva mundanæ dulcedinis eſt uva fellis, & botri ejus amariſſimi, qui quidem ad modicum tempus fruentem delectant, ſed paulò poſt ventrem ipſius faciunt amaricari. Citò valde transeunt omnia bona præſentis ſæculi, nihil de illis ſecum aufert homo tranſiens ex hoc mundo, ſed omnibus, quæ habuerat, relictis, pauper & nudus hinc migrare compellitur. Voluptatum roſæ velociter marceſcunt, omnia mundi gaudia, omnis ejus felicitas, pompa & jactantia citò finem accipit, in ictu

oculi

oculi clauduntur omnia, brevis jucunditas & lætitia præſentis vitæ convertitur mundi amatoribus in lamentum ac dolorem, in tormentum & luctum ſempiternum. Ubi nunc gloria, ubi divitiæ, ubi gaudia & voluptates hominum mundanorum, qui ſæculis præcedentibus vixerunt? tranſiêrunt omnia ſicut umbra, extrema gaudij luctus occupavit. Ubi tot inclyti Heroës, tot potentiſſimi Reges & Monarchæ? Sedent miſeri nunc in obſcuris, & in tenebris conticeſcunt; nihil ex ipſis in hoc mundo remanſit præter oſſa & cineres; pro brevi gaudio, quo in vita lætati, & potentatu, quo gloriati ſunt, ducent totam æternitatem in fletu ac ſtridore dentium. Nè lacrymabilis eadem viciſſitudo te aliquando contingat, noli reſpicere ad mundi hujus vanitates & inſanias falſas. Dimitte omnia vana & tranſitoria, æternùm permanſuris intende. Mundum contemne, Cœlum dilige. Tranſit vanitas, veritas autem Domini manet in æternum.



MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 9. Decembris.

Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet. *Apocal. 12.*

MAgna eſt ira diaboli contra genus humanum, qui non tantùm fuit homicida ab initio, ſed etiam nunc modis omnibus conatur humanam ſalutem impedire. Non vult homines eò aſcendere, unde ipſe decidit, ſed illos nititur ſecum detrahere in gehennæ abyſſum. Hinc etiam tot hominum millia pereunt, & pauci valde ſurſum evadunt. Omnia plena ſunt Angelis ipſius in terra & in mari, qui per ſingula momenta nihil aliud tentationibus ſuis machinantur, quàm ut homines præcipitent in peccatum & mortem æternam. Magnam quidem iram habet diabolus, non habet tamen magnam contra nos potentiam; reſiſtendo facilè ſuperatur. Nunquam contra nos prævalere poterit, ſi non ipſi nos ei victos tradere voluerimus. Quò minus ſpatium vitæ noſtræ ſupereſt, eò magis furor ipſius contra non exardeſcit. Scit nos hic non diu manſuros, ſed ſi perſtiterimus in bono conſtantes,

tes, ad Cœlum citò perventuros; hinc omnes vires exerit, ut nos quamdiu adhuc poteſt, vincat & proſternat, maximè verò in extrema vitæ hora, tunc venit cruentâ illa beſtia, ut in nobis ultimò ſaltèm funeſtum aliquid reperiat. Quanta verò eſt inſania mortalium? ſcit diabolus, quòd modicum tempus habet, ſciunt & illi ſe modicum vitæ reſiduæ tempus habere; habet ille iram contra illos, & curam magnam, qnomodo ipſos æternùm perdat, ipſi verò propriæ ſalutis nullam gerunt curam & ſolicitudinẽ. Ille die noctúque pervigil noxia ipſis meditatur, ipſi verò ſalutaria ſibi nec recogitant. Facilè illum vel modicè reſiſtendo fugare ac vincere poſſunt, nolunt autem, imò ſe illi ſponte victos & captivos tradunt. Brevì autem agnoſcent, cujus ſe poteſtati & captivitati ſubjecerint. Non poterunt tunc ampliùs iræ ipſius & crudelitati ullo modo reſiſtere, ſed habebunt ipſum in gehenna carnificem ac tortorem. Nec modicum tunc tempus habebit miſeros affligendi & torquendi, ſed inſatiabili furore in ipſos ſæviet per totam æternitatem.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 10. Decembris.

Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.

Lucæ 6.

IMpoſſibile eſt bene habere in præſenti & futuro ſæculo, Impoſſibile eſt de delicijs temporalibus tranſire ad æternas delicias, hìc lætari cum mundo, & ibi regnare cum Chriſto, qui & ipſe per multos hujus vitæ labores ac dolores intrare debuit in gloriam ſuam. Statutum eſt, ut non niſì patiendo Regnum gloriæ conſequamur. Nullus cœleſti ædificio ſupernæ illius Jeruſalem coaptabitur, qui non antè tunſionibus multis ac preſſuris in hoc mundo fuerit attritus; qui ſuam conſolationem habent in tempore, habent expectandam tribulationem in æternitate; pro tranſitorijs mundi hujus bonis & gaudijs ibi recipient mala ſempiterna. Tales ſunt omnes hujus ſæculi divites ac potentes, qui corda ſua divitijs apponunt, qui mundi vanitatibus oblectantur, qui carnalibus paſcuntur delicijs, qui ducunt in bonis dies ſuos, quibus ſola de præſentibus eſt cura, nulla de futuris cogitatio. Veniet autem brevì tempus, cùm jucunditas & proſperitas ipſorũ finem habebit, cùm mundo cogentur valedicere, &

ad ignotam ſæculi alterius regionem tranſmigrare, ubi poſt momentanea hujus vitæ gaudia æternum Væ cantabunt, & quantùm in hac vita jucundati fuerint ac deliciati, tantum ibi recipient tormentum & luctum. Tu, ſi ſapis, noli quidquam de ſæculi bonis appetere, contemne omnes mundi hujus vanitates & conſolationes. Gaudium tuum ſit afflictio, dolor & egeſtas; his promereri poteris cœleſtes divitias, ac perpetuam vitæ alterius felicitatem. Stultus eſt, qui vult creſcere in modico, & in maximo minui; gaudere temporaliter cum ſæculo, & poſtea in æternum flere. Habeant alij Cœlum in hoc mundo, tu illis non invide, ſed elige potiùs infernum habere in hoc ſæculo, ſic in futuro habebis cœleſtem gloriam, illi vero gehennam.



MEDI-

MEDITATIO
Pro die 11. Decembris.

Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. *Lucæ 6.*

MAgnam lugendi anſam habet homo in hoc mundo, ſi conſideret noviſſima ſua, ſi recogitet innumeros hoſtes perditionis humanæ ſitientiſſimos, ſuam verò infirmitatem ac fragilitatem, & plurima ſingulis momentis peccati & mortis pericula; ſi ſibi ante mentis oculos referat mundanæ omnis lætitiæ vanitatem & brevitatem, ac tranſitoriam rerum omnium ſortem; poſt riſum, luctum, poſt ſæculi gaudia & delicias, fletum ac ſtridorem dentium; nullam profectò vel ſemel ridendi cauſam habebit, ſed mille reperiet motiva lugendi ſemper ac flendi. At filij hominum noviſſima ſua parum recogitant, ſectantur ſolùm præſentia mundi blandimenta, & carnis oblectamenta, non curantes, quid poſt hanc vitam futurum ſit. Non eſt certus de ſua ſalute ac beatitudine, qui ſemper luget, qui peccata ſua deflet, diésq; ſuos ducit in dolore ac pœnitentia, quantò minùs illi, qui rident ſemper? qui mundanis inebriantur gaudijs atq; delicijs, qui non recogitant, quomodo inferni pericula evadant, & quotidie ſicut aquam bibunt iniquitatem? non diu

in hoc mundo ridebunt, ſed paulò poſt riſus ipſorum convertetur in luctum & planctum. Deplorabunt aliquando igneis cum lacrymis ſensûs ſui vanitatem, ac dementiam, quòd riſerint & exultaverint in rebus peſſimis, quòd brevibus ac momentaneis curam impenderint, quòd fletũ ac pœnitentiã contempſerint, ſed ſerò ſapient, & luctus ipſorum erit ſinè fructu. Beati qui nunc lugent, quoniam non lugebunt in altera vita, ſed æternùm conſolabuntur. Elige nunc vel ad modicũ tempus ridere cum mũndo, & poſtea in æternum flere; vel hìc ad modicum dolere, pati ac lacrymari, & poſtea ridere in die noviſſimo, æternámque in Cœlis recipere conſolationem. Si ſapis, & ſalutem tuam diligis, riſum reputa errorem, & gaudium tuum in hoc mundo non ſit de rebus temporalibus, ſed æternis.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 12. Decembris.

Veni Domine JESU.

Apocal. 22.

HOc eſt veri amoris infallibile ſignum, ſi homo quod amat abeſſe doleat, & præſens eſſe deſideret. Multi Chriſtum ſe dicunt amare, parum tamen de illo cogitant, multò minùs illum videre aut conſequi deſiderant. Imò æternùm in hoc exilio mallent vivere, quàm ad ejus fruitionem moriendo pervenire. Hi verò ipſum nequaquam diligunt, nec viciſſim ab ipſo diligi merentur. Qui verè Chriſtum amat, omnibus horis & momentis Chriſtum ſuſpirat, dolet ſe in hoc carnis ergaſtulo eſſe concluſum, cupit liberari de corpore mortis hujus, optat aſſiduè diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; elicit ipſi lacrymas vitæ hujus peregrinatio, unicum ejus ſolatium in hoc mundo eſt cœleſtis Patriæ cogitatio, in qua Dilectum ſuum videbit facie ad faciem, & fruetur æternùm DEO ac Salvatore ſuo. Quicunq; igitur Chriſtianus es, téq; amatorem Chriſti verum ac fidelem profiteris, ipſum ſemper cogita & ſuſpira. Opta indies adventum ejus maturari, dic ſemper: Veni Domine JESU. Nec putes te aliquid in virtute profeciſſe, ſi non quotidie vitæ tuæ funi-

Digitized by Google

culum abrumpi deſideras, & Dilecto tuo uniri anhelas. Non dicunt, nec faciunt hoc mundani homines, qui mundum præ Chriſto diligunt, & terreſtrem hanc vitam præferunt vitæ cœleſti, quorum amor & gaudium verſatur in præſentibus, qui nihil habent gaudioſum, quod in Chriſti adventu expectent, quem proinde non optant, ſed formidant, digni ut Chriſto æternùm careant, quem conſequi non deſiderârunt. Tu, ſi Chriſto in cœleſti vita frui aliquando deſideras, hoc ipſum quotidie debes deſiderare; ut verò deſiderare hoc poſſis, ac ſperare, debes omnia mundi hujus gaudia & oblectamenta faſtidire, ac pro Dilecti tui Adventu ſemper eſſe paratus. Veniet & non tardabit, ſi te viderit amore ſui ac deſiderio æſtuantem, accelerabit ſuos amplexus, & cùm ſemel ipſum tenueris, nunquam ampliùs dimittes; ſed habebis cum ipſo, & in ipſo omnia bona deſiderabilia, beatitudinem & jucunditatem ſempiternam.

MEDI-

MEDITATIO
Pro die 13. Decembris.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matth. 11.*

NIhil eſt gratius homini oneribus atq; laboribus gravato, quàm quies & refectio. Omnes in hoc mundo laboramus, & multis oneramur calamitatibus, ſuſtinentes grave illud jugum â Deo filijs Adæ impoſitum, â die exitûs de ventre Matris eorum, uſque in diem reditûs, ſive ſepulturæ in matrem omnium. Omnes hoc jugum ſibi alleviare deſiderant, omnes quærunt ſuam refectionem, non quærunt tamen, ubi eam quærere deberent. Plurimi ſperant illam â mundo, ſed falluntur miſeri; mundus enim magìs gravat, quàm alleviat, magìs premit, quàm reficit. Dulcedines, & jucunditates ejus falſæ ſunt ac fucatæ, quæ brevì convertuntur in majorem laborem ac dolorem, & quidem ſempiternum. Nullus eſt præter Chriſtum Salvatorem noſtrum, qui homines in hoc mundo laboribus preſſos, & doloribus anxiatos relevare poſſit, ac reficere. Ille omnes laborantes, & ſub vitæ hujus oneribus gementes ad ſe dulciter vocat: Venite, inquit, ad me, & ego reficiam vos. Accede ô homo ma-

MEDITATIO

Pro die 14. Decembris.

Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum â conſtitutione mundi. *Matth. 25.*

ELegit Deus ſuos Electos ante mundi conſtitutionem, & â mundi conſtitutione Regnum Cœlorum pro ipſis condidit, in quo cum ipſo vivant, gaudeant & regnent in æternum. Hoc tamen Regnum non ſtatim adeunt, ſed diu expectare debent, priusquam illud conſequantur. Magnas interim pati coguntur in hoc mundo tribulationes & miſerias. Mittuntur primò in ſui Regni poſſeſſionem, poſtquam ex hac mortali vita migraverint animæ ipſorum, in die autem judicij plenè illud ac perfectè apprehendent. O! quàm gaudioſum, quàm jucundum erit illis tunc intrare cum animabus & corporibus Regnum illud Cœlorum tam amplum, tam ſpatioſum, tam dives, tam glorioſum, & ab illo nunquam ampliùs excludi, ſed in ipſo æternùm gaudere & regnare cum Chriſto, ſummam habere poteſtatẽ & gloriam, ſummâq; perfrui lætitiâ & jucunditate, quæ in cor mortalis cujusquam hominis nunquam aſcendit. Verè felices ac benedicti ſunt omnes, quos Deus ab æterno, pro ſempiterni illius Regni Civibus

Digitized by Google

& Principibus conſcripſit. Nimis honorati erunt & exaltati, cùm fuerit illis collata poſſeſſio principatûs eorum. Potes etiam tu, modò velis, DEI Sanctis & Electis in Cœleſti gloria connumerari. Si vis benedictionem, dabitur tibi; ſi non vis, elongabitur â te. In tua ſitum eſt poteſtate computari inter benedictos, vel maledictos, poſſidere Regnum Electis Dei præparatum, vel ſubire ignẽ æternum paratum diabolo & Angelis ejus. Ità vive, ut in illa die non timeas â verbo aſpero, ſed auditui tuo detur lætitia, & in dextera cũ omnibus Dei Sanctis conſtitutus, audias verbum illud gaudioſum: *Venite Benedicti.* Ut illud Regnum tunc poſſideas, nunc promereri ſtude. Digna eſt quocunque labore tanta gloria.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 15. Decembris.

Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij DEI; & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicij. *Joannis. 15.*

COgita quàm horrenda ſit futura illa dies & hora, quâ Deus veniet ad judicandum, & horrendo tubæ ſonitu omnes homines ad Tribunal ſuum convocabit. Quàm fortis & terribilis erit ille clangor, quàm ſonora vox, quæ omnia ſepulchra regionum penetrabit, & oſſa faciet audire. Audient tunc vocem Filij Dei illos ad judicium vocantis, qui modò audire nolunt vocem ipſius ad pœnitentiam illos hortantis & excitantis. Audient illam non ſolùm reprobi, verùm etiam Electi, & cùm audiérint, ſurgent de terræ pulvere, ac prodibunt de ſuis monumentis; illi quidem, qui bona egerùnt, ſurgent ad vitam, qui verò mala, ſurgent ad judicium, & pœnam. Quàm diſpar tunc erit ſors & conditio Electorum ac reproborum; hìc gemitus & lamentatio, illic gaudium & exultatio. Tunc primò credent ho-

Digitized by Google

homines mundani dari aliquem Judicem bona opera præmiantem, & ſcelera ulciſcentem. Tunc juſti gaudebunt ſe mundi vanitates contempſiſſe, & bonorum operum exercitijs in vita ſua ſtuduiſſe. Mali autem vitæ ac nativitati ſuæ, cunctíſq; gaudijs & voluptatibus mundanis maledicent. Nihil in illa die miſeros liberare poterit de manu Domini. Et quidem judicij tempus adeſſe feſtinat, ſenſim advenit & propè jam eſt hora ô homo, quâ Deus animam tuam de corpore ad particulare judicium evocabit, citaturus etiam in extremo illo die ad judicium ſuum univerſale. Ità nunc vive, ut poſt mortem vivas, & in illa die de loco tuo procedas cum Dei Electis in reſurrectionem vitæ, non cum reprobis in reſurrectionem judicij; neque de tumulo transferaris in gehennæ barathrum, cui ſemel adjudicatus, nunquam ampliùs inde procedes, ſed portabis judicium tuum in dolore, ac fletu ſempiterno.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 16. Decembris.

Venit nox, quando nemo poteſt operari. *Joann. 9.*

QVàm ſtultus eſſet, qui diem duceret in otio & pigritia, noctem verò, cujus tempore quieſcendum eſt, laboribus vellet impendere, atquè in tenebris operari? inutilis ac fruſtraneus eſſet labor ipſius, & nullum ex eo lucrũ conſequeretur. Faciunt hoc paſſim ſtulti mortales, fulget ipſis nunc vitæ dies, in quo multa bona operari poſſunt, & magnam ſibi gloriam in Cœlis promereri; ipſi autem occaſionem bene agendi negligunt, ac tempus pretioſum ſinè fructu elabi permittunt. Sed repentè dies ipſis claudetur, aderit extremus vitæ veſper, quem ſubſequetur æterna nox. Volent tunc opus ſuum operari, ſed tempus bene agendi non erit ampliùs. Quàm tunc miſeri dolebunt, ſe tempus vitalis diei perdidiſſe, quod in æternum non poterit revocari. Agent lugubrem & horrendam noctem ſinè fine, & in tenebris conſtricti jacebunt, nec poterunt ampliùs vel manus ſuas ad operandum, vel pedes ad ambulandum extendere. Non erit ampliùs tempus viæ ac laboris, ſed retributionis æternæ, ſecundùm quod unusquisq; in hac vita fuerit operatus.

Digitized by Google

tus. Quod hominibus in illa nocte conſtitutis non ampliùs licet, hoc tibi viventi adhuc conceditur. Fulget tibi adhuc Sol Divinæ gratiæ, liberas adhuc manus habes ad operandum, & pedes ad ambulandum; quodcunq; boni facere potes, inſtanter operare, & per viam mandatorum Dei alacriter incede. Nullam temporis horam, imò, ſi fieri poteſt, nec momentum ſinè fructu boni operis elabi permitte, nunquam tibi recurret tam bona occaſio. O! quanta bona nunc operari potes, & non vis; paulò poſt nihil operari poteris, quantumlibet volueris. Optabis vel unicum vitæ quadrantem, non impetrabis. Expergiſcere paulùm, vide quid agas, quò tendas: Alioquin æternùm te pœnitebit, quòd occaſionem adeò commodam bene operandi â Deo tibi oblatam & conceſſam ſocordiâ tuâ neglexeris.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
Pro die 17. Decembris.

Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.
Job 9.

EXpende tecum ſeveritatem æterni Judicis ac Vindicis, in cujus manus incidere horrendũ eſt. Nullius ille perſonam reſpicit, nec parcit ulli delinquenti. Mortalia hominum delicta plectit gehennalibus incendijs, culpas autem veniales etiam quaſcunque minimas acribus Purgatorij flammis caſtigat. Et quidem cùm pœna culpam neceſſariò conſequatur, nec peccatum omnino impunitum manere poſſit, ſi non fuit ab homine per condignam pœnitentiam expiatum in hac vita, puniri debet à Deo juſtiſſimo Judice ac Vindice in altera vita. Nec habebit peccator juſtam cauſam contra Deum conquerendi, quòd non parcat delinquenti, cùm ipſe nec Divinæ Majeſtatis honori, nec propriæ ſaluti pepercerit; ſibi potiùs iraſcatur peccanti, quàm Deo ſcelera ipſius punienti. Solicitè nobis igitur in hac vita cavendum eſt, nè admittamus aliquid dignum alterius vitæ incendio, & omnia quantumvis etiam levia peccata vitare ſtudeamus; hæc enim ſola nos ad horrenda illa ſupplicia, ſive in inferno æter-

nali-

naliter, ſive in Purgatorio temporaliter ſuſtinenda perducunt. Quòd ſi etiam nihil in operibus noſtris peccaminoſi deprehenderimus, adhuc illa vereri debemus, nè aliquid nobis incognitum in ipſis lateat, quod nos æterni ſupplicij coram Deo reos faciat, cujus judicia multùm differunt â judicijs hominum. Nullus ergo de ſanctitate atq; juſtitia præſumere, ſed ſalutem ſuam cum metu ac tremore operari debet. Non pepercit Deus tot hominum millionibus, qui propter ſcelera ſua torquentur in inferno; non pepercit peccantibus Angelis, ſed detruſit illos in tartara cruciandos; multò minùs ipſi parcet. Qui autem delinquenti non parcit in altera vita, parcit delicta ſua confitenti & expianti per condignam pœnitentiam in præſenti vita.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 18. Decembris.

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingvetur.

Iſaiæ 66.

DVæ ſunt pœnæ maximæ reproborum: ignis & vermis. Imaginare tibi mille aſpides ac viperas cor alicujus hominis exedentes, nihil hoc erit ad vermem damnatorum, cujus roſionem ac morſum in cordibus ſuis miſeri ſuſtinebunt. Hic vermis aſſiduè illos affligit ac lacerat. *Primò* per conſcientiam delictorum, quorum reatu ſe nôrunt Juſtitiæ Divinæ obſtrictos, & gehennæ in æternum adjudicatos eſſe. *Secundò* per recordationem vanitatum fluxarum & inanium, propter quas horrenda inferni ſupplicia ſinè fine ſuſtinenda incurrerunt. *Tertiò* Per reflexionem ad ſuperna gaudia Sanctorum Dei Civium, quorum gloriam bene vivendo & operando & ipſi facilè conſequi potuiſſent, ſi voluiſſent. Noluerunt autem, ac tempus vitæ hujus inutiliter elabi permiſerunt, quod nullo modo ampliùs poterit revocari, hinc damnum irreparabile ſuſtinebunt per totam æternitatem, cujus damni cogitatio illos magìs affligit, quàm pœna ignis, qui tamen adeò acer eſt ac horrendus, ut omnia mundi hu-

jus incendia, omnia ſulphura & metalla ignibus liquata, omnes craticulæ, ſartagines & forcipes candentes, in ejus comparatione non niſi quid umbratile, pictum aut fictum eſſe videantur. Et quidem adhuc tolerabilis eſſet hic reproborum ignis & vermis, ſi finem aliquando acciperet, ſed vermis illorum nunquam morietur, nec ignis unquam extingvetur. His duobus ſupplicijs miſeri cruciabuntur in gehennali carcere, ſinè ulla requie per totam æternitatem. Non vis tu eandem cum reprobis ſortem incurrere, qui adhuc in mille periculis ejuſdem gehennæ verſaris, fuge peccatum; ſolo enim peccato ignis ille ſuccenditur, ſolo peccato vermis ille generatur.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 19. Decembris.

Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. *Eccli. 21.*

IMaginare tibi viam aliquam ſpatioſam & latam, quadris lapidibus complanatam, pulchram & jucundam, cujus tamen noviſſima ducant ad mortem, ac deſinant in horrendum aliquod præcipitium ſeu barathrum, in quod per eam incedentes inopinatè devolvantur. Talis eſt via, per quam incedunt omnes peccatores. Videtur quidem illis eſſe ſpatioſa, plana & amœna, ſed cùm ad ejus extrema pervenerint, videbunt ſe per illam ſeductos perveniſſe ad gehennæ foveam, ad tenebras & pœnas inferorum, unde nunquam ampliùs gradum referre licebit. Sic pereunt homines mundani, atque turmatim quotidie ruunt ad infernum. E contra homines pij ac devoti, qui ſalutem ſuam diligunt, & inferni pericula conantur evadere, malunt ambulare per viam anguſtam, aſperam & ſpinoſam; quamvis enim per eam ambulantes moleſtiam aliquam ac difficultatem ſuſtineant, ſciunt tamen ſe per illam ad cœleſtis vitæ beatitudinem perventuros. Malunt aliquid potiùs in via pati, & paulò pòſt æternùm gau-

dere in Patria, quàm in via jucundari ac deliciari, & abduci â ſcopo æternæ beatitudinis, ac ſinè fine poſtea lugere in termino infelici. Non conſiderant qualis ſit via, per quam vadunt, utrùm plana, vel aſpera, ſed ad qualem terminum homines per eam ambulantes perducat. Conſidera jam tu, qualis ſit futurus exitus viæ tuæ, per quam incedis. Si hactenus per viam peccantium ambulâſti, refer maturè gradum, revertere quamdiu reverti licet, priusquã ad terminum ejus luctuoſum pervenias.

MEDITATIO

Pro die 20. Decembris.

Videbitis Filium hominis ſedentem â dextris Virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli. *Matth.* 26.

MAgnum cuicunque reo de operibus ſuis judicando adfert ſolatium, ſi ſciat amicũ ſuum fore Judicem. E contra magnum ipſi terrorem incutit, ſi noverit ejus ſe judicio ſiſtendum, quem â ſe meminit graviter fuiſſe offenſum. Conſtitutus eſt â Deo Judex vivorum & mortuorum Chriſtus Salvator ac Redemptor noſter, os & caro noſtra, huic omne judicium commiſit Cœleſtis Pater; habeamus igitur in ipſo fiduciam, non habemus enim Judicem, qui noſtris compati non poſſit infirmitatibus, ſed ejusdem nobiſcum naturæ & conditionis, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato. Opus autem eſt, ut hunc Dei Filium, qui filius hominis pro nobis fieri dignatus eſt, diligamus atq; colamus, & in ejus amicitia uſq; in illum diem perſeveremus. Exhibebit ſe bonis ùt benigniſſimũ Dominum, imò ùt fratrem & cohæredem, pravis autem ac perverſis ſeverum Judicem atq; Ultorem. Videbit illum omnis oculus, & qui eum pupugerunt & crucifixerunt, venientem non ampliùs in utero Virginis,

ginis, & in præſepi reclinatum, ſed ſedentem â dextris virtutis Dei, ac deſcendentem in nubibus Cœli magna cum gloria & majeſtate. Imaginare tibi diem illum horrendum, lugubrem tubæ ſonitum, ignem omnia vaſtantem, terram fumantem, Cœlos liqueſcentes, aërem fulgurantem ac tonantem. Omnibus his terribilior erit vultus Judicis reprobis irati, cujus oculi tanquam flamma ignis præ furore ardebunt, de cujus ore acutus & flammans exibit gladius, quo ultionem ſumet de inimicis ſuis. Quàm felix & beatus, qui tunc in illius ſupremi Judicis amicitiâ ſtabit. Ità nunc vive ô homo, ut te bono oculo tunc aſpiciat. Erit tibi mitis ac propitius in illa die, ſi â te modò non fuerit offenſus. Quòd ſi etiam ipſi peccatis tuis offenſæ cauſam dediſti, ejus modò clementiam & miſericordiam invoca, quamdiu ſedet in throno gratiæ; cùm enim conſcenderit tribunal juſtitiæ, non erit ampliùs veniæ tempus & clementiæ, ſed juſtitiæ, iræ ac vindictæ.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 21. Decembris.

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. *Matth. 26.*

MIlle ſalutis pericula nos in hoc mundo ex omni parte circumſtant, undique tentamenta nobis ingruunt, undiq; laquei ac decipulæ ſtruuntur animabus noſtris. Innumeri hoſtes in perniciem noſtram die noctúque pervigiles retia pedibus noſtris expandunt, ut in peccatum & mortem pertrahant incautos. Tentat nos mundus ſuis illecebris, caro ſuis blanditijs, dæmon innumeris artibus ac technis, & mille pravis ſuggeſtionibus. Hi omnes unicum id conantur, ut nos inducant in tentationem, quam ſi ſemel intraverimus, neſcimus, utrùm inde aliquando exibimus, & an non hoſtibus noſtris in prædam cedemus. Neceſſarium quidem eſt tentari nos in hoc mundo, neque hoc impedire poſſumus; in noſtra verò poſitum eſt libertate, vel intrare in tentationem, vel hoſtium decipulas ac tentamenta eludere, & quod plus eſt, cum tentatione, virtutis ac meriti facere proventũ, ſicq; ſalutem conſequi ex inimicis noſtris. Ad hoc autem requiritur, ut aſſiduè vigilemus, attenti ad omnes ipſorum inſultus, quatenus ijs confeſtim reſiſtere poſſimus. Illi per-

pervigiles excubant in malum noſtrum, quantò magìs nos in bonum noſtrum vigilare debemus? neque hoc adhuc ſufficit; niſì enim Dominus hominem docuerit, & ſimul adjuverit ipſorum inſidias noſcere ac ſuperare, in caſſum vigilat & laborat, hoſtibúſque ſuis in prædam cedit. Orare nos igitur ſinè intermiſſione oportet, ac Divinam gratiam jugiter implorare, eidémq; juxta poſſibilitatis noſtræ modulum ſtrenuè cooperari. Non diu tentationes durabunt, brevì ceſſabit cuncta hoſtilis infeſtatio, pro pugna & victoria percipiemus aliquando in Cœlis immarceſcibilem gloriæ coronam. Nullus ergo animo ſuo concidat dum tentatur, ſed utatur illâ in bonum ſuum, & hoc unum caveat, nè intrando in tentationem intret aliquando in gehennam.

MEDITATIO
Pro die 22. Decembris.

Vigilate, quia neſcitis diem neq; horam. *Matth.* 25.

HOrrenda ſunt, quæ de morte, de judicio, de purgatorio ac gehenna hominibus quotidie dicuntur & prædicantur, nihil tamen illa curant, ſed vertunt ea in carmen muſicum, vitæ correctionem procraſtinant, & peccata peccatis accumulant. Cauſa eſt: quia neſciunt certum tempus, quo hæc ipſis ſint ſuperventura. Si enim ſcirent vitæ ſuæ finem hodie vel cras adfuturum, longè aliter viverent, ac Deum pœnitentiæ operibus maturè ſibi propitiare ſtuderent. Dormiunt verò in peccatis ſuis, & noviſſimam horam procul adhuc eſſe arbitrantur, ad quam vitæ ſuæ converſionem differunt, cùm tamen illa fortaſſe non procul ſit, ſed hodie vel cras adfutura. Imò vel ideo deberent ſurgere de ſomno ſuo, & vigilare, ſemper cogitando quæ ipſis brevì ſuperventura ſunt, quia neſciunt extremã vitæ ſuæ diem, neque horam. Veniet alioquin ſubitò inſperata una hora, quæ miſeros auferet ex hac vita, nihil tale ſcientes, vel opinantes. Fruſtra tunc expergiſci volent ad fletum & pœnitentiam, fruſtra petent inducias, actum erit de ſalute ipſorum. Vi-

gilabunt æternùm in horrenda illa nocte, in pœnis ac tormentis infernalibus, nullam penitus requiem habentes, qui dum ipſis præſentis vitæ dies laberetur, modicùm pro ſalute ſua vigilare noluerunt. Neſcient etiam tunc extremam diem neque horam, ſed nec erit ampliùs ulla dies vel hora extrema miſeris ſperanda, ſed ſinè fine ſocordiæ ac negligentiæ ſuæ pœnas dabunt. Quiſquis ergo ſalutem tuam diligis, excute mentis torporem, eſto vigilans, & quia neſcis, quando extrema vitæ dies & hora ventura ſit, omni die & horâ illam expecta.



MEDI-

MEDITATIO

Pro die 23. Decembris.

Vindicta carnis impij, ignis & vermis. *Eccli. 7.*

COnſidera vanitatem illorum ac dementiam, qui carnem ſuam in hoc mundo molliter ac deliciosè tractant, qui dulcedines illicitas ipſi procurant, quibus unicum eſt ſtudium, ut ſinè dolore vivant ſemper in gaudio & voluptate. Hoc verò quàm ſtultum eſt? quantillum eſt tempus, quo voluptati vacant? citò tranſit dulcedo, & amaritudinem poſt ſe relinquit; adeſt præ foribus peccatum, cujus conſcientia ipſos torquet, & imminens Divinæ Vindictæ gladius illos â tergo perſequitur. Demus etiam mille annos in carnalibus delicijs conſumptos, quid prodeſt omnis præterita dulcedo, dum horâ mortis propinquante, homini ex hoc ſæculo eſt emigrandum? tunc caro impij, quæ nullum in hoc mundo dolorem & mortificationem ſuſtinuit, illicitísq; actibus fuit contaminata, ſentiet acerbam Dei vindictam, & ad ignem æternum condemnabitur, vermésq; ſuſtinebit ſemper rodentes, nunquam tamen conſumentes. Quid tunc faciet mollibus ac delicioſis aſſueta? quæ modò vix culicis morſum, vix parvum dolorem, digiti aduſtionem, aut febri-

culam

culam pati poteſt, quid aget, cùm fuerit ab infernalibus flammis abſorpta, & ſerpentibus ignitis undiq; perfoſſa? quàm horrendus ac intolerabilis erit ejus dolor? incomparabiliter utique major erit acerbitas ejus, quàm fuerit omnis præterita dulcedo ac voluptas. Quantùm hìc fuit in delicijs, tantum ibi tormentum & cruciatum miſera ſuſtinebit. Quisquis igitur carnem tuam diligis, nihil illicitum ipſi permitte, quin etiam â licitis ipſi tempera; concupiſcentias ejus fræna & mortifica. Ardeat nunc potiùs, doleat & putreſcat, ut vitæ alterius ignem ac vermem evadat.

MEDITATIO
Pro die 24. Decembris.

Vniuscujusq; opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit. 1. Cor. 3.

LAtent nunc multa hominum opera in conſcientiarum latebris occultata. Mali ſcelera multa committunt in abſcondito, habentur tamen aliquando pro ſanctis; è contra boni multas virtutes clam exercent, quas ſolus Deus novit. Cùm verò dies Domini illuxerit, tunc illuminabit omnia abſcondita tenebrarum, tunc in lucem prodibit multorum hypocriſis, qui ſub larva ſanctitatis diabolo ſerviêrunt, & multorum ſanctitas revelabitur, quos mundus non æſtimabat. Quin etiam ipſi homini frequenter occultum & ignotum eſt opus ſuum, & quamvis ipſe nihil in eo peccaminoſi videat, neſcit tamen, an illud Deo placeat, an non, ſciet autem in illa die, quæ illi veritatem declarabit. Agnoſcet fuiſſe bonũ, ſi pro illo præmium receperit; malum verò ſi retulerit damnationem ac pœnã. Hinc eſt quòd homo in hac tenebroſa nocte conſtitutus, & de fine ſuo incertus, cum metu ac tremore ſalutem ſuam operari debeat, & vereri omnia opera ſua, nè, licèt bona eſſe putentur, in Dei oculis ſint mala. Alia enim

enim ſunt judicia hominum,& alia Dei, qui etiam juſtitias judicat, & ſæpe quod homines juſtificant,ipſe condemnat. Ejus Majeſtatem precibus devotis rogare debemus, ut nobis modò revelet mala noſtra, nè in illa die aliquid contra nos funeſtum prodeat ex occulto. Interim quamdiu neſcimus, an ſtemus in ira DEI, vel gratia, nunquàm de vitæ innocentia debemus præſumere, neque ullam juſtitiæ noſtræ fiduciam habere. Melius eſt, ut dicamus nos maximos peccatores gehennam promeritos, & in illa die juſti Cœlóque digni declaremur, quàm ut nos modò juſtos & immaculatos reputemus,& opinione falsâ decepti, atq; inter hædos Dei judicio computati æternùm condemnemur.

MEDI-

MEDITATIO

Pro die 25. Decembris.

Vno tantùm, ut ità dicam, gradu Ego mórsque dividimur.

1. Reg. 20.

POteſt hoc quilibet homo cum veritate ſemper dicere, quamvis ſibi non videatur eſſe in ullo evidenti mortis periculo, ſed ſanus & robuſtus. Sive vigilemus, ſive dormiamus, ſive ſtemus, ſedeamus vel ambulemus, comedamus aut bibamus, vel aliud quidcunq; agamus, ſemper mors nobis aſſiſtit, & quolibet temporis puncto ictum ab ipſa fatalem accipere poſſumus. Minatur nobis telo ſuo per ſingula momenta, non ferit tamen uſque dum ſupremus vitæ ac mortis Dominator juſſerit; tunc hominem perimit & abripit ex hoc mundo, & quidem ſæpius inſperatè. O! quot juvenes ſani ac vegeti, quot viri fortes ac robuſti, dum cogitarent ſe â morte plurimum diſtare, lethaliter ab illa percuſſi vitam repentè finiêrunt. Idem tibi accidere poteſt. Mortem ergo, quam ſemper habes adeò vicinam, ſemper cogita. Fatalem ab illa ictum nolens volens aliquando debes accipere, neſcis tamen quando; hinc ſemper eſto paratus, ut in bono ſtatu ex hac vita decedas. Noli fidere, noli multos vitæ dies tibi

bi promittere, qui hoſtem ſemper habes juxta te, ſemper tibi aſſiſtentem, ſive dormienti ſive vigilanti. Memento etiam, quòd non ſolùm â morte, verùm etiam â Purgatorio, vel inferno uno tantùm gradu, imò tantùm pilo diſtes. Citò agitur cum homine, dum ad æternitatem evocatur. Si ſemel bene præparatus ac diſpoſitus ex hoc mundo diſceſſeris, felix eris, nec habebis ultrà timendam mortem in æternũ, ſed frueris deinceps vitâ immortali. Si verò te imparatum mors abſtulerit ex hoc ſæculo, ſubibis æternam mortem, jacebíſq; ſepultus in inferno inter mortuos ſempiternos. Expergiſcere igitur de ſomno tuo, age pœnitentiam, corrige vitam, Semper cogita, quòd uno tantùm paſſu â ſe invicem diſtent vita & mors, tempus & æternitas.



MEDITATIO

Pro die 26. Decembris.

Unus dies apud Dominũ ſicut mille anni, & mille anni ſicut unus dies. 2. *Petri 3.*

INeffabilis eſt in Cœlo Sanctorum jucunditas & oblectatio. Omnia hujus vitæ gaudia, omnes mundi dulcedines ac voluptates nihil ſunt reſpectu cœleſtium. Cogita quicquid pulchritudinis mortalis oculus unquam vidit, quicquid ſuavitatis auris unquam audivit, quicquid jucunditatis in cor hominis unquam aſcendit. Cogita Veris delicias, palatia gemmis & auro fulgentia, menſas nectare manantes; ludos theatrales, omnem ſæculi hujus lætitiam, gloriam & pompam, & ex his, quæ animus novit, ſurgat ad incognita, quæ non novit, videbit omnia nec umbram eſſe reſpectu illorum bonorum, quæ Deus præparavit diligentibus ſe. In hac miſera vita, quam tamen mortales magnopere paſſim æſtimant, nec unica datur ſtilla veræ jucunditatis ac lætitiæ; in Cœlo autem eſt inexhauſtus infinitæ voluptatis, ac pleniſſimæ beatitudinis oceanus. Imaginare tibi mille annos gaudiorum in hoc mundo, imò annorum milliones lætos & jucundos: una dies apud Dominum eſt ſicut mille anni, imò ſuper milliones annorum.

Propter hanc immenſam & ineffabilem jucunditatem breviſſimum tempus videtur Sanctis in Cœlo, & mille anni ſicut dies unus ipſis præterfluunt, ità ut nisì gloria illa cœleſtis eſſet æterna, etiamſi mille annorum millionibus duraret, brevis tamen æſtimaretur â Sanctis. Non habet verò ullum finem illa beatitudo, ſemper illam Beati eſuriunt & ſitiunt, & ſemper illâ plenè ſatiantur. Hæc cogita, ad hæc pervenire ſuſpira. Hæc in omnibus vitæ hujus laboribus ac moleſtijs tua ſit conſolatio. Non mille annis, ſed paucis diebus afflictiones in hoc mundo ſuſtinebis, & potum lacrymarum bibes in parva menſura; cùm autem fletui ſucceſſerit lætitia, potabis abundantiſſimum voluptatis ac lætitiæ torrentem. Si tibi longum in vitæ hujus doloribus tempus videtur, cogita beatam illam æternitatem, & gaudium illud ſinè fine.

MEDITATIO

Pro die 27. Decembris.

Unusquisq; in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.

1. Cor. 7.

HAbe pro regula generali, Deum non ſolùm vocare homines ad bonum, ac talem vitæ ſtatum, in quo bene agere, & gloriam æternam conſequi poſſint, ſed etiam dare vires ad perſeverandum in tali ſtatu, & gloriam cœleſtem conſequendam. Vocatus es â Deo ad ſtatum religioſum, & inſuper ad certum religionis locum, certò tibi perſvaſum habe, vires tibi per divinam gratiam non deeſſe, quò minùs permanere, atque in illo ſalutem tuam operari & conſequi poſſis. At fortaſſe durus eſt tibi ſtatus, difficile tibi eſt ſtabiliter in eodem loco permanere, ſed cogita viam ad Cœlum non eſſe facilem. Si vis in hoc mundo ſuavem vitam ducere, & nihil perferre laboris ac moleſtiæ, nunquam ad Cœlum pervenies, nec in præſenti vita, quemcunque locum vel ſtatum arripueris, moleſtiã evades. Præſtat igitur ſe Deo committere, & ſequi vocationis ejus ductum, quàm propriæ phantaſiæ inſtinctu mutationes ſtatuum & locorum appetere, quibus multi falluntur. Si non potes hìc brevem ſta-

ſtatûs,aut loci ſtabilitatem ſuſtinere, quomodo poteris æternùm habitare cum igne illo devorante, & ardoribus ſempiternis? quàm durus & moleſtus erit ille ſtatus reproborum. Illum ſi frequenter cogitares, nullus tam miſer in hoc mundo eſſet vitæ ſtatus, aut carcer tam horridus, quem non libenter uſque ad mortem inhabitare velles, & aliquid laboris & moleſtiæ pati in hoc ſæculo, ut in altero poſſit coronari patientia tua, ſinè qua nunquam pervenies ad coronam. Permane igitur in bono, quod cœpiſti, & tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Adhuc modicum tempus ſuſtine, & brevì ad terminum æternæ beatitudinis per viam, per quam vocatus es, pervenies. Melius & ſecurius tibi eſt in ea perſiſtere, quàm propriæ voluntatis conſilio aliam quærere, & ad terminum tibi præfixum nunquam pervenire.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 28. Decembris.

Unusquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem. *1. Cor. 3.*

SÆpe fit in hoc mundo, ut mercenarij in agris aut vineis laborantes, ſive diligenter, ſive ſegniter laboraverint, eandem cum alijs mercedem die ſolutionis accipiant. Apud Deum ſecùs contingit, cujus oculos nullius opus latere poteſt. Ipſe laborantes conſiderat, reddítq; illis mercedem ſecundùm opera eorum. Si quis labori,divinóque obſequio ſtrenuè ſe impendit, liberaliſſimè â DEO remuneratur in Cœlis; qui parum laborat, parum accipit; qui verò nihil boni operatur, ſed ignaviâ torpet, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores projicitur,quia non egit,ad quod agendum venit in hunc mundum. Homo enim ad laborem natus eſt, ut tanquam DEI mercenarius, & non pigritator otioſus viveret ſuper terram. Laborandum ergo tibi eſt homo,quamdiu vivis, & quidem ſtrenuè ac ferventer operi bono inſiſtendum;nulla pars temporis negligenda, ut tibi laboris tui mercedem accumulare poſſis. Durus quidem videtur labor, ſed magna etiam illi merces repromittitur in Cœlis, ad

 quam

Digitized by Google

quam nihil eſt condignum, quicquid homo laboris ac ſudoris perfert in hac vita. O! ſi vel obiter aliquandó vidiſſes, quanta ſit bonorum operum retributio in Cœlis, nullam vel minimam temporis partem ſinè merito præterlabi ſineres. Interim avolant dies & anni vacui & ſteriles, abſq; ullo boni operis fructu, & tempus pretioſum inutiliter expendis. Optabis illud aliquando, & non habebis. Utere occaſione merendi dum potes, propone ſaltèm deinceps in Dei ſervitio majorem adhibere induſtriam ac diligentiam, & ſemper aliquid meritorium facere, Cœlóq; divitias condere animo, ore, manu, ſive cogitatione, verbo & opere. Non diu hìc laborabis, ſed brevì requieſces â laboribus tuis in Sabbatho beatæ æternitatis, & fructibus manuum tuarum frueris in gaudio ſempiterno.

MEDITATIO

Pro die 29. Decembris.

Vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël. *Matth. 19.*

COnſidera quàm horribilis futura ſit illa dies, quâ Dominus veniet ad judicandum. Ignis ante ipſum præcedet, & omnia in circuitu inflammabit; tabeſcent omnia mundi elementa, reſonabunt tonitrua, & fulgura coruſcabunt, in terra erit horror, in Cœlis fragor, terrifica denique rerũm omnium facies, & tragica ſcena, qualis non fuit â conſtitutione mundi. Nihil tamen hominibus majorem incutiet horrorem ac tremorem, quàm Tribunal Chriſti judicantis. Ab hoc metu Divini Judicij liberi erunt omnes, quotquot Chriſtum in hac vita per humilitatem, & voluntariam paupertatem fuerint ſecuti: non enim ſtabunt inter judicandos, ſed Chriſto ſecuri aſſidebunt in extremo illo terrore judicij, judicabunt cum ipſo non ſolùm nationes hominum, ſed etiam malos Angelos, dominabuntur populis,

&

& calcabunt colla divitum, ac Tyrannorum. Tunc æſtimabitur paupertas, quæ mundo nunc eſt contempta. Tunc Reges & Principes hujus ſæculi nudo latere palpitabunt, ſtantes ante Tribunal illud terrificum, & illorum ſubjecti ſententiæ, quos in hoc ſæculo contempſerant. Videbunt illos tunc in ſorte Filiorum Dei computatos, & mirabuntur ſuper poteſtate ac Principatu eorum. Gloria hæc erit omnibus Sanctis ejus, qui Chriſti veſtigia in humilitate ac paupertate fuerint ſecuti. Si hæc bene perpenderis, optabis potiùs Chriſti nunc ſocium agere in egeſtate ac miſeria, ut ejus poſtea ſocium agas in gloria & Majeſtate. Plùs in hoc mundo paupertatem & ignominiam, quàm gloriam & opulentiam affectabis. Brevì tranſit figura & pompa hujus ſæculi; illa verò Sanctorum gloria non habebit finem. Non enim ſolùm cum Chriſto nationes populorum judicabunt, ſed etiam cum illo deinde regnabunt in perpetuum.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 30. Decembris.

Vovete, & reddite Domino DEO veſtro. *Pſal. 75.*

SI homines pactum de quacunq; re ineant cum homine altero, & ille promiſſa ipſis nolit reddere, magnam procul dubio diſplicentiam illis cauſat & offenſam. Multa etiam DEO ab hominibus promittuntur, vovent ipſi paſſim in Religionibus Paupertatem, Caſtitatem & Obedientiam, ipſe viciſſim promittit ipſis Regnum Cœlorum, & gratiam auxiliatricem, per quam vota ſua illi reddere poſſint, quæ ſi non reddunt, infinitam ejus Majeſtatem procul dubio graviſſimè offendunt. Melius erat non vovere, quàm poſt vota retractare. Vide an non & tu de illorum ſis numero, an quæ DEO voviſti, omnia exactè reddideris. Si te vides culpabilem, dole de præterito, cave de futuro, propone imposterum fideliùs quàm ante præſtare DEO, quod promiſiſti. Noli ſperare Dei repromiſſiones, ſi tuas promiſſiones non obſervaveris. Si tu fueris fidelis votorum redditor, erit ille fidelis præmiorum retributor. Qui promiſit magna voventibus, horrenda comminatur non reddentibus. Rigidus vo-

torum eſt exactor, & votifragorum ſeveriſſimus ultor. Sicut illi ſummè places, ſi per vota ipſi religatus es, ità ſummè ipſi diſplices, ſi promiſſionum tuarum vincula rumpis, ipſíque ſemel debita & conſecrata ſacrilegè uſurpas. Vel magnum valde præmium, vel magnum valde ſupplicium in altera vita reportabis. Revocare ampliùs non potes, quæ ſemel diſtinxerunt labia tua. Redde igitur DEO, quod debes bene agendo, nè alioquin ejus ultioni ac vindictæ debitum reddas æternùm patiendo. Sic agè, ſic vive, ut Deo aliquando cum fiducia dicere poſſis: Redde quod promiſiſti, nam & ego reddidi, quod promiſi.

Digitized by Google

MEDITATIO

Pro die 31. Decembris.

Uſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis. *Eccli. 1.*

GRaves quidem ſunt hominum calamitates & miſeriæ in hoc mundo, in quarum preſſuris magnum eſt ſolatium cogitare, quòd non æternùm durabunt, ſed paulò pòſt cum hac miſera vita finem accipient. Tunc pro momentanea tribulatione reddetur nobis beatitudo & jucunditas ſempiterna. Hujus recordatio nos animare debet in adverſis. Non habemus autem ſperandam, niſì patientiæ merito ſtudeamus. Non enim adverſis premi, ſed illa ex Dei amore libenter pati eſt meritorium. Quidcunq; igitur tibi doloroſum ac moleſtum accidat, noli animo concidere, vel turbari, ſed calicem tribulationis de manu Domini libenter ſuſcipe. Si pro conſecutione Regni Cœleſtis mille annorum millionibus dira quæque ſupplicia pati deberes, dignum eſſet illa, & adhuc plura ſuſtinere pro tanta gloria. Nunc verò ſæculi præſentis adverſitas citò prætervolat, forſitan hodie vel cras finis erit laborum ac dolorum tuorum, quos Dei amore ſuſti-

nes,

nes, quibus ſuccedet jucunditas & lætitia ſinè fine. Hoc animo tuo firmiſſimè ſemper impreſſum tene, hoc ſemper cogita, quòd omnia vitæ hujus ſeu bona ſeu mala, ſint ſaltèm uſq; in tempus, & quidem breve. Hoc unicè tibi providendum eſt, nè mala hæc temporalia, ſi ea tuleris impatienter, deducant te ad mala perpetua; vel bona temporalia, ſi eis animum addixeris, bonis te privent æternis. Contemne omnia mundi gaudia, & præſentis vitæ conſolationes. Elige potiùs hìc ad modicum tempus triſtia patienter ſuſtinere, & ſempiternam poſtea recipere jucunditatem, quàm brevi tempore gaudère, & poſtea æternum ſubire dolorem ac miſeriam.



HUcuſque Meditationum themata ex ſacris Scripturis excerpta, & ſecundùm Anni dies ordine alphabetico diſtributa. Quòd ſi quis meditationi vacaturus, vel libro, vel commoditate librum inſpiciendi pro excerpendo Meditationis themate deſtitueretur, ſequentes materias ſingulis cujuslibet hebdomadæ diebus aptatas ad meditandum poterit aſſumere:

Die Dominico. Infinitam DEI Majeſtatem ubique præſentem, & beneficia ſibi divinitus collata.

Feriâ II. Mundi vanitatem & mortem.

Feriâ III. Particulare & univerſale Judicium.

Feriâ IV. Infernum & Purgatorium.

Feriâ V. SS. Euchariſtiæ Sacramentum.

Feriâ VI. Paſſionem Chriſti.

Sabbatho. Cœleſtem Gloriam.

EX-

Digitized by Google

EXHORTATIO
S. Franciſci Religioſis omnibus aſſiduè meditanda.

F*Ratres: Magna promiſimus, majora promiſſa ſunt nobis. Servemus hæc, ſuſpiremus ad illa. voluptas brevis, pœna perpetua; modica paſſio, gloria infinita; multorum vocatio, paucorum electio; omnium retributio.*

Hæc meditare, in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.

1. Tim. 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VARIA ORATIONUM EXERCITIA.

PRÆPARATIO AD ORATIONEM.

S*I quis intentiunculam ſequentem orationi ſuæ præmiſerit, ore vel corde dicẽs:* Domine JESU, in unione illius devotæ intentionis & attentionis, quâ ipſe in terris laudes DEO Patri perſolviſti, hanc tibi orationem perſolvo. *Ejus tunc Oratio Chriſti orationibus unietur, & cum illis pro uno quaſi eodémque exercitio computata, ſummè per hoc coram DEO nobilitabitur. Ità Chriſtus revelavit B. Mechtildi. lib. 3. cap. 32.*

ALIA FORMULA INTENTIONIS

Orationibus præmittendæ, in qua præcedens continetur.

SUſcipe Domine Orationis ſacrificium, quod tibi corde attento, contrito & humiliato offerre intendo, ad laudem & gloriam Nominis tui, in unione perfectiſſimæ ac ferventiſſimæ Orationis tuæ, quâ pro ſalute noſtra Patrem orâſti in terris. Suſcipe ad honorem SS. Genitricis tuæ, Sancti Angeli Cuſtodis, Sancti NN. *hîc pronuntiari poterit nomen Sancti, cujus illo die recitatur officium, deinde*

aliorum quoque Sanctorum Patronorum, ac totius Eccleſiæ triumphantis; ad utilitatem meam, *ad hoc vel illud beneficium impetrandum, pro hac vel illa neceſſitate*, ac totius Eccleſiæ militantis; pro ſalute vivorum, *hîc aliqui poterunt nominatim deſignari.* & requie defunctorum. *Hîc etiam aliqui ſpecialiter nominari poterunt, pro quibus in particulari orare quis intendit.*

Quibuſdam ante horas Canonicas uſitata ſunt verba ſequentia:

Rex Chriſte clementiſſime,
Tu corda noſtra poſſide,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

Ad diſtractiones & quaſcunque perturbationes orationis tempore arcendas, plurimùm valet tarda ac devota pronuntiatio Verſiculi: DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandũ me feſtina. Gloria Patri &c. *qui propterea horis omnibus præmitti ſolet.*

Gloria Patri *in officio divino magna ſemper cum devotione dicendum. Narratur de quodam Religioſo, qui horas ſuas negligenter dicere conſueverat, quòd poſt mortem alteri cuidam apparuerit, & interrogatus, quidnam propter illam negligentiam pœnæ incurriſſet? Reſponderit, totam illam negligentiam ſe compensâſſe per* Gloria Patri, *quod magna ſemper cum attentione ac reverentia dicere conſueviſſet.*

ALIUD

ALIUD REMEDIUM AD COMpenſandas Cordis in Oratione diſtractiones.

COmmenda Chriſti Sanctiſſimo cordi orationem tuam, ad omnes defectus ab ipſo pro te ſupplendos. Apparuit enim quâdam vice Chriſtus B. Gertrudi multùm in precibus diſtractæ, & proprijs manibus cor ſuum illi præſentans dixit : Ecce cor meum oculis mentis tuæ præſento, cui omnia quæ pro te minùs implere ſufficis, fiducialiter pro te ſupplenda commendabis. Et ſic omnia coram oculis meis apparebunt ſummè perfecta. lib. 3. cap. 25.

S. Mechtildis orans pro quodam, de negligenti ac parum attenta horarum recitatione conqueſto, tale reſponſum à DEO *accepit : Semper poſt finem horarum hoc adjungat :* DEUS propitius eſto mihi peccatori.

vel hoc

O Agne Mitiſſime Miſerere Mei :

Addi poterit

Per temetipſum ſupple quicquid in hac hora neglexi.

PRæmonſtratenſibus poſt Officium Divinum uſitata eſt Oratio Sacroſanctæ &c. *quam pro felici ſtatu ſummi Pontificis & Eccleſiæ Sanctæ* DEI, *adjecto* Pater noſter & Ave Maria, *perſolventes, ex conceſſione Leonis X. conſequuntur plenariam remiſſionem omnium defectuum, in perſolvendo alicujus ho-*

ra aut plurium horarum Officio humanâ fragilitate commiſſorum.

EXERCITIUM MATUTINÆ DEVOTIONIS.

A *Somno experrectus, conſigna te ſigno Sanctiſſimæ Crucis. Deinde in fronte ſequentes literas forma.* J. N. R. J. *dicens interim* : JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, Titulus Triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Sancte DEUS, Sancte fortis, Sancte & immortalis, miſerere nobis.

Hæc brevis Oratiuncula hominem præſervat illo die contra ſubitaneam mortem, ut ipſe Chriſtus B. Edmundo Archiepiſcopo Cantuarienſi revelavit. Juvat etiam in occurrentibus quibuſcunque neceſſitatibus & vitæ periculis, ut multorum experientiâ fuit comprobatum, qui ejus recitatione gravia vitæ diſcrimina ſalvi & incolumes mirabiliter evaſerunt.

Primitias cogitationum tuarum DEO *quotidie offer. Surgens è lecto in terram te proſterne, vultu ad pavimentum appreſſo, dicens ex corde* : DEUS propitius eſto mihi omnium maximo peccatori. *Idem fac Veſperi. Multùm valet iſte humilitatis actus ad divinam gratiam & miſericordiam homini promerendam, eumque collocat in magno Sanctitatis gradu, ut patet ex hiſtoria, quam narrat Ruffinus in vitis Patrum de quodam Coriario Alexandrino, qui brevi*

hoc

Digitized by Google

hoc modico devotionis genere S. Antonio meruit in ſanctitate præferri. Vide periodum 4. ſermonis Enucleati S. Norberti, nucleo 15. n. 3.

INTENTIO MATUTINA.

Forma deinde intentionem pro totius diei cogitationibus, verbis & operibus, non ſolùm bonis, ſed etiam indifferentibus; offerendo illa DEO in ipſius gloriam, & Sanctorum honorem, pro vivis & defunctis, pro gratiis ex hac vel illa cauſa DEO agendis, & his vel illis beneficijs ab illo impetrandis. Intende quoque totius diei actionibus lucrari, quaſcunque poteris, indulgentias.

INTENTIO PARTICULARIS,

Pro ſingulis hebdomadæ diebus.

Die Dominico *offer omnia opera tua in honorem* Sanctiſſimæ Trinitatis, in gratiarum actionem pro omnibus DEI beneficijs; rogando ut gratiam & miſericordiam ſuam erga te uſque in finem continuet; & pro tota Eccleſia militante.

Die Lunæ. In honorem SS. Angelorum, præſertim Angeli Cuſtodis, in gratiarum actionem pro cuſtodia, & alijs beneficijs tibi præſtitis, rogando ut tibi ulteriorem curam & beneficentiam impendant; tandem pro omnibus tuis Superioribus, uti & ſubditis curæ tuæ commiſſis.

Die Martis. In honorem omnium tuorum

Patronorum, in gratiarum actionem pro interceſſionibus & patrocinijs tibi hucuſque præſtitis, rogando ut ijſdem ſalutem tuam etiam deinceps promoveant; tandem pro omnibus vivis, Conſangvineis & Amicis, Confratribus & Benefactoribus, &c.

Die Mercurij. In honorem omnium Sanctorum, in gratiarum actionem DEO pro illorum gloria, rogando ut virtutem ac vitam ipſorum DEI adjuvantis gratiâ imitari poſſis. Tandem pro omnibus fidelibus defunctis, potiſſimùm vero pro illis, quos præ cæteris adjuvare obligatus es.

Die Jovis. In honorem Venerabilis Sacramenti, in gratiarum actionem DEO pro illius inſtitutione, rogando pro digna illius participatione, præſertim in agone. Tandem pro omnibus Sacerdotibus, ut digni reddantur confectione & communione tanti Sacramenti.

Die Veneris. In honorem paſſionis & mortis Chriſti, in gratiarum actionem pro tua redemptione, rogando ut fructus illius tibi efficaciter applicetur. Tandem pro omnibus peccatoribus erga Chriſtum pro nobis paſſum teneriùs affectis.

Die Sabbathi. In honorem B. Virginis, in gratiarum actionem pro patrocinijs & auxilijs tibi ab illa præſtitis, rogando pro ijſdem uſque in finem tibi præſtandis, præſertim pro felici morte

per

per ejus interceſſionem obtinenda. Tandem pro omnibus B. Virginis Cultoribus.

DE INTENTIONIBUS CUICUNQ; Operi bono præmittendis.

S. *Mechtildi ajebat Chriſtus : Si quis omnem laborem, & omnia opera ſua, in unionē laborum & operum meorum faciat, ejus opera per illam unionem nobilitantur, ac ſi cuprum cum auro liquatum in auri nobilitatem penitus mutaretur.*

Quotieſcunque igitur bonum aliquod opus vis elicere, conſultiſſimum eſt, ut pro poſſibili, actualem ſuper merita Chriſti, à quibus omnis valor in opera noſtra dimanat, reflexionem præmittas, Deóque illud opus illúmve actum offeras, in unionem operum ſeu actuum, quos Chriſtus Salvator noſter in conſimili materia elicuit.

BREVIS ALIA OBLATIO CUJUScunque operis.

DOmine hoc opus offero tibi, per unicum Filium tuum, in virtute Spiritûs Sancti, in laudem æternam. *Mirificè nobilitatur quicquid DEO taliter offertur, prout revelatum eſt B. Gertrudi.*

ORATIO MATUTINA Prædictas intentiones complectens.

GRatias tibi ago omne bonum meum, Pater

mi, ſolatium meum, & ſpes unica in hoc lacrymoſo mundi exilio DEUS meus; Qui me ex veteri tua infinita miſericordia & bonitate, à principe tenebrarum, & omni malo hâc nocte liberare dignatus es. Fac me ſimiliter tranſactâ feliciter ad honorem tuum die veſperum videre, aut ſi hunc mihi ſubtrahis, & hodie mihi ex hoc ſæculo migrandum eſt, fiat ſancta voluntas tua. Fac ſaltèm Pater miſericors benignè cum ſervo tuo, ſalva in te unico confidentem, nè hora improviſa me corripiat, nec dies tuus ùt fur mihi adveniat, in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, in te ſperavi, non confundar in æternum. Dirige hodie omnes cogitationes meas, ut nil cogitem præter te, nec aliquid cupiam, quod eſt extra te; moderare ſermones & actus meos, ut te ſolum reſpiciant, nec deflectant ad vanitatem, nè quando dicat inimicus meus prævalui adversùs eum. Omnia hujus diei opera, ſermones & cogitatus meos, quicquid fecero vel ſuſtinuero, tibi offero DEUS meus, in laudem & gloriam tuam, in unionem operum ac paſſionum Salvatoris ac Domini mei JESU Chriſti. Suſcipe illa per unicum Filium tuum, in virtute Spiritûs Sancti, in laudem æternam.

Tibi quoque DEI Mater Sanctiſsima, conſolatrix viventium, patrona morientium; Tibi Sancte NN. *hic nominentur omnes Sancti Patroni ſpeciales orantis, Sanctum illum præmittendo, cujus feſtum*

ſtum illâ die celebratur, vitam & animam meam commendo. Intercedite pro me nunc & ſemper, ut poſt viæ hujus curſum feliciter conſummatum, vobiſcum in cœleſti patria gaudeam in æternum.

Et tu Angele DEI, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſupernâ, hâc die illumina, cuſtodi, rege & guberna.

Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat; & ad vitam perducat æternam.

Et Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace, Amen.

INTENTIO QUÆDAM EXCELlentior.

B. *Gertrudi dixit Chriſtus, quòd illa opera, quæ ità purè ad laudem DEI, in unione Paſſionis Chriſti, & ad Salutem univerſitatis fiunt, ut omnino abrenuntiet quis omni merito, ut ſaltèm poſſit DEO laudem offerre, deſcribantur (in libro vitæ) aureo colore. Et licèt alia opera copioſam apud DEUM obtineant remunerationem, illa tamen, quæ purè fiunt pro amore laudis DEI, multò majoris ſint meriti ac dignitatis, & inſuper conferant homini infinities majus augmentum ſalutis æternæ. l. 4. c. 16. Unde ſequens intentio manè poterit uſurpari.*

DOmine DEUS, propter temetipſum mihi propono, hodie & quotidie, omnes meas internas & externas actiones, purè ad laudem tuã, & ad ſa-

lutem univerſitatis perficere, intentione & modo tibi maximè placito, & in unione illius amoris, quo Filius tuus de Cœlo deſcendit, & omne opus humanæ redemptionis, maximè tempore Paſſionis ſuæ perfecit. Unde omnino abrenuntio omni merito, præmio & gratiæ, quæ per illa opera poſſem adipiſci, ut poſſim tibi DEO meo majorem laudem & amoris exhibitionem offerre. Amen.

ORATIO VESPERTINA.

TRanſeunt dies mei, Domine DEUS, appropinquat morti vita mea, vita fragilis & caduca, quæ quantò magìs creſcit, tantò magìs decreſcit, vita fallax & umbratica, plena laqueis mortis. Hodie fortaſſe ultimùm vixi, & me ad judicium vocas ſevere cuſtos greſſuum meorum; imputas mihi neglectum tempus acceptabile, & dies ſalutis in torpore ſinè fructu tranſactos. Sed inducias clamat gemens anima mea, & miſericordiam tuam implorat, Domine DEUS meus, ut reliqvum ſaltem quantulumcunque eſt ætatis meæ, in ſervitio tuo dignè valeam inſumere, ſpretis vanitatibus & conſolationibus momentanei hujus ſæculi, cujus figura & gloria præterit ut hodierna dies.

Da mihi Domine ſomnum & noctem quietam, vigila ſuper me protectione tuâ, Angelis tuis Sanctis manda, ut me ab hoſtium inſidijs & omni malo tueantur. Fiat ſuper me miſericordia tua,

nè

nè unquam obdormiam in morte; quin poſt lacrymoſam ac tenebroſam vitæ hujus noctem, diem mihi æternæ beatitudinis fac allucere.

Salve Regina Mater miſericordiæ, &c.

Angele DEI qui cuſtos es mei, &c.

Dominus nos benedicat, &c. *ut ſuprà.*

Dum cubitum te componis, factâ Cruce, frontem literis tituli triumphalis: J. N. R. J. *conſigna dicens:* JESUS Nazarenus, &c. *ut ſuprà.*

EXERCITIUM NOCTURNUM.

N*Octu excitatus ad Matutinas, prævijs ſignationibus S. Crucis, ac tituli triumphalis, dic pſalmum:* Ecce nunc benedicite Dominum, &c. *cum* Gloria Patri. *Deinde corpore veſtito ac honeſtè compoſito, tres pſalmos antematutinales flexis genibus perſolve.*

POST MATUTINAS

D*Ici poterit dimidium Veſpertinæ Orationis:* Da mihi Domine, &c. *Factiſque ſignationibus S. Crucis ac tituli triumphalis ſomnus capi.*

PACTUM CUM DEO QUOTIDIANUM.

DEUS omnipotens, ex amore ac deſiderio te hâc totâ die laudandi, ſanctifico, dico & conſecro tibi omnes pulſus & motus cordis, & omnium arteriarum mearum, hócque pactum tecum

cum ineo, ut omnes eorum motus idem ſignificent, quod hæc verba: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth. Quam ſignificationem præfatis motibus inditam velim, adeò ut à tua Divina Majeſtate, per eoſdem idem intelligatur, quod intelligitur per illud cœleſte Canticum à Seraphinis decantatum. Fiat, fiat. Amen.

PACTUM ALIUD MAJUS, quâlibet Hebdomadâ iterandum.

DOmine DEUS Creator meus, tu ſcis deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Sed quia præſentis vitæ neceſſitates minùs ſinunt mentem laudi tuæ intendere; hinc tale pactum, quod totâ hâc hebdomadâ firmum permaneat, tecum ineo. Quoties hâc hebdomadâ Cœlum ſuſpexero, toties gratulabor & congaudebo tibi ob infinitas perfectiones tuas, quòd ſis qui es, ſummè potens, ſapiens, benignus & juſtus.

Quoties oculum clauſero vel aperuero, toties rata & grata habebo omnia opera & actiones, quas Unigenitus tuus, & omnes Sancti ac juſti ad laudem tuam unquam fecerunt, & deinceps facient; méque horum participem fieri deſiderabo.

Quoties halitum traxero, toties offeram tibi vitam, paſſionem & Sangvinem D. N. JESU Chriſti, omniúmque Sanctorum merita & paſſiones, in laudem æternam & ſalutem Univerſitatis, omni-

omniúmque totius mundi peccatorum ſatisfactionem.

Quoties ſuſpiravero, toties deteſtabor & abominabor omnia & ſingula peccata, tam mea quàm omnium hominum, ab initio mundi contra honorem nominis tui perpetrata. Quæ utinam meo ſangvine aliquatenus compenſari poſſent.

Demum quoties manum vel pedem movero, toties ex amore tui projiciam & reſignabo me totum in tuam Sanctiſſimam voluntatem; optans ut de me in tempore & æternitate diſponas juxta tuum laudabiliſſimum beneplacitum. Et hæc quinque pacta, nè unquam irritari poſſint, ſacratiſſimis quinque Vulnerum tuorum ſigillis obſigno, eáque rata & valida eſſe volo, licèt de ipſis in motibus & actionibus meis nihil actualiter cogitarem.

Horum pactorum efficaciam colligere licet à contrario: ſi enim quis ſtatueret, quòd ad ſingulos cordis pulſus, aut quoties manum vel oculum moverit, DEUM per hoc velit blaſphemare, gratúmque habere, quicquid unquam mali actum eſt, optarétque ſe illius reddi participem, enormi procul dubio culpâ ſe obſtringeret. Si ergo ejuſmodi pactum in malo tam efficax eſt, etiam maximæ virtutis & efficaciæ cenſendum eſt fore in bono.

TESTA-

TESTAMENTVM RELIGIOSI
Hominis ſingulis anni Quadrantibus renovandum.

IN NOMINE SS. TRINITATIS, AMEN.

QUoniam ego miſerrimus peccator, de morte mea certiſſimus, de hora verò ejus incertiſſimus ſum: hinc modò, dum mihi adhuc optimè præſens ſum, coram te O Sanctiſſima Trinitas, atq; coram tota Cœleſti curia, ultimam Voluntatem meam, qualiter vivere & mori cupiam, declarabo; ſuper quâ, nè unquam immutari queat, Teſtamentum hoc, quod in æternum ſit irrefragabile, condam & erigam. Tu igitur Sanctiſſime Pater, oculis pietatis tuæ intuere me indigniſſimum famulum tuum, ſicut intuitus es Unigenitum tuum in monte Oliveti coram te proſtratum, & de omnibus meritis ſuis Eccleſiæ legandis diſponentem. Et ſicut orationem ejuſdem Filij tui ſummo beneplacito ſuſcepiſti, ità etiam ultimam hanc meam Voluntatem ratam, rationabilem, acceptabilemque facere & habere digneris.

Eſt autem hæc: *Primò*, in optima forma, modoque efficaciſſimo lego, adſcribo & integrè trado tibi, O beatiſſima Trinitas, corpus meum, & animam meam, omniaque opera mea, quæ per illa toto vitæ meæ decurſu operatus ſum. Atq; ſummas

mas & immortales ago tibi gratias, quòd me Creaturam rationalem creaveris, ſacro Baptiſmate regeneraveris, aliíſque Sacramentis ſanctificaveris; ad Religionem vocaveris, & infinitis bonis in corpore & anima, liberaliſſimè ac miſericordiſſimè cumulaveris. Propter quæ fateor, quòd tu ſolus poteſtatem in me habeas, quódque te ſolum, & nullum alium extra te Dominum agnoſcam.

Secundò omnia bona, omnéſq; gratias, tam ſpirituales quàm corporales, quas unquam à te accepi, illas omnes tibi Domino DEO meo ſoli adſcribo, fateórque quòd ex abyſſali tua benignitate, atque Sanctorum tuorum interceſſione, millecuplò plus boni mihi præſtiteris, quàm de te promeritus ſim; quódque tam in corpore quàm in anima, tam in proſperis quàm adverſis, congruentiſſimo modo mihi provideris, quódque hoc nulla potentia, ſapientia aut bonitas extra te præſtare valuiſſet, pro quo maximas, quas poſſum, in æternum tibi decantabo laudes & gratias.

Veram fidem, quam in Baptiſmo accepi, omnéſque ac ſingulos ejuſdem articulos firmiter credo atque profiteor, tali modo ac formâ, quali Sancta Catholica Eccleſia eoſdem credit atq; profitetur: ſumque paratiſſimus vitam potiùs & ſangvinem profundere, quàm vel unicum veræ fidei articulum abnegare. Et ſi fortè in morte mea diabolico inſtinctu quidquam huic ſacræ fidei contrari-

trarium cogitarem, dicerem aut facerem, id nunc omnino irrito atque invalido. Quod nè fiat, commendo fidem meam tuæ omnipotentiæ, ſapientiæ atque bonitati, DEUS meus, ut in hora mortis meæ integra atq; perfecta inveniatur.

Omnia & ſingula peccata à juventute mea uſque in hanc horam, quomodocunque aut qualitercunque perpetrata deteſtor & abominor, ac de ijs, ex mero tui amore, vehementiſſimè doleo, milliéſque plùs dolere deſidero; Et in ſuppletionem doloris illius, qui mihi deeſt, offero tibi contritionem illam, quam Unigenitus tuus pro totius mundi peccatis habuit. Et ut pro graviſſimis à me tibi irrogatis injurijs ſaltèm aliqualiter tibi ſatisfaciam, offero & exhibeo me paratum, quamcunque de me vindictam ſumere volueris, libentiſſimè ſuſtinere.

Quoniam verò omnis mea ſatisfactio longiſſimè inſufficiens eſt, hinc ad abundantiſſimos JESU Chriſti meritorum theſauros confugio, offerens tibi omnem ejus paſſionem, quam ab inſtanti conceptionis ſuæ pertulit, uſque in illam horam, quâ in Cruce inclinato capite Spiritum in manus tuas moriendo tradidit. Atque in ejuſdem ſacratiſſima Vulnera immergo & abſcondo omnia mea peccata & negligentias meas, rogans ut pretioſiſſimo ejus Sangvine omnes maculas meas eluere, ignéq; Charitatis ejus abolere digneris.

Ab

Digitized by Google

Ab omnibus & ſingulis, quos verbo aut facto unquam contriſtavi, humillimè veniam deprecor: paratúmque me offero, omne damnum honoris atque bonorum illis juxta menſuram juſtitiæ compenſare.

Omnibus autem, qui me unquam verbo aut facto offenderunt, ex animo remitto omnem injuriam & vindictam, ſicut Chriſtus in Cruce inimicis & Crucifixoribus ſuis ignovit, pro iíſque Patrem ſuum exoravit.

Agnoſco & profiteor me per propria ſolùm merita Cœlum adipiſci non poſſe; unde nec in ijſdem, ſed in meritis atque paſſione dilecti Filij tui, Sanctorúmque patrocinijs confido. Quibus tam firmiter innitor, ut nequaquam mihi imaginari queam, licèt millies plùs te offendiſſem, me æternaliter periturum. Utpote cùm ſciam miſericordiam tuam iniquitates meas in infinitum tranſcendere, paſſionémque Filij tui ſinè menſura præponderare omnibus peccatis meis.

Meipſum totum, cum omnibus quæ ſum & poſſum, integerrimè committo & reſigno tuæ Sanctiſſimæ Voluntati, orans & optans, ut illa de me, per me, & circa me perfectiſſimo modo adimpleatur. Non cupio unicâ horâ diutius vivere, quàm tibi placeat; non cupio hâc vel illâ morte, vel infirmitate hinc diſcedere, ſed ſolumodò illâ, quam tu mihi immiſeris; Imò ſi mihi liberum eſſet adhuc

mille annis in omnibus delicijs vivere, mallem tamen, ſi voluntati tuæ conforme eſſet, hâc horâ decedere, quàm præter eandem vel unico momento in vita permanere.

Amo te DEUS meus, amor meus, & in æternum te amare cupio, quia propter ſummam bonitatem, perfectionem & magnificentiam omni amore digniſſimus es. Et utinam millies plùs te amare poſſem. Imò ſi omnium hominum & Angelorum corda & affectus haberem, libentiſſimè illa in tui amorem converterem. Quoniam verò, ut par eſt, te amare nequeo; hinc rogo, ut temetipſum pro me tali amore, quali dignus es, amare velis.

Demum proteſtor, quòd ut verus Catholicus mori, atque ſacratiſſimis Confeſſionis, Communionis & Extremæ Unctionis Sacramentis communiri deſiderem. Cupio etiam & exopto omnium Miſſarum, Orationum & ſuffragiorum, quæ uſque ad diem judicij fient, particeps fieri. Imò ſi eſſet meæ facultatis & poteſtatis, ordinarem ut omni die, ſuper omni altari, & ab omnibus Sacerdotibus pro me defuncto ſacrificium miſſæ uſque ad finem mundi offerretur. Quod quoniam in opus deducere nequeo, hinc rogo te, O Chriſte JESU, ut temetipſum pro me Patri tuo offeras in holocauſtum & juge Sacrificium pro peccatis meis innumeris. Inſuper rogo, ut animæ meæ in extre-

trema ſua anguſtia, unicum triſtiſſimi, & in agone conſtituti cordis tui ſuſpirium donare, unicámque ſangvinis tui guttulam in ſalutem provenire concedas, Amen.

OBSIGNATIO TESTAMENTI.

NUnc igitur, O beatiſſima Trinitas, coram te atque tota Cœli Curia profiteor, atque proteſtor, id omne, quod in hoc Teſtamento continetur, eſſe ultimam, ſincerámque meam Voluntatem atque ſententiam, juxtà quam vivere atque mori deſidero. Cupióque ut hoc meum Teſtamentum nullo modo irritari aut infringi debeat; ſed tam ante, quàm in, & poſt mortem meam in ſuo robore & valore permaneat. Et caſu quo contingeret me idipſum unquam revocare, hiſce proteſtor, revocationem illam nullam & invalidam cenſeri debere.

Quare deprecor te, JESU benigniſſime, ut ſuper hac ultima Voluntate mea publicum inſtrumentum erigere, illúdque Sacratiſſimi Nominis tui ſubſcriptione confirmare, atque impreſſione quinque Vulnerum tuorum ùt ſigillis conſignare digneris. Similiter deprecor & te, O beatiſſima Virgo MARIA, Te Angele Cuſtos, te Sancte NN. *hic nominari poterunt omnes Patroni orantis.* Ut hujus ultimæ Voluntatis meæ teſtes eſſe, eique

nomina veſtra ſubſcribere, illámque in Archivio SS. Trinitatis recondere velitis; cujus copiam in hoc libello deſcriptam ſemper aſſervabo, propriíque nominis ſubſcriptione communiam, ut coram DEO & hominibus notum ſit, ad quem ſecundùm corpus & animam pertineam, & quomodo vivere ac mori cupiam. Ità teſtor

Indignus DEI famulus

NN. Manu propriâ.

Hoc teſtamentum Teſtatori moribundo prælegi poteſt, qui ad ſingulos ejus articulos reſpondeat. Ità omnino. Hæc eſt Voluntas mea & deſiderium.

RENOVATIO PROFESSIONIS Præmonſtratenſis ſemel ad minimum in anno facienda.

GRatias ago tibi Domine JESU Chriſte, Creator & Redemptor meus, qui me viliſſimum peccatorem tui ſæpius oblitum non oblitus es, & ereptum de cœnoſo mundi gurgite, in hoc Religioſo Ordine, tanquam ſecuro ſalutis portu collocâſti, ac in eodem ad ſolennem profeſſionem admiſiſti. Si non bonitas tua, Clementiſſime Domine, adjuviſſet me, pridem habitâſſet in inferno infelix anima mea. Miſericordias tuas in æternum cantabo. Sed quid pro ijs tibi retribuam? doleo ex te-

ex toto corde, quòd hactenus gratiæ tuæ minùs reſponderim, & beneficijs tantis à te ſuſceptis fuerim ingratus. Deteſtor omnes culpas, & negligentias in hoc Ordine Sacro commiſſas, & quòd tam parum ad ejus perfectionē quotidie aſpiraverim. Recogito perditos vitæ meæ dies, & ſteriles Religionis años in amaritudine animæ meæ. Ignoſce mihi Deus, veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, & cōcede, ut vel nunc tandē, ea, quæ Vocationis, & obligationis meæ ſunt, exequi ſeriò incipiā, quod ex animo cupio, & ferventer propono. Deſinat anima mea iterare verba lenta, & ſomnolenta, ne illud futurum, quod toties propono, ſemper ſit futurum, & quotidie procraſtinantem aliquando improviſa opprimat dies tua. Largire mihi gratiam ſobriè, juſtè, ac piè deinceps vivendi in hoc ſæculo, fac ut reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, quibus ſi me tuæ Majeſtati jam ante non obſtrinxiſſem, de novo vellem obſtringere. Ideóque illa ſaltem nunc renovo, & quanto poſſum ſpiritûs fervore, ac devotione: Trado me totum tibi, & Eccleſiæ huic NN. renuntio ſæculo & proprietati, & promitto converſionem morum meorum, emendationem vitæ, ſtabilitatem in loco, & communem vitam; promitto etiam Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam perfectam, juxta Sanctum Evangelium tuum, & Regulam S. Auguſtini, Tibi, & Vicario tuo Abbati meo, ejúſque Succeſſoribus, quos

 Con-

Conventus Eccleſiæ hujus, ſecundùm formam Ordinis Canonicè elegerit, vel receperit. Compleat, & firmet, miſericordiſſime JESU, tua potentiſſima Divinitas, quod conatur mea tepidiſſima imbecillitas, qui dediſti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem. Vias Religionis duras propter te cuſtodire volo, amor mi, fortitudo mea, adjuva imperfectum meum, nè aliquando humeris excutiam, aut moleſtè feram acceptabilem mihi crucem tuam. Fac, ut omnis labor mihi videatur parvus, & brevis, præ amoris tui magnitudine. Vivat jam non mihi, ſed tibi tota vita mea. Nullum ſit momentum, quo te non habeam ante oculos, in memoriá, quo te non diligam ex omni fortitudine mea, DEUS cordis mei, & pars mea, DEUS in æternum, Amen.

ORATIONES DE PASSIONE DOMINI.

ORATIO VENERABILIS BEDÆ de ſeptem Verbis Chriſti Domini.

Quicunque hanc Orationem flexis genibus devotè dixerit, illâ die nec Dæmonis, nec mali hominis nocumenta patietur, nec inconfeſſus morietur.

DOmine JESU Chriſte, qui ſeptem verba die ultimâ vitæ tuæ in Cruce pendens dixiſti, & vo-

Digitized by Google

voluiſti, ut ſemper illa Sanctiſſima Verba in memoria haberemus; rogo te per virtutem illorum ſeptem Verborum, ut mihi parcas, quicquid peccavi, aut commiſi in ſeptem peccatis mortalibus, aut ex illis procedentibus, ſcilicet ſuperbiâ, avaritiâ, luxuriâ, invidiâ, gulâ, irâ, acediâ. Domine ſicut tu dixiſti: *Pater ignoſce Crucifigentibus me*, fac ut amore tuo parcam ego cunctis mihi mala facientibus; Et ſicut tu dixiſti latroni: *hodie mecum eris in paradiſo*, fac me ità vivere, ut in hora mortis meæ dicas mihi, hodie mecum eris in cœlo. Et ſicut tu dixiſti Matri tuæ: *Mulier, ecce Filius tuus*, deinde dixiſti diſcipulo: *Ecce Mater tua*, fac ut Matri tuæ me ſociet amor tuus & Charitas vera. Et ſicut tu dixiſti; *Eli Eli lammaſabactani*, hoc eſt, *DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquiſti me*, fac me dicere in omni tempore tribulationis & anguſtiæ meæ, *Pater mi, Domine mi, miſerere mihi peccatori, & adjuva me, & dirige me Rex meus & DEVS meus, quia tuo proprio Sanguine redemiſti me.* Et ſicut tu dixiſti: *Sitio*, ſcilicet ſalutem animarum ſanctarum, quæ in limbo erant adventum tuum expectantes, fac ut ego ſemper ſitiam, & diligam te fontem aquæ viventis, fontem æterni luminis toto cordis deſiderio ad amandum te. Et ſicut tu dixiſti, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, fac ut in obitu meo perfectè & liberè poſſim ego tibi dicere: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum*

Digitized by Google

ritum meum, recipe me venientem ad te, quia nunc conſtituiſti mihi terminum temporalis vitæ meæ. Et ſicut tu dixiſti, *Conſummatum eſt*, quod ſignificat labores & dolores, quos pro nobis miſeris ſuſcipere veneras, jam finiri, fac ut audire merear illam dulciſſimam vocem tuam, ſcilicet: *Veni amica mea, dilecta mea, quia jam diſpoſui penurias tuas conſummari, veni ut mecum conſcendas cum Sanctis Angelis meis in regno meo epulari, jucundari, & commorari per infinita ſæcula ſæculorum,* Amen.

ORATIO AD VULNUS HUMERI.

S. Bernardus interrogavit aliquando Chriſtum, quinam major ejus dolor incognitus fuiſſet. Cui ille: Habebam grave Vulnus in humero, quo Crucem geſtabam, quod mihi cæteris pœnoſius erat. Et hoc, quia incognitum, ab hominibus non memoratur. Huic ergo honorem exhibe, & quicquid virtute ejus petiêris, præſtabo. Et omnibus, qui hoc vulnus colunt, venialia peccata remittam, & mortalium non recordabor. Ità Acta Clara-vallenſia. Sic itaque orandum:

O JESU amantiſſime, Agne DEI manſvetiſſime, ego miſer peccator ſaluto & veneror ſacratiſſimum Vulnus, quod in humero tuo, dum gravem Crucis tuæ trabem portares, perſenſiſti; ob quod, ſingularem dolorem & cruciatum præ

cæte-

cæteris Vulneribus tuis, in benedicto corpore tuo ſuſtinuiſti. Adoro te, JESU affliĉtiſſime, & ex intimo corde laudo, benedico & glorifico te, gratiáſque ago pro hoc ſacratiſſimo pœnoſiſſimóque vulnere humeri tui, humiliter deprecans, ut ob nimium illum dolorem, quem illud tibi inflixit, & propter grave onus Crucis tuæ, quod te tam dirè afflixit, miſerearis mihi peccatori, peccata mea venialia, & mortalia remittas, méque per viam Crucis tuæ ad Cœlum deducas, Amen.

Oratiunculam ſequentem Religioſus quidă dicebat, quotieſcunq; Crucifixum intuebatur vel tranſibat, & hoc medio purgatorij pœnas evaſit. ex Cæſario.

BREVIS ORATIUNCULA
dicenda in conſpectu Crucifixi.

DOmine JESU Chriſte, per illam amaritudinem, quam ſuſtinuiſti pro me in Cruce, maximè quando anima tua egreſſa eſt de corpore, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, Amen.

ORATIONES JACULATORIÆ AD
Chriſtum & Beatam Virginem.

Pro gratia pœnitentiæ in fine obtinenda.

QVicunque hos verſus quolibet die devotè dixerit, meritis Chriſti & B. Virginis, ſinè vera pœnitentia non morietur. Probatum hoc fuit in partibus Aragoniæ Anno 1290. in quodam ſæculari, qui dictam Oratiunculam ad honorem Chriſti & B.

Virginis ſingulis diebus recitare ſolebat: Accidit ut capite plecteretur, quo truncato tota anima hæſit in capite, quoadusque plenè confeſſus fuiſſet. Acceptâ abſolutione obdormivit in Domino.

Mater digna DEI, veniæ via, lúxque diei,
Sis tutela rei, dúxq; comésq; mei.
Sponſa DEI miſerere mei, lux alma diei.
Digna coli, Regina poli, me linquere noli.
Nixa DEUM, defende reum, mihi dando trophæum.
Me tibi Virgo pia, Genitrix commendo MARIA.
JESU Chriſte Fili DEI vivi, miſerere mei.
Chriſtus Rex gloriæ venit in pace.
DEUS Homo factus eſt.
DEUS propitius eſto mihi peccatori, & cuſtos animæ meæ nunc & ſemper, & ubiq; Amen.

QUINDECIM ORATIONES S. BRIgittæ de Paſſione Domini, ac de omnibus Sacratiſſimi corporis Vulneribus, à Bonifacio IX. confirmatæ.

CUm S. Brigitta diu ſcire deſideraſſet numerum Vulnerum Chriſti Domini, apparuit ei quâdam die Dominus JESUS dicens: Corporis mei vulnera erant 5475. quæ ſi veneratione aliquâ proſequi volueris, quindecim Pater & Ave dices quotidie per annum integrum, & ſic anno revoluto unumquodque vulnus venerabiliter ſalutabis; eámque docuit inſuper ad unumquodque Pater & Ave unam ex ſequenti-

tibus Orationibus recitare: adjiciens, quòd quicunq; per circulum unius anni eaſdem Orationes devotè frequentaverit, de ejus progenie quindecim animæ de Purgatorio liberabuntur, & quindecim de ejuſdem Genealogia in bono ſtatu confirmabuntur, & quindecim Peccatores adhuc in mundo exiſtentes convertentur: Et cum hoc adhuc ipſe cõſequetur gradum perfectionis, & agnitionẽ, & amaram cordis contritionem omniũ peccatorum. Præterea eidem addidit Dominus, qui has orationes compleverit, dabo ei Sanctiſſimũ Corpus meum ante obitum ejus quindecim dies, ut per hoc liberetur ab æterna eſurie: & pretioſo ſangvine potabo eum, nè ſitiat in æternum; ſignúmque victoriosiſſimæ Crucis ponam ante eum, in ſubſidium contra omnes inimicos, & ante ejus obitum veniam ad eum cum electa & dilecta Genitrice mea Virgine MARIA, ad animam ejus benignè ſuſcipiendam, & ducam eum ad æterna gaudia; & cùm ipſum illuc perduxero, propinabo illi ſingularem hauſtum de fonte & calice Deitatis meæ. Et quicunque in agone mortis poſitus, voto ſe DEO obſtrinxerit ad Orationes has diebus ſingulis per annum unum integrum recitandas, idque poſtea opere ipſo compleverit, ad vitam ejus adhuc quindecim annos addam. Et ſi aliquis triginta annis in peccatis mortalibus fuiſſet, & iſtas Orationes contritus dicere voluerit, omnia peccata ei indulgebo, eritque melior quàm antè. Et quicquid petiêrit impetrabit.

ORA-

ORATIO I.

O JESU Chriſte, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium, & omne deſiderium, ſalus & amator peccatorum, qui delicias tuas teſtatus es eſſe cum filijs hominum, propter hominem homo factus in fine temporum, memento omnis præmeditationis, & intimi mœroris, quem in corpore humano ſuſtinuiſti inſtante ſaluberrimæ paſſionis tuæ tempore præordinato. Memento triſtitiæ, & amaritudinis, quam in anima (te ipſo atteſtante) habuiſti, quando in ultima cœna Diſcipulis tuis Corpus & Sangvinem tuum tradidiſti, pedes eorum laviſti, & dulciter eos oſculando, imminentem Paſſionem prædixiſti. Memento omnis timoris, anguſtiæ & doloris, quem in tuo corpore delicato ante paſſionem Crucis tuæ pertuliſti, quando poſt trinam orationem, & ſangvineum ſudorem, à Juda diſcipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falſis teſtibus accuſabaris, à tribus judicibus injuſtè judicabaris, in electa Civitate, in Paſchali tempore, in florida corporis juventute innocenter damnabaris, veſte propria exuebaris, & veſtibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, ſpinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, & innumerabilibus alijs calumnijs lacerabaris. Da Domine

DE-

DEUS mihi, quæſo, ob memoriam harum ante Crucem tuam paſſionum, verã ante mortem meam contritionem, veram confeſſionem, dignam ſatisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remiſſionem, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

II.

O JESU, vera libertas Angelorum, paradiſus deliciarum, memento mœroris & horroris, quos ſuſtinebas, cùm omnes inimici tui, quaſi leones ferociſſimi, te circumſteterunt, & colaphizationibus, ungulationibus, cæteríſque pœnis inauditis te moleſtaverunt. Per has pœnas, & per omnia contumelioſa verba, duriſſimáque tormenta, quibus te, Domine JESU Chriſte, omnes inimici tui afflixerunt: deprecor te, ut liberes me ab omnibus inimicis meis, viſibilibus & inviſibilibus, & dones mihi ſub umbra alarum tuarum, ad perfectionem ſalutis æternæ pervenire, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

III.

O JESU, mundi fabricator, quem nulla dimenſio vero termino metitur, qui terram palmo concludis, recordare amariſſimi doloris, quem ſuſtinebas, cùm Judæi Sanctiſſimas manus tuas, ad Crucem obtuſis clavis primò affixerunt, & ad perforandum delicatiſſimos pedes tuos (cùm factis in Cruce foraminibus, corporis tui ſtatura minùs eſſet con-

conveniens) dolorem ſuper dolorem vulneribus tuis addiderunt, & ſic crudeliter te diſtraxerunt, & extenderunt in longum & latum Crucis tuæ, ut diſſolverentur compages membrorum tuorum. Deprecor te, per hujuſmodi ſacratiſſimi amariſſimiq; in Cruce doloris memoriam, des mihi timorem & amorem, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

IV.

O JESU, cœleſtis Medice, recordare langvoris, livoris & doloris, quos in alto Crucis patibulo levatus, paſſus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in ſtatu ſuo recte permanſerat, ità ut nullus dolor dolori tuo ſimilis inveniretur, quia à planta pedis uſque ad verticem capitis in te non fuit ſanitas. Et tamen omnium dolorum immemor, Patrem pro inimicis piè oraſti, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Per hanc miſericordiam, & ob memoriam illius doloris concede, ut hæc memoria paſſionis tuæ amariſſimæ, ſit omnium peccatorum meorum plena remiſſio, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

V.

O JESU, Speculum claritatis æternæ, memento illius mœroris, quem habuiſti, quando in ſpeculo ſereniſſimæ Majeſtatis tuæ conſpexiſti prædeſtinationem electorum, per merita tuæ paſſionis

ſal-

ſalvandorum, & reprobationem malorum, per ſua demerita damnandorum, & per abyſſum miſerationis tuæ, quâ nobis perditis peccatoribus, & deſperatis tunc condoluiſti, & quam latroni exhibuiſti, dicens: Hodie mecum eris in paradiſo. Rogo te, pie JESU, facias mecum miſericordiam tuàm in hora mortis meæ, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

VI.

O JESU Rex amabilis, & amice totus deſiderabilis, memento illius mœroris, quem habuiſti, quando nudus & miſerabilis in Cruce pependiſti, & omnes amici & noti tui adversùm te ſteterunt, & nullum conſolantem inveniebas, ſed ſolam dilectam Genitricem tuam, in amaritudine animæ tuæ tibi fideliſſimè adſtantem videbas, quam Diſcipulo tuo commendâſti, dicens: Ecce Mater tua. Rogo te, pie JESU, per gladium doloris, qui tunc ejus animam pertranſivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis, corporalibus, & ſpiritualibus, & des mihi conſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

VII.

O JESU, fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu in Cruce dixiſti: Sitio (ſcilicet ſalutem generis humani) accende quæſumus cordi-

um

um noſtrorum deſideria ad omne opus perfectum: & ſitim carnalis concupiſcentiæ, ac æſtum mundanæ delectationis in nobis penitus refrigera & extingve, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

VIII.

O JESU dulcedo cordium, ingénſque ſvavitas mentium; per amaritudinem aceti & fellis, quam pro nobis deguſtâſti, in hora mortis meæ, concede mihi Corpus & Sangvinem tuum dignè percipere, ad remedium, & conſolationem animæ meæ, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

IX.

O JESU, regalis virtus, jubilúſque mentis, memento anguſtiæ, & doloris, quem paſſus es, quando præ mortis amaritudine, & Judæorum inſultatione, cùm magna voce te à DEO Patre derelictum clamâſti, dicens: DEUS meus, D E U S meus, ut quid dereliquiſti me? per hanc anguſtiam, peto te, ut in anguſtijs meis non derelinquas me, Domine DEUS noſter, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

X.

O JESU, Alpha & Omega, Virtus & Vita in omni tempore, recordare, quòd à ſummo capitis, uſque ad plantam pedis, te pro nobis in aquá paſſionis tuæ demerſiſti. Propter latitudinem & longi-

longitudinem vulnerum tuorum, doce me in peccatis demerſum, per veram charitatem cuſtodire latum mandatum tuum nimis, Amen. *Pater noſter*, *Ave Maria*.

XI.

O JESU, abyſſus profundiſſima miſericordiæ, rogo te propter profunditatem Vulnerum tuorum, quæ pertranſiêrunt medullam oſſium, ac viſcerum tuorum, ut me ſubmerſum in peccatis emergas, abſcondáſque in foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ, donec pertranſeat furor tuus Domine, Amen. *Pater noſter*. *Ave Maria*.

XII.

O JESU, Veritatis Speculum, ſignum Unitatis, Charitatiſque vinculum, memento multitudinis innumerabilium vulnerum tuorum, quibus à ſummo capitis uſq; ad imum pedis vulneratus fuiſti, & ſanctiſſimo ſangvine tuo rubricatus; quam magnitudinem doloris in Virginea carne tua pertuliſti pro nobis, pie JESU. Quid ultrà debuiſti facere, & non feciſti? ſcribe, quæſo, pie JESU, omnia vulnera tua in corde meo pretioſiſſimo ſangvine tuo, ut in illis legam dolorem tuum, ac mortem, & in gratiarum actione uſque in finem jugiter perſeverem, Amen. *Pater noſter*. *Ave Maria*.

XIII.

O JESU Leo fortiſſime, Rex immortalis & invi-

victiſſime, memento doloris, quem paſſus es, cùm omnes vires cordis & corporis tui tibi penitus defecerunt, & inclinato capite: Conſummatum eſt! dixiſti. Per hanc anguſtiam & dolorem, miſerere mei in ultima conſummatione exitûs mei, cùm anima mea anxiata fuerit, & ſpiritus meus conturbatus, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

XIV.

O JESU unigenite, altiſſimi Patris ſplendor, & figura ſubſtantiæ ejus: memento obnixæ commendationis, quâ Patri ſpiritum commendâſti, dicens: In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum; & lacerato corpore, & rupto corde, cum valido clamore, patefactis viſceribus miſericordiæ tuæ pro nobis redimendis expirâſti. Per hanc pretioſiſſimam mortem, precor te, Rex Sanctorum, conforta me ad reſiſtendum diabolo, mundo, carni, & ſangvini, ut mundo mortuus, tibi vivam, & in noviſſima hora exitûs mei, ſuſcipe ad te revertentem ſpiritum meum exulem, & peregrinum, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

XV.

O JESU, vitis vera, & fœcunda, memento ſuperfluentis & abundantis effuſionis ſangvinis, quem tu ſicut de botro expreſſum copioſiſſimè effudiſti, quando in Cruce torcular ſolus calcâſti, &

lan-

lanceâ militari perfoſſo latere nobis ſangvinem & aquam propinâſti, ita, ut minima gutta in te non remaneret; & demum quaſi myrrhæ faſciculus in altum ſuſpenſus fuiſti, & delicata caro tua emarcuit, & liquor viſcerum tuorum exaruit. Per hanc amariſſimam paſſionem, & pretioſi ſangvinis effuſionem, pie JESU, precor te, ſuſcipe animam meam in agone mortis meæ, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

PERORATIO.

O Dulcis JESU, vulnera cor meum, ut pœnitentiæ & amoris lacrymæ ſint mihi panes die ac nocte. Et converte me totaliter ad te, ut cor meum perpetuò fiat tibi habitabile, & cōverſatio tibi ſit placita, & accepta, ac finis vitæ meæ ità laudabilis, ut poſt hujus vitæ terminum, merear te laudare cum omnibus Sanctis in æternum, Amen.

CONCLUSIO.

O Domine JESU Chriſte, Fili DEI vivi, ſuſcipe hanc orationem in amore illo ſuperexcellenti, in quo omnia vulnera tui ſacratiſſimi corporis ſuſtinuiſti. Miſerere mei famuli tui, & omnibus peccatoribus, cunctiſque fidelibus, tam vivis, quàm defunctis da miſericordiam, gratiam, & remiſſionem, & vitam æternam, Amen.

Digitized by Google

TRES ORATIONES AD CHRIſtum pro nobis paſſum, dicendæ à Circumſtantibus, dum æger agonizat.

PApa quidam moriturus, rogabat ſuum Sacellanum, ut dum videret illum agonizare, has tres orationes pro ipſo legeret, quod & fecit. Poſt obitum apparuit illi defunctus dicens, quòd virtute illarum orationum deleta ſint à Chriſto peccata ejus, & cum ipſo Cœlum intraverit.

ORATIO I.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Ave Maria.

DOmine JESU Chriſte, deprecor te per tuam Sanctam agoniam, atque devotiſſimam Orationem, quam in monte Oliveti orâſti, quando factus eſt ſudor tuus, ſicut guttæ ſangvinis decurrentis in terram, ut eundem ſudorem ſangvineum, quem præ timore mortis tam copiosè ſudâſti, Cœleſti Patri tuo offerre & oſtendere digneris contra multitudinem peccatorum hujus infirmi, & velis eum in hac hora obitûs ſui liberare ab omnibus anguſtijs & pœnis, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Amen.

ORATIO II.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Ave Maria.

DOmine JESU Chriſte, qui pro ſalute mundi

di in dura Cruce mori dignatus es, deprecor te, ut amaritudinem illam, quam in eadem ſuſtinuiſti, præſertim quando ſacratiſſima anima tua egreſſa eſt de benedicto corpore tuo, cœleſti Patri tuo offerre, & oſtendere digneris pro peccatrice anima hujus infirmi, eúmque in hac hora mortis ſuæ liberare ab omnibus pœnis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Amen.

ORATIO III.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Ave Maria.

DOmine JESU Chriſte, qui per Prophetam tuum dixiſti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans, tui: rogo te, ut amorem illum, qui te de cœlis ad terram ad patiendam omnem miſeriam traxit, cœleſti Patri tuo offerre & oſtendere digneris pro anima hujus infirmi: eámque liberare ab omnibus pœnis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Adſis ei, pie JESU, in hac hora mortis ſuæ, aperi ei januam vitæ, & perduc animam ejus in paradiſum exultationis, ubi te laudet per infinita ſæcula. Amen.

ALIA ORATIO, AB HOMINE ANTE mortem dicenda.

Hanc qui devoto corde recitat, certus eſſe poteſt, quòd ſinè purgatorio Cœlum ſit ingreſſurus.

OMnipotens & miſericors DEUS, ecce ego in-

dignus famulus tuus, integrâ Voluntate meâ offero & reſigno me tibi in laudem tuam æternam, ad faciendum cum corpore & anima meâ omne beneplacitum tuum, in unione amoris illius, quo Filius tuus in Cruce pendens ſe tibi obtulit. Et ex intimo corde paratus ſum, amore amoris & gloriæ tuæ, omnes dolores & cruciatus hujus meæ infirmitatis, imò & mortem ipſam, nec non & omnia mala & pœnas, quæ mihi per rigorem divinæ juſtitiæ tuæ in tempore & æternitate imponendæ forent, patienter ſuſtinere. Hinc coram te, & omnibus Sanctis fateor & proteſtor, quòd ſi penes me eſſet, adhuc mille annis in omnibus deliciis præter voluntatem tuam vivere, mallem tamen pro amorem & gloriam tuam, ſi voluntas tua eſſet, hâc horâ mori. Quare cum plena mei ipſius reſignatione, corde & ore dico, & millies repeto. Non mea, ſed tua Voluntas fiat, amantiſſime DEUS, de me, per me, & in me, in tempore & æternitate, Amen.

ORATIO JACULATORIA S. FRANCISCI XAVERIJ

Dicenda in periculis, præcipuè Maris ac fluminum.

Hac Oratione Sanctus ille naves periclitantes à ſubmerſione multoties liberavit.

O JESU Chriſte, DEUS cordis mei, per quinque illa Vulnera, quæ tibi in Cruce noſtri amor

amor inflixit, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſangvine redemiſti.

TRIA QUÆ HOMINEM RELIgioſum tametſi peccatorem non ſinunt æternùm perire.

Primum eſt, Frequens, plena, & ſyncera peccatorum confeſſio.

Secundum, Quotidiana ac devota Miſſæ celebratio.

Tertium, Pia & attenta horarum recitatio.

ORATIO POENITENTIALIS

Collecta ex SS. Patribus,

Quæ ante Confeſſionem poterit uſurpari.

DEUS tremende, fortiſſime Spiritus univerſæ carnis, qui inhabitas æternitatem. Quis ego ſum pulvis, & cinis, ut loquar tecum? Ego cadaver putridum, eſca vermium, vas fœtidum, cibus ignium; ego nullius virtutis homuncio, animal ventris, & carnis mancipium, filius iræ, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miſeria, moriturus in anguſtia. Confiteor tibi Domine omnia delicta mea, torporem & ſomnolentiam cordis mei, mala commiſſa, bona omiſſa, ſicut tu meliùs nôſti. Confiteor tibi occulta mea, quæ nôrunt oculi tui, mei autem non. Recogito tibi perditos vitæ meæ dies, & annos in amaritudine animæ meæ.

Ecce Domine in peccatis conceptus ſum, tu me abluiſti, & ſanctificâſti, & ego poſtea majoribus me ſordidavi peccatis. Tuliſti me de tabernaculis peccatorum, eripuiſti me de cœnoſo mundi gurgite, inſpirâſti, ut ſequerer te. Ego ingratus poſt Religionis ingreſſum illicita multa operor in domo tua, ubi peccata emendare debeo, peccata peccatis addo, & tepiditate meâ evomi mereor ex ore tuo. Væ miſero mihi! ecce jam morior, & JESUS non eſt mecum. Quomodo habitare potero cum igne devorante, & cum ardoribus ſempiternis? Ira Omnipotentis nè irruas ſuper me, quia nunquam capi poſſes in me; certè non eſt in toto me, quod poſſet tolerare te. Noli pijſſime Domine ſcribere adversùm me amaritudines meas, ut intres in judicium cum ſervo tuo. Si enim iniquitates noſtras obſervaveris, quis ſuſtinebit? quis eſt homo natus de muliere, qui vivat & non videat mortem, & eripiat animam ſuam de manu inferi, nisì tu ſolus eripias vitia omnis vitæ, per quem omnia vivunt? Quem, ſi pietate ſeclusâ judicaveris æquiſſime Judex, juſtum reperies? Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam! quia verò non exquiris delicta tuorum vehementer, fiducialiter ſperamus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. Nè iraſcaris, ſi cadimus pupilli tui, quoniam tu nôſti figmentum noſtrum Domine DEUS noſter. Nos enim folium

Uni-

Univerſi, & Vanitas eſt omnis homo vivens, & ventus eſt vita noſtra ſuper terram. Num DEUS inæſtimabilis fortitudinis contra folium, quod à vento rapitur, oſtendere vis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris? Num damnabis Rex Iſraël æterne canem unum? num damnabis pulicem unum? audivimus de miſericordia tua Domine, quoniam tu mortem non facis, nec lætaris in perditione morientium. Sed ſi doles de perditione, quid te prohibet optime Domine, qui omnia potes, nè ſemper læteris de noſtra ſalvatione? Abyſſus profundiſſimæ miſeriæ meæ, abyſſum invocat altiſſimæ miſericordiæ tuæ, benigniſſime DEUS, nè contineas in ira miſerationes tuas propter peccata mea, qui miſereris omnium, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum, propter pœnitentiam.

Fateor, quia peccavi, & conſcientia mea meretur damnationem, & pœnitentia non ſufficit ad ſatisfactionem, ſed certum eſt, quòd miſericordia tua ſuperat omnem offenſionem. Miſerere mei dum tempus eſt gratiæ, & miſerationis, & dum tempus eſt emendationis, da mereri gloriam benedictionis, nè in die conſummationis me feriat verbum maledictionis, cùm aperti fuerint libri conſcientiarum, cùm dicetur de me: Ecce homo & opera ejus.

Rogo te, Spes mea, per omnes pietates tuas,

Digitized by Google

ut propitieris omnibus iniquitatibus meis, non in futurum mihi reſerves mala mea, neque declines, flagito per nomen ſanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Miſerere peccatrici animæ meæ, noli attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum; propitiare filio tuo, quem in dolore non modico peperiſti. Conſerva me opus tuæ pietatis, nè in caſſum circa ipſum laboraveris, ac nè infructuoſa ſit pro me pretioſi cruoris tui effuſio. Quæ utilitas tibi in ſangvine meo, ſi deſcendero in corruptionem? da contritionem cordi meo, præſta oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam lacrymando diem furoris tui, antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebroſam gemitus & doloris ſempiterni.

Spero JESU amantiſſime, per antiquas miſericordias tuas, per mitiſſimum cor tuum, benigne mecum fieri in conſpectu tuo. Ex me quidem nihil habeo, niſi peccatum, confuſionem, & mortem; ſi tamen in judicium intras cum ſervo tuo, profero tibi merita, & ſatisfactiones corporis tui; meritum paſſionis tuæ, meritum Crucis tuæ, meritum mortis tuæ; ſecundum hæc abs te judicari poſtulo, hæc inter me & judicium tuum interpono.

Caro tua ſumus, Judex amantiſſime, ſangvis tuus ſumus, membra tua ſumus, carnem tuam Domine nè deſpexeris, carnem tuam odio nè habueris,

car-

carnem tuam ne condemnaveris. Si vis, potes me ſalvare, ego autem, etſi vellem, non poſſem. Expectas tu O bone Domine correctionem; expectat anima mea ad pœnitendum, & bene vivendum, gratiæ tuæ inſpirationem; ſcio enim, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut dirigat greſſus ſuos. Quid boni operis poſſum, nisì ex te? Quid non ſperem à te? Si quid boni unquam habui, à te recepi, quidquid boni habeo, tuum eſt, & à te habeo. Si quando ſteti, per te ſteti; ſi quando cecidi, per me cecidi, & ſemper in luto jacuiſſem, nisì tu me erexiſſes; ſemper cæcus fuiſſem, nisì tu me illuminâſſes; quando cecidi, nunquam ſurrexiſſem, nisi tu mihi manum porrexiſſes; poſtquam me etiam erexiſti, ſemper cecidiſſem, nisì tu me ſuſtinuiſſes; ſæpiùs periſſem, nisì me gubernâſſes. Nisì quia bonitas tua clementiſſime Domine adjuvit me, pridem habitâſſet in inferno infelix anima mea. Miſericordias tuas in æternum cantabo. Sed quid pro ijs tibi retribuam? Impoſſibile eſt, ut revocem perditos vitæ meæ dies, & ſteriles Religionis meæ annos; ſuſcipe tamen pro his de miſera vita mea reſiduum annorum meorum.

Largire mihi gratiam ſobriè, juſtè, & piè deinceps vivendi in hoc ſæculo; fac ut reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. Compleat & firmet tua potentiſſima Divinitas, quod conatur mea tepidiſſima imbecillitas. Tibi ſoli vivo, tibi

ſpi-

ſpiro, tu vita mea, tu finis intentionis meæ, non me confundas ab expectatione mea.

ALIA BREVIOR ORATIO
Ante Confeſſionem dicenda.

O JESU DEUS cordis mei, infinitè miſericors & longanimis, infinitè ſuavis & amabilis, qui cum Patre & Spiritu Sancto, multiplicas ſuper me inæſtimabiles divitias miſericordiæ, longanimitatis & Charitatis tuæ; qui hucuſque me ingratum toties cum Petro reſpexiſti, cum Magdalena in viam ſalutis reduxiſti, & in ſangvine tuo animam meam dealbâſti: toties me prodigum filium in oſculum pacis recepiſti, & infidelem licèt famulum, ad intimam familiaritatem invitâſti: Amplector, veneror & adoro viſcera tantæ tuæ miſericordiæ erga me, atque omnium Creaturarum affectu tibi gratias ago pro ineffabili iſto æternæ tuæ dilectionis exceſſu, quo mihi in tot defectus quotidie labenti, ſpatium & gratiam reſipiſcendi, ſpem veniæ, fiduciam perſeverandi, & gloriam conſequendi tribuiſti. Utinam, O DEUS meus, te infinito amore & honore digniſſimum ſemper amâſſem & glorificâſſem! Utinam te nunquam offendiſſem, nec offenderem poſthac in æternum! Sed O Bonitas infinita, quid tibi retribui pro omnibus bonis, quæ retribuiſti mihi, præter innumeras meas offenſiones,

ingra-

ingratitudines & negligentias? Dóleo de his & de omnibus ac ſingulis vitæ meæ peccatis ex animo, purè propter te DEUM meum infinitè amabilem, quia tibi, quem diligo, æternúmque diligam, ſuper omnia diſplicent. Ea propono firmiter ardentérque per gratiam tuam emendare & compenſare. In ſatisfactionem, offero tibi merita omnia, labores ac dolores, ipſúmque ſangvinem Domini mei JESU Chriſti, merita B. Virginis & Sanctorum omnium, méque ac vitam meam cum univerſis meis actionibus, quas cupio dirigere ad gloriam nominis tui, tibi devoveo.

BREVIS ACTUS CONTRITIONIS.

O JESU ex amore tui doleo, quòd offenderim te, quem ſuper omnia diligo. Cupio omnia mea peccata emendare, tibíque pro ijs ſatisfacere per auxilium gratiæ tuæ, Amen.

ORATIO DEVOTA CONTINENS varios affectus divini amoris, ex SS. Patribus, præſertim S. Auguſtino & S. Bernardo collectos.

SAlve O amantiſſime ac dulciſſime JESU, omne bonum meum, ſolatium meum, & ſpes unica in hoc lacrymoſo mundi exilio, DEUS meus. Confiteor tibi benigniſſime Domine, miſericordia mea, DE-

Digitized by Google

DEUS meus; qui feciſti me, & oblitum tui non oblitus es. Confiteor tibi beneficia tua magna, quoniam eripuiſti me de inferno inferiori, ſemel, & ſecũdò, & tertiò, & centies & millies, & ego ſemper ad infernum tendebam, & tu me ſemper reducebas, & juſtè millies damnâſſes me, ſi voluiſſes; noluiſti, quia amas animas, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, Domine DEUS meus, multæ miſericordiæ in omnibus vijs tuis. Serò te amavi O Bonitas antiqua; ſerò te amavi; Væ tempori illi quando non amavi te! uſquequo nunc etiam O Domine mi JESU Chriſte, O amor ſemper ardens & nunquam deficiens, uſquequo frigidus maneo? quouſque meam tepiditatem toleras? Si jubes te toto corde amari, da quod jubes; & diligam te omnibus viribus & medullis animæ meæ. O anima mea, dilige illum, à quo tam vehementer dilecta es; intende illi, qui intendit tibi; quære quærentem te, ama amatorem tui; cujus amore præventa es, qui eduxit te de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Elige illum amicum tuum, præ omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia ſubtracta fuerint, ſolus tibi fidem ſervabit, in die exitûs tui, cùm omnes amici ſeparabuntur à te, ille te non derelinquet, ſed tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam, & conducet te per ignotam Regionem, atque perducet ad plateas ſupernæ Sion. Diligam te igitur Domine, virtus & ſalus mea, diligam te ineffabilis exultatio

mea,

Digitized by Google

mea, & vivat jam non mihi, ſed tibi tota vita mea; nullum ſit momentum, quo te non habeam ante oculos in memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. Amo te DEUS meus, Conſolator meus; amo te ſpes, ſalus & redemptio mea. Renuit conſolari anima mea, niſi in te dulcedo mea. Quid enim mihi eſt in Cælo, & à te quid volui ſuper terrā? Da mihi ſpecioſe præ filijs hominum, ut inceſſanter deſiderem te & amem, quantùm volo & quantùm debeo. Toto corde diligam te, ut nullus pateat in me locus adulterinis creaturarum amoribus. Non permittas me in aliqua conſolatione vana conſolari, ſed peto, ut omnia mihi amareſcant, ut tu ſolus dulcis appareas animæ meæ; qui es dulcedo inæſtimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Vileſcant obſecro abſque te mihi omnia, ſordeſcant univerſa; quod tibi adverſum eſt, ſit mihi moleſtum, & tuum beneplacitum, indeficiens mihi ſit deſiderium. Tu eſto delectatio mea, tu gaudium meum, qui es futurus præmium. Da ut etiam hoc in exilio prægûſtem aliquatenus dulcedinem tuam, ſapor ſpirituum jucundiſſime, ſvavitas animæ ad te ſuſpirantis. In te confido chariſſimorum omnium Chariſſime, in te ſpero, quibus poſſum deſiderijs ad te ſuſpiro. Adjuva imperfectum meum, conforta me, ut jugum mandatorum tuorum mihi fiat ſvave, & Crucis tuæ

onus

onus leve. Fac me imitari veſtigia ſacroſanctæ vitæ & paſſionis tuæ. Vulnera cor meum jugi recordatione amoris tui, ut aliud neſciam, quàm te Dominum DEUM meum, pro me crucifixum.

Heu nos miſeros & infelices, qui adhuc in pelagi fluctibus verſamur, anhelantes ad te portum maris, O Patria noſtra, Sion dilecta, in qua videtur tam ſvavis Dominus. O Patria dulcis, Patria ſecura, à longè te videmus, ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lacrymis, ſi quo modo ad te perveniamus. Spes & amator humani generis Chriſte, guberna navem noſtram, pertrahe nos ad te unicum noſtrum, quem à longè quaſi ſtellam matutinam, lacrymantibus oculis, in littore cœleſtis Patriæ nos expectantem videmus. O domus luminoſa & ſpecioſa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini mei, fabricatoris & poſſeſſoris tui, tibi ſuſpiret peregrinatio mea. O anima mea, labora ardenter, deſidera vehementer, ut poſſis pervenire in illam ſupernam Civitatem, de qua tam glorioſa dicta ſunt. Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut JESUM, dulcedinem noſtram in Regno ſuo videre poſſemus, & Sanctis ejus ſociari, nónne dignum eſſet pati omne quod triſte eſt? quæ enim erit juſtorum gloria? quàm grandis Sanctorum lætitia? deficiat igitur in dolore vita mea, & anni

mei

mei in gemitibus; ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, modò requieſcam in die tribulationis,& aſcendam ad populum accinctum noſtrum. O quando tandem id fiet, JESU mi dulciſſime, ſuper mille vitas dilecte? quando te videbo? quando ſatiabor pulchritudine tuâ? quando tandem venies, ut educas me de carcere tenebroſo? quandò tranſibo in illam pulcherrimam & admirabilem domum tuam? quando videbo te in terra viventium, ſublatus ex hac terra morientium? Educ de capite meo aquam immenſam, & de oculis meis fontem lacrymarum, jugiter manantem ex nimio affectu ac deſiderio viſionis pulchritudinis tuæ, ut lugeam die ac nocte, nullam in præſenti vita recipiens conſolationem, donec te merear videre Dominum ac DEUM meum, qui meas abſterges lacrymas, qui eris merces mea magna nimis. Sed O Bonitas infinita! nos lutum & vermiculi non valemus in tuas æternitates intrare, niſì tu induxeris, qui de nihilo cuncta creâſti; qui ſolus gratiam das & gloriam, eóſque ſolos de perditionis maſſa liberas, quorum miſereris. Age tu pro nobis, Genitrix dulciſſima Domini noſtri intercede, omnéſque Cœlorum Cives ac Patroni noſtri, qui jam tranſîſtis hujus mortalitatis pelagus,& pervenire meruiſtis ad portum quietis perpetuæ. Obſecro vos, per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis. Per ipſum vos

rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis, eſtote jugiter memores noſtrî; ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo hujus vitæ, circùm frementibus agitamur procellis. Audi Domine JESU Patronorum meorum pro anima mea ſupplicantium voces, auribus percipe gemitus cordis mei. Ad te ſuſpiro requies mea, Heſpere millies deſideratiſſime; tui memoria relevat mihi grave pondus diei & æſtûs, nunquam tibi ſilet pupilla oculi mei. Dic morti ſorori meæ, ut præcidat velociter funiculum vitæ meæ, & vadam poſt te, tibíque in ſempiternum adhæream, qui ad hoc vivo, ad hoc mori volo, ut magnificem & collaudem miſericordias & pietates tuas. O bonitas infinita!

PRAXIS
Ad Miſſam ſe præparandi.

Primò *determinet Sacerdos quale Sacrum velit legere.*

Secundò *In cujus honorem.*

Tertiò *pro quali beneficio velit per Miſſæ Sacrificium DEO ſpecialiter gratias agere.*

Quartò *quale beneficium ſibi velit ſpecialiter à DEO impetrare.*

Quintò *pro quibus peccatis ſatisfacere.*

Sextò

Sextò *Cui vel quibus vivis* } *Sacrificij fructũ*
Septimò *Cui vel quibus defunctis* } *velit applicare.*
Quibus alios ſubſtituere meminerit.

Octavò *determinet, quot & quales Collectas velit in Miſſa dicere.*

Nonò *vacet aliquantùm piæ meditationi, animíque fervorem ac devotionem pro Sacrificio dignè celebrando excitet.*

Decimò *recitet antiphonam:* Nè reminiſcaris, *cum pſalmis:* Quàm dilecta; *& Orationibus pro acceſſu præſcriptis.* Requiem *verò dicturus loco priorum quatuor pſalmorum recitet minorem Commendationem.*

Tandem ſi tempus vacaverit, flexis in Eccleſia vel Sacriſtia genibus, ante manuum lotionem dicere poterit orationem ſequentem.

ORATIO ANTE MISSAM.

DEUS tremende, Rex Cœli & terræ, qui Dominus es vitæ ac mortis, ſuſcipe Sacrificium, quod pulvis humanus tibi Creatori ſuo offerre intendit, in recognitionem, cultum & adorationem ſupremæ Majeſtatis tuæ. Reſpice de cœlo Pater æterne, hoſtiam pretioſiſſimam dilectiſſimi Filij tui, quem pro ſervo redimendo tradidiſti, corpus & ſangvinem. Sanctifica me peccatorem Sanctiſſime Spiritus, ut tantum Sacrificium vilis ho-

Digitized by Google

homuncio dignè peragere valeam. Et tu Verbum Caro factum JESU Chriſte, qui noſtros miſeratus langvores, cruentum Patri ſacrificium in ara crucis Te ipſum pro maſſa hominum perdita obtuliſti, & in memoriam mirabilium tuorum, ac imprimis amariſſimæ Paſſionis tuæ commemorationem, eundem te à nobis incruentè offerri inſtituiſti, ſuſcipe ab Eccleſia tua Sancta, quam pretioſo ſangvine tibi deſponsâſti, & me indigniſſimo peccatore gratias pro tanto in nos amoris tui exceſſu, pro inæſtimabilis dignatione Charitatis, & viſceribus miſericordiæ tuæ in nos largiſſimè profuſis. Dignifica me peccatorem miniſtrum tuum, ut te hoſtiam ſanctiſſimam, ac terribile Sacramentum, dignè tractare ac ſumere valeam, in profectum & ſalutem animæ meæ, in augmentum gratiæ, & arrham præmij vitæ æternæ. Vivat ſemper in corde meo amariſſimæ Paſſionis tuæ memoria, nec unquam fructus ejus in me extingvatur. Amen.

ORATIONES

Ad Beatam Virginem, alioſque Sanctos.

QVâdam vice rogavit B. Mechtildis Virginem Deiparam, ut ſibi in hora mortis aſſiſteret. Cui illa: De hoc certa ſis, ſi mihi quotidie trinam ſalutationem modo quo ſequitur perſolveris.

TRIA

TRIA AVE MARIA PRO FELICI morte.

AVe Maria, &c. uſque ad illa verba : *Sancta Maria Mater DEI*, ſicut DEUS Pater ſecundùm magnificentiam omnipotentiæ ſuæ te ſuper omnes Creaturas exaltavit, atque potentiſſimam effecit; ità mihi quæſò adſis in hora mortis meæ, expellendo à me omnem contrariam poteſtatem. Amen.

2. *Ave Maria, &c. Sancta Maria Mater DEI*, ſicut Filius DEI, ſecundùm excellentiam inſcrutabilis Sapientiæ ſuæ, tantâ te cognitione & claritate replevit, ut præ omnibus Sanctis majorem SS. Trinitatis cognitionem habeas; ità in hora mortis meæ, animam meā cognitione fidei ſic illuſtres, ne ullo errore aut ignorantiâ pervertatur. Amen.

3. *Ave Maria, &c. Sancta Maria Mater DEI*, ſicut Spiritus Sanctus dulcedinem amoris ſui ità plenè tibi infudit, ut poſt DEUM dulciſſima & benigniſſima ſis; ità in hora mortis dulcedinem divini amoris mihi infundas, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſuaviſſima. Amen.

ALIA BREVIS ORATIO B. VIRGINI acceptiſſima.

C*Onſpicuam ſe aliquando præbuit S. Gertrudi Beatiſſima Virgo, in forma candidiſſimi lilij, ante*

te conſpectum Sanctiſſimæ Trinitatis; promiſitque ſe illi ope ſuâ ſingulari in morte adfuturam, qui eam hoc modo quotidie ſalutaverit.

AVe candidum Lilium, fulgidæ ſemperque tranquillæ Trinitatis; Roſaque præfulgida cœlicæ amœnitatis; de qua naſci, & de cujus lacte paſci Rex Cœlorum voluit. Divinis influxionibus animas noſtras paſce.

SALVE REGINA.

IVxta revelationem cœlitus factam eidem S. Gertrudi, non mediocre ſolatium percepturus eſt in extrema vitæ hora, qui Beatam Virginem quotidie ſalutaverit per illa verba : Eja ergo, Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. *Dum igitur oras vel cantas,* Salve Regina, *ſpecialem ſemper illis verbis adhibe devotionem.*

O GLORIOSA DOMINA.

HYmnus iſte Virgini Deiparæ pariter eſt gratiſſimus, cui proinde S. Antonius mirè addictus erat, eum ſæpe recitando. Quâ devotione conſecutus eſt, ut plurimas Satanæ tentationes ſuperaverit, eique Beata Virgo in extremis ſe conſpicuam exhibuerit.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO AD B. VIRGINEM pro felici morte obtinenda.

QVicunque hanc Orationem quotidie dixerit, ſinè pœnitentia & myſterio Corporis Chriſti non decedet; ſic fertur revelatum S. Bernardo, cui ab Angelo data fuit.

Ave Maria Ancilla Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ave Maria prælecta Filia DEI Patris.

Ave Maria Sponſa Spiritûs Sancti.

Ave Maria Mater Domini noſtri JESU Chriſti.

Ave Maria Soror Angelorum.

Ave Maria promiſſio Prophetarum.

Ave Maria Regina Patriarcharum.

Ave Maria Magiſtra Evangeliſtarum.

Ave Maria Doctrix Apoſtolorum.

Ave Maria Confortatrix Martyrum.

Ave Maria fons & plenitudo Confeſſorum.

Ave Maria decus & corona Virginum.

Ave Maria ſalus & Conſolatrix vivorum & mortuorum, mecum ſis in omnibus tentationibus, neceſſitatibus, anguſtijs, infirmitatibus meis, & maximè in hora mortis meæ nè deſis mihi, & impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam, & cœleſtis Patriæ gloriam. Amen.

Litanias de B. Virgine, pro felici morte conſequenda, quotidie recitandi, communis eſt fidelium praxis.

Digitized by Google

ORATIO AD B. VIRGINEM DE Vita Chriſti Domini, pro quacunque re impetranda.

QVi triginta diebus devotè illam dixerit in honorem Sanctiſſimæ Paſſionis Chriſti Domini, & in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris ejus, quæcunque licitè petiêrit, miſericorditer obtinebit.

SAncta Maria, perpetua Virgo Virginum, Mater miſericordiæ, Mater gratiæ, ſpes omnium deſolatorum, conſolatrix omnium deſperantium, Per illum gladium doloris, qui tuam pertranſivit animam, dum Virgineus Filius tuus Dominus noſter JESUS Chriſtus ſupplicium mortis pateretur in Cruce, & per illum filialem affectum, quo ipſe materno dolori compaſſus, integerrimæ dilectionis ſuæ Vicario Sancto Joanni providendam commendavit, compatere, condole, conſule quæſo anxietati, adverſitati, infirmitati, paupertati, ſolicitudini, & qualicunque neceſſitati meæ. O miſeratrix miſerorum, dulcis conſolatio afflictorum, ac Mater miſericordiarum, deſolatorum pijſſima conſolatrix. Exaudi ergo preces meas, & orbitatis meæ & miſeriæ lacrymas: & quia in diverſis malis & anguſtijs propter peccata mea poſitus ſum, ignoro ad quem fugiam, niſi ad te Dominam meam dulciſſimam Virginem Mariam, Genitricem Domini noſtri JESU Chriſti, conformem, ac conſi-

mi-

milem, ac reformatricem humanitatis noſtræ. Ergo aures tuæ pietatis, ſive conſvetæ miſericordiæ tuæ, precibus meis benignè accommoda. Per viſcera miſericordiſſimi Filij tui, per dulcedinem quam tunc habuit, quando humanum genus amplexatus eſt, ut deliberaret unà cum Patre & Spiritu Sancto carnem pro noſtra ſalute aſſumere fragilem, & Angelo annuntiante, & Spiritu Sancto obumbrante, de te pijſſima Virgo MARIA Incarnatus eſt, & novem menſibus in tuo Sanctiſſimo utero clauſus, DEUS & Homo geſtatus eſt, ac decurſis novem menſibus, Spiritu Sancto cooperante, glorioſam aulam tui Virginalis uteri egrediens, non aſpernatus eſt viſitare mundum. Per anguſtiam, quam idem Filius tuus Dominus noſter JESUS Chriſtus habuit, quando in monte Oliveti Patrem invocavit, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo calix Paſſionis ſuæ. Per trinam orationem ejus, per triſtem quoque inceſſum tuum, quo ſecuta es eum cum lacrymis ad crudele ſpectaculum Paſſionis & mortis ejus. Per probra, ſputa, colaphos, irriſiones, falſas accuſationes & judicia injuſta. Per veſtem ſorte & ludo acquiſitam, per vincula & flagella ejus, per trinas lacrymas ejus, per guttas ſangvinei ſudoris ejus, per patientiam & taciturnitatem ejus, per pavorem ac tædium, & mœſtitiam cordis ejus. Per verecundiam, quam habuit, quando denudatus eſt in Cruce, & coram te pijſſi-

ma Virgo MARIA, omníque populo pependit. Per regale caput ejus arundine conquaſſatum. Per ſpineam coronam ejus, per ſitim & guſtum aceti cum felle mixti, per lanceam infixam ſacratiſſimo lateri ejus, per ſangvinem & aquam, quæ de ſacratiſſimo latere ejus profluxerunt, & miſericordiam & gratiam ſuper nos abundanter effuderunt, per clavos infixos manibus pedibúſque ejus; per commendationem ejus, quâ Patri ſuam pretioſam animam commendavit, per dulciſſimum ſpiritum ejus, quem cum clamore valido clamando Eli Eli lammaſabactani, & inclinato capite emiſit dicens: Conſummatum eſt. Per ſciſſuram veli in templo & petræ, per obſcurationem Solis & Lunæ, per tremorem terræ, per miſericordiam ejus factam in latrone, per Crucem & Paſſionem ejus, per deſcenſionem ejus ad inferos, per omnes animas, quas adventu viſitationis ejus lætificavit, per gaudium & victoriam & gloriam Reſurrectionis ejus, per apparitionem ejus, quâ per quadraginta dies poſt Reſurrectionem tibi præelecta Virgo MARIA, & Apoſtolis, cæteríſque electis apparuit, per glorioſam Aſcenſionem ejus, quâ te Virgine glorioſâ, & ipſis cernentibus eſt in Cœlum elevatus. Per gratiam Spiritûs Sancti Paracliti, quam diſcipulorum cordibus in lingvis igneis infudit, & per eos in toto orbe terrarum, longè latéque diffudit; per tremendum diem judicij, quo tempore venturus eſt judi-

care

care vivos & mortuos, & ſæculum per ignem; per omnem Paſſionem ejus tecum in hoc mundo doloris participantis, per ſvavitatem oſculorum ejus, per ineffabile gaudium, quo aſſumpta es in conſpectu ejuſdem Filij, ubi gaudes & exultas ſinè fine. Lætifica cor meum, & exaudi me in hac petitione mea, pro qua te ſuppliciter exoro & devotè (*hìc pete quod vis.*) Et ſicut certus ſum, quòd ille nihil tibi negans te honorat, ità ſentiam faciliùs, pleniùs, celeriùs, & efficaciùs tuum ſanctiſſimum juvamen, & ſolamen, & medicinam (ſecundùm ſvavitatem miſericordiſſimi cordis tui, & ſecundùm dulciſſimam Filij tui clementiam & beneficentiam, qui facit voluntatem timentium ſe, & delectantium in ſe, & tribuit petitionem cordis eorum) propter neceſſitatem meam in his, & in omnibus rebus, pro quibus ſanctiſſimum ſupplex invoco nomen tuum, & adjuvamen tuum. Rogo præterea ut obtineas mihi apud DEUM dulciſſimum Filium tuum, in fide Catholica ſpem firmam, charitatémque perfectam, veram cordis contritionem, fontem lacrymarum, ſinceram confeſſionem, dignam ac ſanctiſſimam ſatisfactionem, diligentémque cuſtodiam à peccatis, contemptum mundi, dilectionem DEI & proximi, flagella dilectiſſimi Filij tui in corpore meo immundiſſimo, veram patientiam ad omnia ea, quæ pro amore Filij tui ſunt ſuſtinenda, etiam mortem turpiſſimam, ſi oportuerit; executionem

vo-

votorum, perſeverantiam in bonis operibus, mortificationem propriæ voluntatis, converſationem ſibi placentem, felicem obitum, & in extrema hora vitæ meæ pœnitentiam vehementem, boníque ſensûs integritatem cum loquela: & animabus parentum meorum, fratrum, ſororum, & omnium benefactorum meorum vivorum & mortuorum vitam ſempiternam, Amen.

ALIA ORATIO AD B. VIRGINEM

& S. JOSEPHUM pro quacunque re impetranda.

SAncta MARIA DEI Genitrix Virgo, conſolatrix afflictorum, ſalus infirmorum, refugium peccatorum, cum Joſepho Sponſo tuo dilectiſſimo, & Filij tui Nutritio amantiſſimo, ne derelinquas nos in hac afflictione vel petitione. Eſto nobis in hac caligine amara, ſtella lucis fulgida, Amen.

Aſſeruit S. Thereſia, ut habetur in ejus vita, ſe nunquam aliquid à DEO per interceſſionem B. Virginis & S. Joſeph petiiſſe, quin illud obtinuerit.

PRAXIS VALDE UTILIS SANCTOrum merita ſibi applicandi.

B. *Gertrudis habebat in more, ut dum Sanctum aliquem colere vellet, ageret DEO gratias pro beneficijs ipſi collatis, recitando aliquoties Pſalmum:* Laudatè Dominum omnes gentes. *Intellexit poſtea,*

ſtea, quòd quandocunque aliquis gratias agit DEO pro Sancto aliquo, Dominus de merito Sancti illius auget gratiam in anima ejus, qui prò eo gratias perſolvit. l. 4. c. 56. Et cùm aliquando aliquas perſonas meritis B. Bernardi videret decoratas, multùm admirabatur; cùm illæ ſimilia opera non feciſſent. Cui B. Bernardus: Quid, inquit, minùs habet pulchritudinis puella, quæ decoratur ornamentis alienis, quàm illa, quæ ornatur proprijs? Sic virtutes Sanctorum, devotione fidelium (quando pro his DEUM laudant) à Sanctis obtentæ, tanto ad eos diriguntur affectu, quòd illi æternaliter de illis gaudebunt. Hoc igitur & tu obſerva, & quotieſcunque in divino Officio dicis Gloria Patri, *toties caput inclina cum intentione DEO agendi gratias, pro gratijs illi Sancto, cujus feſtum agitur, collatis.*

ORATIONES QUÆDAM AD ALIOS Sanctos.

S. *Barbaræ patrocinium ad obtinendam felicem mortem, & non diſcedendum ex hac vita ſinè congrua pœnitentia, ſacráque Synaxi, plurimùm valere, teſtantur plures hiſtoriæ. Duas hic Orationes ſubijciam, quarum efficacia ſequentibus comprobata eſt experimentis.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

Ad S. Barbaram pro felici morte, nec diſcedendum ex hac vita ſinè ſacra ſynaxi.

O Sanctiſſima Virgo Barbara, quodcunq; Sponſi tui viribus potes, mihi hoc temporis articulo obſecro ut ſuppedites. Adjuva me miſerum hic in peccatis morientem; effectum jam habeat tuâ intereceſſione primitus à Chriſto tibi facta promiſſio, cùm fidem ejus tuo ſangvine conſecrares; redeat in memoriam Sponſo tuo Virgineus collo tuo exuberans ſangvis; recordetur ardentiſſimæ tuæ Charitatis; nec animam meam à corpore meo exire permittat, niſi Confeſſione expiatam, & Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento refectam, Amen.

Hanc Orationem quotidie oravit Henricus Kock, qui vice quâdam exorto noctu incendio, cùm effugere non poſſet, ad oſſa uſque exuſtus eſt; adhuc tamen vita ſuperſtes manſit, donec confeſſus, & ſacro viatico refectus fuit. Surius in vita S. Barbaræ.

ALIA ORATIO AD S. BARBARAM, pro vera pœnitentia, & ſacra Communione ante mortem obtinenda.

DOmine DEUS omnipotens, rogo te, ut interceſſio Sanctiſſimæ Barbaræ Virginis & Martyris tuæ, ſemper ſit mihi auxilio, ne ſubitaneè moriar, ſed ante diem mortis meæ Sacramentis ſa-

luta-

lutaribus muniat, & ab omnibus inimicis, viſibilibus & inviſibilibus protegat, atque à malignis ſpiritibus defendat, & ad gratiam vitæ æternæ perducat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

HAnc Orationem quotidie dicebat, & per illam Divæ Barbaræ patrocinio ſe commendabat inſignis quidam viarum prædo & latro. Accidit ut caperetur, & juxta Pragam ſub albo Monte ageretur in palum: hic noctu, Angelorum, ut creditur, miniſterio fractus fuit, Latrone adhuc ſuperſtite, qui cum pali fragmento ſe proripiens ad fimetum quoddam in Poborzeletz reptando pervenit, ibique jam quaſi expirans pro Confeſſario rogavit, cui cùm peccata ſua confeſſus fuiſſet, ac Sacram Euchariſtiam ſumpſiſſet, interrogatus quo pacto tam diu viveret? reſpondit: hanc gratiam interceſſione S. Barbaræ ſe conſecutum, cui in dies prædictâ Oratione ſe commendabat. His dictis animam efflavit.

B. Gertrudi promiſit Chriſtus: Quicunque ſe tuis Orationibus fiduciam habens commendaverit, per gratiam meam ſalvus erit. l. 1. Rev. c. 15. Item certificavit eam Chriſtus, quòd quicunque Eam coleret, non exiturus eſſet de hoc ſæculo, antequam converſatio ipſius DEO placeat. l. 2. c. 20. & 23.

ORATIO EFFICACISSIMA AD B. Gertrudem.

LAudo & ſaluto te, beatiſſima Virgo Gertrudis,

dis, per dulciſſimum cor Sponſi tui JESU Chriſti, & per idipſum collaudo immenſam bonitatem & dignationem ſemper venerandæ Trinitatis, pro omni gratia, quæ ex ipſius ſupereffluentia abyſſali unquam defluxit in ſalutem tuam; ſupplicans per mutuum divini, & Virginei cordis tui amorem, ut in vita & morte me tibi commendatum habeas, & fideliſſima mea apud DEUM advocata exiſtas, Am.

S. *Maria Magdalena S. Mechtildi quadam vice comparens dixit: Omnis qui DEO gratias agit pro lacrymis, quas ad Domini JESV pedes fudi, & pro opere quod exercui, cùm pedes ejus ſanctiſſimos manibus ablui, crinibúſque terſi, & pro amore quem tunc animæ & cordi meo infudit, & totam me replevit; ſimúlq; orat, ut lacrymas veræ pœnitentiæ obtineat, & divinum amorem accipiat cordi ſuo infuſum: Ipſi meritis meis benigniſſimus Dominus effectum petitionis ſuæ veraciter dabit, ità ut ante mortem ei peccata ſua dimittat, eiq; in DEI amore profectum largiatur. Hæc itaque uſurpari poterit Oratio.*

Gratias tibi ago liberaliſſime miſericordiarum Pater, pro lacrymis, quas è corde & oculis S. Magdalenæ amoris tui vi elicuiſti, quas illa ad pedes Chriſti tui fudit; gratias tibi ago pro amore, quo illa Ejuſdem pedes lavit, crinibus terſit, quem tunc animæ & cordi illius infudiſti, & illam totam replevisti. Rogo te per omnem illam miſericordiam

tuam,

tuam, per JESUM, per Magdalenæ amorem ac lacrymas, ut des cordi meo veræ pœnitentiæ lacrymas, & amorem infundas frigido huic pectori, te deinceps uſque ad mortem ſemper ampliùs atque perfectiùs amare optanti, Amen.

LITANIÆ DE S. NORBERTO,

Ab omnibus Præmonſtratenſibus, præſertim verò Strahovienſis Eccleſiæ profeſſis quotidie dicendæ.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis DEUS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Ordinis Candidi Domina, ora pro nobis.
Singularis D. NORBERTI amatrix, ora pro nobis.
Sancte Pater NORBERTE, ora pro nobis.
Matri divinitus prænuntiate,
Mirabiliter à DEO converſe,
Speculum veræ pœnitentiæ,
Calcator ſæcularis pompæ,
Contemptor mundi,
} Ora pro nobis

dis,per dulciſſimum cor Sponſi tui JESU Chriſti, & per idipſum collaudo immenſam bonitatem & dignationem ſemper venerandæ Trinitatis, pro omni gratia, quæ ex ipſius ſupereffluentia abyſſali unquam defluxit in ſalutem tuam; ſupplicans per mutuum divini, & Virginei cordis tui amorem, ut in vita & morte me tibi commendatum habeas, & fideliſſima mea apud DEUM advocata exiſtas, Am.

S. Maria Magdalena S. Mechtildi quadam vice comparens dixit: Omnis qui DEO gratias agit pro lacrymis, quas ad Domini JESU pedes fudi, & pro opere quod exercui, cùm pedes ejus ſanctiſſimos manibus ablui, crinibúsque terſi, & pro amore quem tunc animæ & cordi meo infudit, & totam me replevit; ſimúlq; orat, ut lacrymas veræ pœnitentiæ obtineat, & divinum amorem accipiat cordi ſuo infuſum: Ipſi meritis meis benigniſſimus Dominus effectum petitionis ſuæ veraciter dabit, ità ut ante mortem ei peccata ſua dimittat, eiq; in DEI amore profectum largiatur. Hæc itaque uſurpari poterit Oratio.

Gratias tibi ago liberaliſſime miſericordiarum Pater, pro lacrymis, quas è corde & oculis S. Magdalenæ amoris tui vi elicuiſti, quas illa ad pedes Chriſti tui fudit; gratias tibi ago pro amore, quo illa Ejuſdem pedes lavit, crinibus terſit, quem tunc animæ & cordi illius infudiſti, & illam totam replevisti. Rogo te per omnem illam miſericordiam

tuam,

tuam, per JESUM, per Magdalenæ amorem ac lacrymas, ut des cordi meo veræ pœnitentiæ lacrymas, & amorem infundas frigido huic pectori, te deinceps uſque ad mortem ſemper ampliùs atque perfectiùs amare optanti, Amen.

LITANIÆ DE S. NORBERTO,

Ab omnibus Præmonſtratenſibus, præſertim verò Strahovienſis Eccleſiæ profeſſis quotidie dicendæ.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis DEUS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Ordinis Candidi Domina, ora pro nobis.
Singularis D. NORBERTI amatrix, ora pro nobis.
Sancte Pater NORBERTE, ora pro nobis.

Matri divinitus prænuntiate,
Mirabiliter à DEO converſe,
Speculum veræ pœnitentiæ,
Calcator ſæcularis pompæ,
Contemptor mundi,

} Ora pro nobis.

Paſſionum & affectuum domitor,
Tentationum victor,
Dæmonum terror & profligator,
Pacis & concordiæ conciliator,
Mortificationis cultor,
Crucis amator,
Norma abſtinentiæ,
Jejunij obſervator acerrime,
Cultor & præceptor ſilentij,
Candidum à Deipara habitum promerite,
Fide conſtantiſſime,
Spe robuſtiſſime,
Charitate ferventiſſime,
Zelator caſtitatis,
Regula paupertatis,
Speculum obedientiæ,
Intente Doctor diſciplinæ,
Defenſor Orthodoxæ fidei,
Columna Eccleſiæ Catholicæ,
Flos ſanctitatis, & decor totius honeſtatis,
Lux orationis & contemplationis,
Exemplar perfectionis,
Dux Candidæ militiæ,
Patriarcha Præmonſtratenſium,
Pater & Protector tui Ordinis,
Primas Germaniæ,
Operator miraculorum,

Ora pro nobis.

Spi-

Spirituum ſingularis diſcretor,
Imitator JESU Chriſti,
Sectator Apoſtolorum,
Similis Martyrum,
Gemma Pontificum,
Gloria Confeſſorum,
Conſors Virginum,
Collega Sanctorum omnium,
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.

Ora pro nobis.

A prævaricatione mandatorum tuorum,
A tranſgreſſione Votorum noſtrorum,
Ab immunditia mentis & corporis,
A Spiritu ſuperbo & triſti,
Ab inſidijs diaboli,
A tentatione prævalente,
A Paſſionum noſtrarum turbulentia,
Ab amoris proprij cæcitate,
A proprij capitis obſtinatione,
A mala improviſa morte,
Per mirabilem converſionem S. NORBERTI,
Per auſteram pœnitentiam ejus,
Per ardentem in prædicando Zelum ejus,
Per exemplarem vitam ejus,
Per univerſas virtutes ejus,
Per ſanctum obitum ejus,
Per admirabilem translationem ejus,

Libera nos Domine.

Digitized by Google

Per glorioſam in cœlis coronam ejus, Libera nos.
Per merita & interceſſiones ejus, Libera nos.

Peccatores, te rogamus audi nos,
Ut cor contritum & pœnitens nobis dones,
Ut perfectam ſenſuum, ac propriæ voluntatis mortificationem nobis largiaris,
Ut veram converſionem morum nobis largiaris,
Ut diſciplinam regularem in nobis augere & conſervare digneris,
Ut Fidem, Spem & Charitatem in nobis adaugeas,
Ut trium votorum Zelatores nos efficias,
Ut donum Orationis nobis tribuas,
Ut nobis ſeptem Spiritûs Sancti chariſmata largiaris,
Ut Eccleſiam tuam Sanctam regere & gubernare digneris,
Ut Ordinem Præmonſtratenſem amplificare & tueri digneris,
Ut Eccleſiam noſtram Strahovienſem ſpiritualibus ac temporalibus donis atq; ſubſidijs benedicere & conſervare digneris,
Ut Generalem omnéſque Abbates Præmonſtratenſes ſpiritu principali confirmare digneris,
Ut ad perſeverantiæ coronam nos deducas,
Ut vivis gratiam, defunctis requiem ſempiternam concedas,

Te rogamus audi nos.

Agnus

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et nè nos inducas, &c. ℟. Sed libera nos, &c.

℣. Memor eſto Domine Ordinis S. NORBERTI.

℟. Quem poſſediſti ab initio.

℣. Confirma hoc DEUS quod operatus es in nobis,

℟. A templo ſancto tuo, quod eſt Hieruſalem.

℣. Ora pro nobis Sancte Pater NORBERTE,

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus CHRISTI.

℣. Factus eſt in pace locus ejus,

℟. Et habitatio ejus in Sion.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum, ℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui B. NORBERTUM Confeſſorem tuum atque Pontificem Verbi tui præconem eximium effeciſti, & per eum Eccleſiam tuam novâ prole fœcundâſti, præſta quæſumus: ut

Digitized by Google

ejuſdem ſuffragantibus meritis, quod ore ſimul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus.

EXcita quæſumus Domine in Eccleſia tua Spiritū, cui B. NORBERTUS Confeſſor tuus atq; Pontifex ſervivit: ut eodem nos repleti ſtudeamus amare quod amavit, & opere exercere quod docuit.

DA nobis famulis tuis Domine, per interceſſionē S. Norberti, in tua fide & ſinceritate cōſtantiā, ut in charitate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate avellamur. Per Dominum &c.

SEQUENS ORATIO ADDITUR à Religioſis Strahovienſibus.

DEUS, qui es glorioſus in Sanctis tuis, & eorum nobis interceſſione placabilis, quæſumus, ut Eccleſiam noſtram, quam S. NORBERTI Confeſſoris tui atque Pontificis venerandis Reliquijs decorare dignatus es, à noxijs omnibus & adverſis ipſo cuſtodiente tuearis. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, &c.

Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Et fidelium animæ, &c.

NOlo hic recenſere varias ægritudines, aliáſque neceſſitates, quarum relevamen & medelam plurimi per interceſſionem S. NORBERTI, præſertim

tim ad ſacra ejus lipſana, precibus ac votis ad DEVM fuſis ſunt conſecuti, ut pluribus viventium teſtimoniis comprobari poteſt.

Quanquam ergo domeſticum habeamus Archiatrum ac Tutelarem, ſanctiſſimum noſtrum Patriarcham, ad quem in omnibus morbis, & aliis quibuſcunque neceſſitatibus ac periculis confugere poſſimus; adjiciam hic nihilominus quaſdam oratiunculas, quarum precatione in certis morbis ægri ſanitatem, vel ſaltèm relevamen conſequi poſſunt, per merita aliorum quorundam Sanctorum, quibus DEVS morbos illos ſanandi ſpecialem gratiam conceſſit.

ORATIO AD S. BLASIUM EPISCOpum & Martyrem contra gutturis morbos.

CLementiſſime JESU, qui fidelibus tuis ad curādos gutturis morbos, famulum tuum B. Blaſium Epiſcopum & Martyrem Auxiliatorem eximium providere dignatus es, eique ſupplicanti promiſiſti ſalutarem omnium ipſum invocantium petitionis effectum: Reſpice propitius ad humilitatem noſtram, & ſuffragantibus meritis ejus, qui pro te ſangvinem fudit, omnia adverſantia gutturi mala ac pericula à nobis propitius averte. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas, &c.

Si alicui ſpina vel oſſiculum hæreat in gutture, collum patientis ſigno crucis conſignetur dicendo: Blaſius ſervus DEI dicit: aut aſcende, aut deſcende.

de. *Multis experimentis efficacia hujus medij eſt comprobata.*

RHYTHMVS ET ORATIO AD S. LIBORIVM contra Calculum.

Chriſti Præſul egregius,
Pro nobis hic Liborius,
Oret DEUM altiſſimum;
Nè pro culpa peccaminum,
Morbo vexemur calculi;
Succurrant nobis Angeli,
Et poſt vitæ certamina,
Ducant ad æterna gaudia.

℟. Ora pro nobis beate Libori.
℣. Ut à calculi doloribus mereamur erui.

OREMUS.

DEUS, qui beatum Liborium Pontificem, alijs innumeris clarum miraculis, ſpeciali in medendis veſicæ & calculi doloribus privilegio decorâſti; tribue, quæſumus, ut ejus meritis & interceſſione ità ab ijs & alijs malis eruamur, ut gaudijs perfrui mereamur æternis. Per Chriſtum Dominum, &c.

ORATIO AD S. STAPINUM EPIſcopum contra Podagram, Chiragram alióſque morbos arthriticos.

SAncte Stapine Chriſti Confeſſor, atque Epiſcope, fulgens virtutibus,

Ad

Digitized by Google

Ad DEUM funde preces pro te invocantibus,
Nè vexemur morbo Podagræ pro noſtris reatibus:
Sed ſani & incolumes vivere valeamus in hac vita tuis interceſſionibus;
Et poſt hujus vitæ finem, tecum in cœleſtibus
Collocari mereamur in ſupernis ſedibus, Amē.
℣. Ora pro nobis Beate Stapine.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui ad preces glorioſiſſimi Confeſſoris atque Pontificis Stapini, erigis eliſos, & ab omni dolore podagræ, chiragræ, & ſimilium reddis liberatos & ſanos; concede nobis precantibus, ut non ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis, ſed meritis & interceſſionibus glorioſiſſimi Confeſſoris, atque Pontificis Stapini, ab omni vexatione podagræ, & ab omnibus malis liberemur. Per Dominum,&c.

CONTRA OCULORUM MORBOS, ipſamque Cœcitatem.

L*Audatur hymnus:* Ave maris Stella. *Commendatur etiam contra oculorum, uti & aurium affectiones patrocinium* S. Joſeph Sponſi B. Virginis, S. Philippi Nerij, & S. Cyriaci.

Contra Febres continuas pro Patronis ſalubri-

ter invocantur: S. Joſeph, S. Philippus Nerius, S. Ignatius Lojola, S. Petronilla.

Contra Quartanam, S. Margarita Ungarica.

Contra Hecticam, S. Bernardus.

Contra Morbum caducum, S. Valentinus, S. Joannes Baptiſta.

Contra Deliquia, S. Joſeph.

Contra Hydropem, S. Firminus Abbas, S. Quintinus, S. Wolſtanus Epiſcopus.

Contra Diſſenteriam & fluxum ſangvinis, S. Lucia, S. Bernardinus Senenſis.

Contra Apoplexiam, S. Leonardus Abbas.

Contra Plevritidem, S. Joſeph.

Contra Ignem ſacrum, S. Antonius.

Contra dolorem capitis, S. Joſeph, S. Franciſcus, S. Lidvina, S. Catharina Senenſis.

Contra Vertiginem, S. Raimundus.

Contra Surditatem, B. Luſthildis.

Contra dolores dentium, S. Apollonia, B. Hermannus.

Contra dolores ſtomachi, S. Gregorius magnus, & S. Bernardus.

Contra palpitationem cordis, S. Philippus Nerius, S. Piatus Epiſcopus & Martyr.

Contra ſtranguriam & Colicam, S. Rolendis Virgo.

Contra Calculi ac arenæ dolores & herniam, S. Benedictus Abbas, S. Henricus Imperator, S. Eberhardus Epiſcopus Salisburgenſis, S. Liborius, ùt ſuprà.

Con-

Contra Sciaticam S. Servatius, S. Philippus Nerius.
Contra tibias malè affectas, S. Leonardus.
Contra hos & plurimos alios morbos, S. Job, S. Lidvina.
Contra periculum ſubmerſionis, S. Clemens, S. Nicolaus.
Contra peſtem commendatur patrocinium S. Sebaſtiani, S. Roſaliæ, & S. Rochi, *qui multas Civitates à peſte liberavit.*

Moriturus Dominum rogavit, ut qui ejus patrocinium invocarent, à peſte protegerentur. Unde ad latus mortui tabella inventa eſt, Angelicis, ut creditur, manibus allata, in qua ſcriptum fuit, conceſſiſſe DEUM, ut qui S. Rochum haberent interceſſorem, beneficio liberationis gauderent.

ANGELICA ORATIO CONTRA Peſtem.

P*Eſte apud Conſtantinopolitanos graſſante, in publica proceſſione, puer quidam in ſublime raptus, iterúmque demiſſus, ſe ab Angelis ſequentem precandi formulam edoctum eſſe affirmavit; quâ uſi Conſtantinopolitani, à peſte liberati ſunt.*

Sancte DEUS, Sancte fortis, Sancte immortalis, miſerere nobis.

Ex hac precatiuncula derivata eſt Antiphona, quam in Quadrageſima dicimus ad Nunc dimittis ex

ex Breviarij præſcripto; tempore peſtis quotidie uſurpanda.

Mediâ vitâ in morte ſumus, quem quærimus adjutorem niſì te Domine, qui pro peccatis noſtris juſtè iraſceris. Sanċte DEUS, ſanċte fortis, ſanċte immortalis, miſericors Salvator, amaræ morti nè tradas nos.

ALIA ORATIO CONTRA PESTEM.

Stella cœli extirpavit
(Quæ lactavit Dominum)
Mortem peſtis, quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipſa Stella nunc dignetur
Sidera compeſcere,
Quorum bella plebem cædunt
Diræ mortis ulcere.
O pijſſima ſtella maris
A peſte ſuccurre nobis.
Audi nos Domina. Nam Filius tuus
Nihil negans te honorat.
Salva nos JESU,
Pro quibus Virgo Mater orat.

℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

DEUS miſericordiæ, DEUS pietatis, DEUS indulgentiæ, qui miſertus es ſuper afflictionem

nem populi tui, & dixiſti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam: ob amorem illius Stellæ glorioſæ, cujus ubera pretioſa contra venena delictorum dulciter ſuxiſti; præſta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peſte, & improviſa morte ſecurè liberemur, & à totius perditionis incurſu miſericorditer ſalvemur; per te, JESU Chriſte, Rex gloriæ, qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum.

Hæc Oratio, peſte apud Conimbricenſes ſæviente, Moniales S. Claræ à mali contagio immunes ſervavit, quæ illam ſibi à S. Bartholomæo Apoſtolo mendici ſpecie ſe ipſis conſpicuum præbente allatam, quotidie palàm & privatim recitârunt.

CONTRA PERICULA FULMINUM.

Præter Sacra Crucum amuleta, commendatur recitatio antiphonæ: Salve Regina. *Scribit Cæſarius Parocho cuidam à B. Virgine dictum fuiſſe: Quia* Salve Regina *diligenter & ſæpe decantas, nunquam te fulmina aut tonitrua lædent.*

CONTRA PERICULA IGNIS ET INcendij

Invocari ſolent pro Patronis, S. Laurentius & S. Agatha.

Tempore incendij commendatur antiphona, Regina Cœli, *& aqua per modum Crucis flammæ affuſa.*

RE-

Digitized by Google

RESPONSORIUM DE S. ANTONIO

Orari ſolet pro inveniendis rebus perditis, multíſque alijs beneficijs per illius Sancti interceſſionem à DEO impetrandis.

Si quæris miracula, mors, error, calamitas,
Dæmon, lepra fugiunt, ægri ſurgunt ſani,
Cedunt mare, vincula, membra, réſque perditas
Petunt & accipiunt juvenes & cani.
Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas,
Narrent hi qui ſentiunt, dicant Paduani.
Cedunt mare, vincula, membra, réſque perditas
Petunt & accipiunt juvenes & cani.
Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.
Petunt & accipiunt juvenes & cani.
℣. Ora pro nobis beate Antoni.
℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

MItiſſime ac clemétiſſime JESU, qui B. Antonium Confeſſorem tuum perpetuis illuſtras miraculorum ſplendoribus; Concede propitius, ut quæ per ejus merita fideliter petimus, per ejus interceſſionem efficaciter conſequamur. Qui vivis & regnas, &c.

PRO INVENIENDO BONO HOSPITIO IN ITINERE.

INvocari ſolet pro Patrono *S. Simon, leproſus ille qui*

qui Dominum ad convivium invitavit, Cenomanenſis poſtea Epiſcopus. Itèm S. Julianus. *Poſſunt etiam in plurimis neceſſitatibus invocari auxilia SS. Angelorum,* S. Michaëlis *in gravibus Diaboli tentationibus, & vitæ periculis.* S. Raphaëlis *in morbis & peregrinationibus.* S. Gabrielis *in gravibus negotijs expediendis.* S. Angeli Cuſtodis *in quibuſcunque neceſſitatibus.*

INDULGENTIÆ REGULARIBUS ſpecialiter conceſſæ.

PAulus Papa V. *Perſonis Regularibus quibuſcunque quorumvis Ordinum, tam Monaſticorum quàm mendicantium, utriuſque Sexûs, intrà clauſtra, & extrà, cum licentia tamen ſuorum Superiorum legitima de cauſa degentibus, ſequentes Indulgentias & gratias, poſt antiquarum revocationem conceſſit, in Bulla, quæ incipit,* Romanus Pontifex, *data Romæ die 25. Maij. Anno 1606.*

OMnibus Chriſti fidelibus, qui Canonicè & juxta ordinationes cujuslibet Religionis & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum regularem à legitimis Superioribus causâ profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſsûs in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, *plenariam.*

Cui-

Cuilibet Novitio, qui pœnitens & confeſſus, ac Sacrâ Communione refectus poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam *plenariam.*

Cuilibet Religioſo inter Clauſtra ſui Monaſterij viventi, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus,& ſacrâ Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad DEUM preces fuderit, etiam *plenariam.*

In cujuslibet mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens & confeſſus, ac ſacrâ Communione refectus, vel ſi id facere nequiêrit, ſaltèm contritus, nomen JESU ore ſi potuerit, ſin autem, corde devotè invocaverit, etiam *plenariam.*

Ei qui ad presbyteratûs Ordinem canonicè promotus & confeſſus primam Miſſam celebraverit, nec non etiam ijs Religioſis, qui pariter confeſſi,ac ſacrâ Communione refecti, eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebraverint,etiam *plenariam.*

Illis qui de Superiorum ſuorum licentia à negotijs per decem dies alieni in cella commorati fuerint, aut ab aliorum converſatione ſeparati, in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe conſideratio-

nes

nes & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, Quatuor Noviſſimorum, Paſsionis Domini noſtri JESU Chriſti, orationes quoq; jaculatorias aut vocales ſaltèm per duas horas in diem & noctem, finitíſq; ſpiritualib⁹ exercitijs poſt confeſſionem generalem aut annualē, vel ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, toties quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum, ſimiliter *plenariam*.

Religioſis intrà Clauſtra viventibus, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ùt ſuprà dictum eſt, oraverint, *eaſdem Indulgentias, quas Viſitantes Eccleſias Vrbis, & extra eam, diebus Stationum conſequuntur*, in omnibus diebus perinde, acſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

Omnibus itèm Religioſis intrà Clauſtra, ùt ſuprà viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante altare eorum Eccleſiæ recitaverint, in quolibet die *quinque annos, & totidem quadragenas*.

Illis verò, qui de Superiorum ſuorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra Clauſtra degentes tanquam prædicatores & lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante quodlibet altare, ſimiliter dixerint, etiam *quinque annos, & totidem quadragenas*.

Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeſſi & Sacrâ Communione ultimâ Dominicâ menſis hujuſmodi refecti fuerint, *ſexaginta annos, & totidem quadragenas.*

Quotieſcunque de licentia ſummi Pontificis, aut ſuorum Superiorum in ditiones & terras Infidelium aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint, ſi pœnitentes & confeſſi, ac ſanctiſſimâ Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut meliùs ad hujuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint; *plenariam.*

Cùm Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu inſtituere voluerit, ijs Religioſis, qui dictis orationibus ſaltèm ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ & obſervantiæ regularis augmento pias ad DEUM preces, ùt ſuprà dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi & Sacrâ

Com-

Digitized by Google

Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, ſimiliter *plenariam.*

Religioſi Præmonſtratenſes, non ſolùm in feſto S. NORBERTI *, ſed etiam in feſto* Aſſumptionis B. V. S. Auguſtini, & omnium Sanctorum Ordinis, *quod die 13. Novembris celebratur. Itèm die feſto ſpecialis* Patroni *ſeu Tutelaris ipſorum Eccleſiæ, ſi præviâ confeſſione & communione, in eadem Monaſterij ſui Eccleſia, pro Principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad DEUM preces fuderint, plenariam Indulgentiam conſequuntur. Similiter in alijs quibuſcunque Ordinis ſui Eccleſijs,* die feſto ſpecialis Patroni ſeu Tutelaris *ipſarum*; *ex conceſſione Clementis X. Quas Indulgentias etiam alij Chriſti fideles lucrari poſſunt, ex eadem conceſſione facta Romæ, die 5. Julij, Anno* 1673.

TRES ORATIONES PRO LUCRANdis Indulgentijs.

I*Nter Conditiones ad Indulgentiarum conſecutionem requiſitas, frequenter occurrit oratio pro Exaltatione S. Matris Eccleſiæ, hæreſum extirpatione, & Principum concordia. Quem in finem dici poterunt tres Orationes ſequentes.*

ORATIO PRIMA PRO ECCLESIA.

BEnigniſſime Domine JESU Chriſte, qui ſan-

ctam Eccleſiam tuam in ſponſam elegiſti, eámque tanto dilexiſti amore, ut vitam & ſangvinem tuum pro ea profuderis: rogamus clementiam tuam, ut eandem pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum. Aſpice JESU Clementiſſime, quàm pertinaciter ab hoſtibus ſuis oppugnetur. Aſpice quàm violentâ rabie portæ inferi adversùs eam cõſurgãt. Nè quæſo permittas, ut adversùs eam prævaleant; ſed defende & conſerva eam in magnitudine brachij tui. Vides etiam, JESV pijſſime, quantâ negligentiâ, & quàm indecorè divina tua Officia peragantur, quàm ſacer cultus tuus jaceat, quámque exigua ſciëntia DEI ſit in terra. Mitte igitur ferventes & indefeſſos operarios in meſſem tuam, qui eam excolant, promoveant, & in horrea tua congregent. Concede etiam univerſis fidelibus tuis, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ obediant, ejúſque præcepta ſervent, & in omni bono de die in diem, ad majorem tui nominis gloriam proficiant. *Pater noſter. Ave Maria.*

ORATIO II.

Pro Extirpatione Hæreſum.

PIentiſſime Domine JESU Chriſte, verum lumen ad illuminationem gentium, obſecramus clementiam tuam, ut reſpicias ſuper interitu tot animarum, quæ fraude ſerpentis antiqui, & deceptione Hæreticorum in profundas errorum tene-

bras

bras inciderunt. O Miſericordiſſime JESV, quomodo miſeras illas animas, pretioſiſſimo ſangvine tuo redemptas, à Satana decipi, ejúſque poteſtati ſubdi pateris? Eſt ne poſſibile, quòd indies tot homines, defectu veræ fidei in abyſſum inferni detrudi permittas? Recordare, O Chriſte JESU, quot laborioſa itinera pro ſalute ipſorum ſuſceperis, quótque vulnera & plagas in redemptione illorum acceperis. Rogamus igitur per virtutem amariſſimæ Paſſionis & mortis tuæ, ut execrandas hæreſes funditus extinguere, atque indurata Hæreticorum corda ad veram fidem convertere digneris. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

ORATIO III.

Pro Concordia Principum.

DUlciſſime JESU, author & amator unitatis & pacis, rogamus clementiam tuam, ut omnibus Principibus Chriſtianis pacem, & veram concordiam donare digneris, ut Eccleſia tua tranquillâ ſemper devotione lætetur. Aſpice pijſſime JESU, quàm multus innoxius ſangvis per continuam bellorum tempeſtatem effundatur, & quàm multi in extremas corporis & animi anguſtias dejiciantur. Ah, JESV amantiſſime, qui pacem ſemper ſummè amâſti, eámque diſcipulis tuis toties ap-

precatus es: rogamus te per ineffabilem cordis tui amorem, ut Reges & Principes Chriſtianos pacificare, & arctiſſimo concordiæ vinculo colligare digneris: ut plebs tua in quiete & pace gubernari, inque tuo ſancto ſervitio confortari & conſervari mereatur. Quod nobis præſtare digneris per infinitam miſericordiam & bonitatem tuam. Amen.

DE SALUTARI USU SACRAMENTALIUM.

SAcramentalia vocantur, res ſive actiones quædam, habentes nonnullos effectus ſimiles effectibus Sacramentorum. Quales ſunt remiſſio peccatorum venialium, Excitatio motûs pij, relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, repreſſio Dæmonis, Operatio ſanitatis, & plures alij. Vt tamen illos in Sacramentalium uſu conſequamur, interiorem aliquem devotionis actum ſimul adhibere debemus.

SEX PRÆCIPUÆ SACRAMENTALIUM ſpecies enumerantur.

P*Rima eſt* Oratio *præſertim* Dominica, *maximè ſi oretur in Eccleſia conſecrata. Huc refertur genuflexio, corporis proſtratio, tunſio pectoris, & ſimiles Orationis cærimoniæ; debet tamen Oratio eſſe attenta, ut per illam aliquid lucremur.*

Secunda eſt Aſperſio cum aqua benedicta, *quâ dum te aſpergis, dic ſequentem Orationem:*

Per

Per aſperſionem ſangvinis tui Domine JESV Chriſte, & per virtutem Paſſionis tuæ, lava me ab omni macula, & munda me ab omni peccato, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.

Vel Brevius.

Lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.

Huc etiam referuntur geſtationes Crucum, Numiſmatum, maximè quibus annexa ſunt gratia Indulgentiarum; Portatio Reliquiarum, palmarum, aſperſio cinerum, thurificatio, Evangelij vel Altaris oſculatio, ad quæ tamen ſemper requiritur pius aliquis humilitatis, venerationis, vel alius quicunque devotionis affectus.

Tertia eſt ſumptio cibi aut potûs benedicti, *præſertim ſi benedictio facta ſit in Eccleſia. Huc referri poſſunt quicunque uſus rerum benedictarum neceſſitatibus noſtris ſervientium, ut candelarum, veſtium, in quorum, utì & cujuſcunque alterius benedictæ rei adhibitione, ſufficit ad conſequendum rei ſacramentalis effectum, pia quæcunque mentis intentio ſeu affectio, vel etiam cogitatio. Vt ſi dicatur:* Miſerere mei DEVS. DEVS propitius eſto mihi peccatori. Sit nomen Domini benedictum.

Digitized by Google

Vel:

Per hanc rem NN. à te benedictam veniat ſuper nos Domine benedictio tua.

Quarta eſt Confeſſio peccatorum, *non tantùm quæ fit intrà, ſed etiam quæ fit extra Sacramentum; quâ videlicet quis culpam ſuam humiliter coram aliis confitetur, ſive particulariter, ſive generaliter, dicendo:* Confiteor DEO omnipotenti &c.

Quinta eſt Eleemoſyna, ſeu quodcunque opus miſericordiæ, ſive corporale, ſive ſpirituale proximo impenſum, quod ſufficit fieri ex charitate. *Addi tamen poterit ſequens precatio:*

DOmine JESU Chriſte, quem in proximis meis agnoſco & veneror, ſuſcipe hunc actum miſericordiæ, & exhibe mihi viciſſim in die judicij miſericordiam tuam.

Sexta eſt benedictio Epiſcopalis vel Abbatialis, *ad cujus verba devotè attendendum eſt, vel interim dicendum:*

BEnedictio DEI Omnipotentis, Patris, & Filij & Spiritûs Sancti, deſcendat ſuper nos & maneat ſemper. *Huc referri poteſt ſignum S. Crucis ac tituli triumphalis, Conſignatio cum ſacris nominibus* JESVS & MARIA, *quæ multùm poſſunt homini prodeſſe ad ſalutem mentis & corporis.*

RE-

Digitized by Google

REGULA S. AUGUSTINI.

CAPUT I.

DE DILECTIONE DEI, ET PROXIMI.

ANte omnia, fratres chariſſimi, diligatur DEUS; deinde proximus; quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data.

CAPUT II.

DE UNITATE CONCORDIÆ, ET communione corporalis ſuſtentationis.

HÆc igitur ſunt, quæ ut obſervetis præcipimus in Monaſterio conſtituti. Primum, propter quod in unum eſtis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & ſit vobis anima una, & cor unum in DEO. Et non dicatis aliquid proprium; ſed ſint vobis omnia communia. Et diſtribuatur unicuique veſtrûm à Præpoſito veſtro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus; quia non æqualiter valetis omnes: ſed potiùs unicuiq;, ſicut cuiq; opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum: quia illis erant omnia communia, & diſtribuebatur unicuique, ſicut cuique opus erat. Qui verò aliquid habebant in ſeculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium.

um, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant: non ea quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur: etiamſi paupertas eorum quando foris erant, nec ipſa neceſſaria potuerit invenire. Non tamen ideo putent ſe eſſe felices, quia invenerunt victum & tegumentum, quale foris invenire non poterant: nec erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant: ſed ſurſum cor habeant, & terrena ac vana non quærant: nè incipiant Monaſteria divitibus eſſe utilia, non pauperibus; ſi divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

CAPUT III.

DE VIRTUTE HUMILITATIS.

RUrſus etiam illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſeculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam Sanctam Societatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant, non de parentum divitum dignitate, ſed de pauperum fratrum Societate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint; nec de ſuis divitijs magis ſuperbiant, quia eas Monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſeculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: ſuperbia verò etiam bonis operibus

ribus inſidiatur, ut pereant. Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur divitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo ? Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite, & honorate in vobis DEUM invicem, cujus templa facti eſtis.

CAPUT IV.
DE PURITATE ORATIONIS.

ORationibus inſtate horis & temporibus conſtitutis. In oratorio nemo aliquid agat, nisì id, ad quod factum eſt, unde & nomen accepit: ut ſi fortè aliqui etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint; non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint. Pſalmis & hymnis cùm oratis DEUM, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, nisì quod legitis eſſe cantandum. Quod autem non ità ſcriptum eſt ut cantetur, non cantetur.

CAPUT V.
DE ABSTINENTIA DISCRETA.

CArnem veſtram domate jejunijs, & abſtinentiâ eſcæ & potûs, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non poteſt jejunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, nisì cùm ægrotat. Cùm acceditis ad

men-

menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſvetudinem legitur, ſinè tumultu & contentionibus audite: nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant DEI verbum. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſvetudine, ſi aliter tractentur in victu, non debet alijs moleſtum eſſe, nec injuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſvetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia ſumunt, quod non ſumunt ipſi; ſed ſibi potiùs gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorúmve datur, quod alijs fortioribus, & ideo felicioribus non datur: cogitare debent quibus non datur, quantum de ſua ſeculari vita illi ad iſtam deſcenderint: quamvìs uſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire non potuerint. Nec debent velle omnès, quod paucos vident ampliùs, non quia honorantur, ſed quia tolerantur, accipere: nè contingat deteſtanda perverſitas, ut in Monaſterio, ubi quantum poſſunt, fiunt divites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, nè graventur; ità & poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, ut citiùs recreentur, etiamſi de humillima ſeculi paupertate venerint: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior conſvetudo. Sed cùm vires priſti-

nas

nas reparaverint, redeant ad feliciorem conſvetudinem ſuam, quæ famulos DEI tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent. Nec cibi eos teneat voluptas jam vegetos, quos neceſſitas levârat infirmos. Illos exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores; melius eſt enim minùs egere, quàm plus habere.

CAPUT VI.

DE VENUSTATE HONESTATIS, & caſtitate corporis.

NOn ſit notabilis habitus veſter: nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis, ſimul ambulate: cùm veneritis quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum; ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Oculi veſtri etſi jaciantur in aliquam fœminarum: in nullam figantur. Neque enim quando proceditis fœminas videre prohibemini; ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tactu: ſed aſpectu quoque appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cùm ſe invicem ſibimet, etiam tacente lingvâ, conſpectu mutuo corda nuntiant

tiant

Digitized by Google

tiant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe ipſum diligit fixum, ab alijs ſe non videri, cùm hoc fecerit: videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latêre nihil poteſt? an ideo putandus eſt non videre, quia tantò videt ſapientiùs, quantò patientiùs? Illi ergo Vir Sanctus timeat diſplicere; nè velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, nè velit fœminam malè videre. Illius namque & in hac cauſa commendatus eſt timor, ubi ſcriptum eſt: Abominatio eſt Domino defigens oculum. Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, & ubicunque fœminæ ſunt: invicem veſtram pudicitiam cuſtodite. DEUS enim qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis. Et ſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo veſtrûm adverteritis: ſtatim admonete, nè malè cœpta progrediantur; ſed de proximo corrigantur. Si autem & poſt admonitionem iterum, vel alio quocunque die id ipſum facere eum videritis: jam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire. Priùs tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum: ut duorum vel trium poſſit ore convinci, & compe-

petenti ſeveritate coërceri. Nec vos judiceris eſſe malevolos, quando hoc indicatis: magìs quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret ſecari: nónne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? quantò ergo potiùs eum debes manifeſtare, nè deteriùs putreſcat in corde? Sed antequam alijs demonſtretur, per quos convincendus eſt; ſi negaverit, priùs Præpoſito debet oſtendi: ſi admonitus neglexerit corrigi: nè fortè poſſit ſecretiùs correptus non innoteſcere cæteris. Si autem negaverit: tunc neganti adhibendi ſunt alij; ut etiam coram omnibus poſſit non ab uno teſte argui; ſed à duobus vel tribus convinci. Convictus verò, ſecundùm Præpoſiti, vel etiam Presbyteri (ad cujus diſpenſationem pertinet) arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſaverit; etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra Societate projiciatur. Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer: nè contagione peſtiferâ plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, judicandíſque peccatis, diligenter & fideliter obſervetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE SPONTANEA CONFESSIONE.

QUicunque autem in tantum progreſſus fuerit malum, ut occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus acceperit: ſi hoc ultro confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur atque convincitur: ſecundùm arbitrium Preſbyteri vel Præpoſiti graviùs emendetur.

CAPVT VIII.

DE COMMUNIBUS CUSTODIBUS veſtium.

VEſtes veſtras in unum habeatis ſub uno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, nè à tineâ lædantur. Et ſicut paſcimini ex uno cellario; ſic induamini ex uno veſtiario. Si fieri poteſt, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrùm hoc recipiat unuſquiſque quod depoſuerat, an aliud quod alter habuerat; dum tamen unicuique, prout cuique opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cùm conqueritur aliquis deterius ſe accepiſſe, quàm priùs habuerat, & indignum ſe eſſe, quòd non ità veſtiatur, ùt alius frater veſtitur: hinc vos probate, quantum vobis deſit in illo inte-

riore

Digitized by Google

riore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi veſtra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod poſueratis: in uno tamen loco ſub communibus cuſtodibus habete, quod ponitis. Ità ſanè ut nullus ſibi aliquid operetur; ſed omnia opera veſtra in unum fiant, majori ſtudio & frequentiori alacritate, quàm ſi vobis ſingulis faceretis propria. Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quòd non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur: quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideo quantò ampliùs rem communem quàm propriam curaveritis, tantò vos ampliùs proficere noveritis: ut in omnibus, quibus utitur tranſitoria neceſſitas, ſuperemineat, quæ permanet, charitas. Conſequens ergo eſt, ut etiam cùm quis ſuis filijs, aut aliquâ neceſſitudine ad ſe pertinentibus in Monaſterio conſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſive quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum; non occultè accipiatur: ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, ut in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit, præbeatur. Quòd ſi aliquis rem ſibi collatam celaverit: furti judicio condemnetur.

CAPUT IX.

DE ABLUTIONE VESTIUM, ET CUrâ Infirmorum, atque de libris quotidie petendis.

INdumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti laventur, ſive à vobis, ſive à fullonibus: nè interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus. Lavacrum etiam corporis, cùm infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. Fiat tamen ſinè murmure de conſilio medici: ità ut etiamſi nolit, jubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiamſi noceat, prodeſſe creditur quod delectat. Deniquè ſi latens eſt dolor in corpore, famulo DEI dicenti quid ſibi doleat, ſinè dubitatione credatur. Sed tamen utrùm ſanando illi dolori, quod delectat expediat: ſi non eſt certum, medicus conſulatur. Nec eant ad balnea, ſive quocunque ire neceſſe fuerit, minùs quàm duo vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus juſſerit, ire debebit. Ægrotantium cura, ſive poſt ægritudinem reficiendorum, ſive aliquâ imbecillitate etiam, ſive febribus laborantium, uni alicui debet injungi, ut ipſe de cellario petat, quod cuique opus eſſe proſpexerit: Sive autem qui cellario, ſive qui veſtibus, ſive qui

codi-

Digitized by Google

codicibus præponuntur, ſinè murmure ſerviant fratribus ſuis. Codices certâ horâ ſingulis diebus petantur: extra horam qui petiêrit, non accipiat. Veſtimenta verò & calceamenta quando fuerint indigentibus neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur.

CAPUT X.
DE CAVENDO LITIGIO.

Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: nè ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Quicunque autem convitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione quantocyùs curare quòd fecit: & ille qui læſus eſt, ſinè diſceptatione dimittere. Si autem invicem ſe læſerint: invicem ſibi debita relaxare debebunt propter orationes veſtras, quas utique quantò crebriores habetis, tantò ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem, qui quamvis irâ ſæpe tentetur: tamen impetrare feſtinat, ut ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit injuriam: quàm qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſinè cauſa eſt in Monaſterio, etiamſi inde non projiciatur. Proinde

vobis à verbis durioribus parcite, quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, unde facta ſunt vulnera. Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coërcendis, dicere vos dura verba compellit: etiamſi ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis ſubditis veniam poſtuletis: nè apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimiùm ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui novit eos, quos plùs juſto fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis. Non autem carnalis, ſed ſpiritualis debet eſſe inter vos dilectio.

CAPUT XI.

DE REVERENTIA EXHIBENDA Prælatis, & de eorum Officio.

PRæpoſito tanquam Patri obediatur: multò magìs Presbytero, qui omnium veſtrûm curam gerit. Ut ergo cuncta iſta ſerventur, & ſi quid minùs ſervatum fuerit, non negligenter prætereatur: ſed ut emendandum, corrigendúmque curetur, ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, ut ad Presbyterum, cujus eſt apud vos major authoritas, referat, quod modum, vel vires ejus excedit. Ipſe verò qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem.

Ho-

Honore coram vobis Prælatus ſit vobis: timore coram DEO ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes; diſciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamvis utrumque ſit neceſſarium: tamen plùs à vobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cogitans, DEO ſe pro vobis redditurum eſſe rationem. Unde vos magìs obediendo, non ſolùm veſtrî, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter vos quantò in loco ſuperiori, tantò in periculo majori verſatur. Donet Dominus, ut obſervetis hæc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona converſatione fragrantes, non ſicut ſervi ſub lege: ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti.

CAPUT XII.

DE SOLICITUDINE OBSERVANTIÆ hujus regularis.

VT autem vos in hoc libello, tanquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, nè per oblivionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et ubi vos inveneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Ubi autem ſibi quicunque ve-

ſtrûm viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caveat de futuro, orans, ut ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

A M E N.

SER-

Digitized by Google

SERMO EXHORTATORIVS S. NORBERTI AD FRATRES SUOS.

HOrtamur vos, fratres dilectiſſimi, ad ſedulam DEI, cui ſpecialium Votorum profeſſione vos obligâſtis, ſervitutem.

Tenemini enim vobiſmetipſis, & cunctis veſtris ſponte abnegatis, & purè propter DEUM derelictis, in humeris veſtris quotidie portare crucem Chriſti; hoc eſt: crebris diverſarum paſſionum anguſtijs patienter ducere vitam totam in pœnitentia.

Hæc eſt enim arcta via cœli, quæ in ea perfectè ambulantes ad veram perducit Patriam, quam Chriſtus moriendo & vivendo, opere & verbo vobis ſtrenuè præmonſtravit. Quam niſì cum fiducia aggrediamini, & pro modulo veſtræ poſſibilitatis in ea ambuletis, non poteſtis ad Chriſtum venire, ſicut dicit Apoſtolus: *Nullus coronabitur, niſì qui legitimè certaverit*; & iterum: *qui voluerit Chriſto commanere, debet, ſicut ipſe ambulavit, ambulare.*

Ambuletis ergo in via DEI cautè, nè morte comprehendamini improvisè, promptam obſervantes obedientiam, voluntariam paupertatem, &

famoſam caſtitatem. Sinè his omnis ſubſtantialis virtus Ordinis penitus deſolatur.

Vos etiam, qui ſtabilitatem promiſiſtis in hoc ſacro loco, ſitis ſinè faſtidio ſuſcepti oneris, in DEI ſervitute continui, niſì interdum neceſſitate exteriorum actionum præpediti, nè diſſolutio inutilium divagationum, ſuavitatem virtutum internâ dulcedine Divinorum myſteriorum guſtatam auferat, & labentis mundi, qui nullum locum à ſordibus habet tutum, fallaciter amorem inducat. Quia, ſicut piſcis extra aquam penitus alimentis naturalibus carens, citò moritur, ſic inſtabilis Religioſus, munitione & cuſtodiâ Clauſtri exutus, exemplis & doctrinis bonorum alienus, mundo, cujus ſtatus in maligno poſitus eſt, pluries converſatus, citò ad vitia labitur, & nexibus perpetuæ mortis detinetur. Fugite igitur ſæcularium hominum frequentiam, ſicut piſcis ſiccitatem, nè obliviſcamini interioris cuſtodiæ diligentiam, quæ mentis generat puritatem. Illud enim glorioſum nomen ſanctæ Religioſitatis vobis indignè uſurpatis, ſi in deſiderijs veſtris, non ſoli DEO, ſed plùs mundo religati eſtis.

Debetis igitur eſſe ſtabiles, charitate concordes, maximè linguas veſtras refrænantes, ut ſinè murmuratione, detractione, & abſque invidia, in Domo Domini unanimes habitetis. Lingva e-

nim

nim maliloqua & doloſa inquietum malum eſt, plena veneno mortifero, non deſinens lædere, bonum pacis conturbans, & Religionis devotionem enervans. Idcirco de talibus ſcribitur: *Qui litigioſus vel queruloſus eſt, verus Monachus non eſt.*

Quapropter refrænate linguas veſtras, figentes vel erigentes corda veſtra ad Superorum Regna, ubi vera ſunt gaudia, & deſiderio devotionis veſtræ cum perfectis volate in nubibus contemplando divina, & cum mœrore portate pondus carnis veſtræ, ut poſſitis dicere cum Beato Apoſtolo: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Et cum Pſalmiſta: *Educ de carceribus corporum noſtrorum animas noſtras, ut valeatis conregnare Chriſto in æternum.*

Si qui autem habitu Religioſo, ſub ſpecie columbinæ ſimplicitatis, & lactis innocentiæ, exteriùs nitidè amicti, à devotione perfectæ Religionis, coram DEO, cui cogitationes omnium nudæ & apertæ ſunt, interiùs miſerè nudati, ſalutaris doctrinæ monita, monitorémq; contumaci corde ſpernunt, ſanctum Regularis diſciplinæ Ordinem non obſervantes; procul dubio ad illum teterrimum æternorum tormentorum locum, niſì ſe priùs emendaverint, perducentur, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Præcaveatis igitur horrenda Divinæ Majeſta-

Digitized by Google

tis judicia, illi devotè ſervientes in timore & juſtitia, ut vos conſervet in Religioſa vita, & à pœnis prædictis vos cuſtodiat ejus clementia; qui ſibi fideliter ſervientes affluenter ditabit, piè dans pro parvis magna, pro temporalibus æterna, ſicut ipſe diſcipulis ſuis de contemptu rerum ſuarum, & de labore bonorum operum ſuorum mercedem inquirentibus dicebat: *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*; ad quam vos perducat Chriſtus, Amen.

Nullum tædeat, vel moleſtet, hanc chartam ſæpius inſpicere, in qua brevis exhortatio ad cultum DEI reperitur. Verbum enim DEI ignitum eſt, ſecundùm Prophetam, ardore Sancti Spiritûs inflammatum, urens vitia, augens virtutes, benevolas animas ditans ſapientiâ, miniſtrans illis cœleſtia alimenta. Et ideo voce Salvatoris dicitur: *Beati qui audiunt Verbum DEI, & cuſtodiunt illud.* Sic Beata Maria Magdalena, intentâ aure perfectæ devotionis, & ardenti deſiderio Divinæ contemplationis, verbum DEI fideliter audiendo, optimam partem dicitur elegiſſe, quam Beata Martha ſedulo cultu laborioſæ miniſtrationis, Salvatori noſtro in ſuis humanis fragilitatibus impenſo, nequaquam potuit conſequi, nec valuit obtinere.

Audite ergo illud libenter, cuſtodite ſapienter, & adimplete ſemper, ut in fine ſæculorum il-

lud

lud mellifluum verbum DEI hilariter poſſitis audire: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum æternum.* In quo tunc tranquillitate perpetuæ pacis, glorificátâ facie viſionis perfectæ, & cognitionis DEI æternaliter gaudebitis; ubi DEUS abſterget omnes lacrymas oculorum veſtrorum. Nec erit ultrà mors, neque ullus dolor; quia momentanea tormenta priorum paſſionum veſtrarum, omnia breviter tranſiêrunt. Ibi manifeſtabitur multitudo dulcedinis DEI, quam abſcondit vobis, & omnibus timentibus ſe. Ibi apparebunt delectationes infinitæ mirabilium dexteræ DEI, quibus conſolabitur vos, & omnes electos ſuos uſque in finem. Ibi ſaluberrimus fons hortorum DEI, quo vos fœcundabit; ibi indeficiens puteus aquarum viventium, quo vos inundabit; ibi inæſtimabilis ubertas deliciarum Domûs DEI, quâ vos inebriabit; ibi dulcis torrens voluptatum ejus, quo vos potabit; ibi DEUS præcinget ſe virtute & potentiâ; & candore lucis æternæ veſtitus, miniſtrabit vobis, dans ſe ipſum in mercedem magnam, & in omnium deſiderabilium veſtrorum ſupereffluentem immenſæ largitatis effectum; ſicut quondam Beato Abrahæ Patriarchæ, ipſi credenti & obedienti promiſit, dicens: *Ego ero merces tua nimis valde.* Hæc merces eſt illa ſola una pretioſiſſima margarita, jam prædicta, pro qua debetis omnia veſtra vendere, & inceſſanter laborare, ut comparetis

eam

eam. Cujus no' litatis ſvavitatem, præ multitudine magnitudinis ſuæ, indagatio ſensûs humani, ſecundùm Apoſtolum, non valet ad plenum cognoſcere, nec intima cordis, ſuarum ſubtilium acie cogitationum, metam ſcientiæ illius attingere neq; ſcire; quam etiam propter magnitudinem virtutum, & excellentiam dignitatum, nec ſupplicijs paſſionum, nec exercitijs bonorum operum poteſtis ad plenum promereri, nisi DEUS vobis illam dederit gratiosè. Quia ſecundùm Apoſtolum: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ poſt hanc vitam revelabitur in vobis.*

Rogetis ergo devotè omnipotentem DEUM, qui pro vobis homo factus eſt, qui fragilitatem humanæ conditionis in ſe ipſo expertus; cognoſcit figmentum veſtrum, *quoniam vanè conſtituti ſunt omnes filij hominum, & quòd ſenſus hominum proni ſunt ad malum*, ut ſuâ vos pietate cuſtodiat, & bonitate adjuvet, quatenus peracto curſu, ſinè delectatione carnalis amoris, ſic tranſeatis per bona temporalia, ut non amittatis, ſed obtineatis æterna. Hoc vobis piè tribuat, qui cum DEO Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

PER-

Digitized by Google

PERORATIO.

SAt multa ſalutis, & gloriæ ſempiternæ abſque impedimento poſt mortem conſequendæ media hucuſque recenſui, & quidem ejuſmodi, quæ longè peti non exigunt, & ſinè magna difficultate adhiberi poſſunt. Regnum DEI eſt intrà nos, hoc eſt, in noſtra ſitum poteſtate. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Si voluerit benedictionem aut maledictionem, veniet illi; ſi noluerit, elongabitur ab eo. Æternæ ſalutis obtentio, præter gratiæ divinæ ſubſidium, nihil deſiderat aliud, quàm bonam hominis voluntatem. Nec dicendum illud ipſi difficile, cujus media ſunt adeò facilia. Et quid facilius, quàm velle ſalutem, vitam & benedictionem æternam?

Quid ergo eſt, quòd homines adeò pauci ſalutem æternam conſequantur? In promptu cauſa eſt: nolunt ad finem illum conſequendum media tam facilia adhibere. Finem verò conſequi ſinè medijs non ſolùm eſt difficile, ſed penitus impoſſibile; ſicut impoſſibilis eſt volatus homini alis deſtituto.

Binæ ſunt alæ nobis perquam neceſſariæ, quibus nos in Cœlum librare debemus: Meditatio videlicet, & Oratio, de quibus in hoc libello potiſſimùm egimus. Harum adminiculo, quaſcunque hoſtium noſtrorum inſidias, & retia in capturam

Digitized by Google

& perditionem noſtram ubique in hoc mundo expanſa, facilè poſſumus evadere, ac Cœlum feliciter attingere. Sed alæ iſtæ mundanis hominibus graves videntur, nolunt eas pro volatu in Cœlum adhibere; hinc venter ipſorum terræ manet agglutinatus, & anima illorum brevì ad inferos ruitura, cœnoſo hujus mundi pavimento adhæret. Contemnunt ſacram Meditationem, & quæcunque illis de morte, de Judicio, de Cœlo ac Inferno prædicantur, auribus ſuis non aliter excipiunt, quàm carmen muſicum; Hinc eſt quòd ſinè omni fræno ruant in ſcelera præcipites, & peccatorum ſordibus maneant ſemper inquinati, quia videlicet non recordantur finis ſui. Imò deſolatione deſolata eſt omnis ferè terra, & Plutoni tot animarum millibus quotidie ſacrificatur, quia nullus eſt, vel ſaltèm rarus, qui recogitet corde præterita ſua peccata, præſentia pericula, & mala ſibi paulò poſt imminentia, quæ ſi debitè perpenderet, aliter profectò viveret, & in æternum non peccaret, neque periret.

Contemnunt etiam ſácram Orationem, cùm tamen in tot mortis æternæ periculis ſint conſtituti, ſéque ipſos naturæ ſuæ viribus juvare nullatenus poſſint. Et quid facilius in periculis conſtituto, quàm adjutorem deprecari? Nolunt tamen orare DEVM, hinc etiam gratiâ & miſericordiâ ipſius deſtitui merentur.

Interim acceptabile tempus prætervolat, Vitæ

clepſy-

Digitized by Google

clepſydra ſenſim emanat, Hora mortis admeat, Judicij dies adeſſe feſtinat, æternitas appropinquat, DEVS patiens & miſericors adhuc expectat, Mater ſancta Jeruſalem ad ſe invitat, Eccleſia foris clamat, gratia interiùs pulſat, nihilominus hominum converſio tardat; tot animarum millia infernus quotidie devorat, nec damnationem ullus evitat, niſi qui ea, quæ ſalutis ſunt, ſeriò ac profundè recogitat, mundi delicias calcat, Cœli gaudia ſuſpirat, peccati ac mortis æternæ pericula providè ac ſolicitè obſervat, peccata commiſſa deplorat, imminentia mala formidat, præſentia mundi, Carnis ac Diaboli tentamenta ſuperat, & DEVM pro gratiæ Cœleſtis auxilio ſinè intermiſſione ardenter exorat. Qui ſalutem his medijs conſequi non laborat, illam parvì æſtimat, ſeipſum Cœleſti gloriâ privat, & in gehennam præcipitat, nec proinde alteri, quàm ſibimetipſi damnationem ac perditionem ſuam æternam adſcribat, à qua DEVS Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nos cuſtodiat, cujus honori, & animarum ſaluti libellus iſte ſerviat, & totum ſcire, velle, ac poſſe noſtrum ſe impendat.

O. A. M. D. G.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google

Digitized by Google